

L. II. 11

MEDITATIONES SACRAE

I. B. ENGELGRAVE

SOC. JESV.



Eremitarũ Camaldl. Eremi Mon. Regii ad Varsauiam 1662 R 12

ANTVERPIÆ,
Apud Viduam et Hæredes, IOANNIS CNOBBARI, A°. M.DC.LVIII.
Iac. Neeffs sculp.
Er. Quellinus delineavit. Cum Gratia et Priuilegia.

MEDITATIONES
PRO TOTO ANNO
IN TRES PARTES
DISTRIBVTÆ:

Sensum litteralem & moralem Euangeliorum,
PIIS AFFECTIBVS ILLVSTRANTES,
Ad usum privatum, & publicum Concionatorum,

QVARVM

Prima est in Dominicas, & Ferias majores.
Secunda in Festa Sanctorum illustrium, & Communia de Sanctis.
Tertia in Vitam Christi reliquam, & Passionem, Excellentias Deiparæ, & varias Functiones.

Cum Indice duplici: altero secundùm ordinem temporis, quo ab Ecclesia proponuntur: altero secundùm seriem totius vitæ Christi.

AVCTORE
R. P. IOANNE BAPTISTA ENGELGRAVE
Antuerpiensi, Societatis IESU Theologo.

ANTVERPIÆ,
Apud Viduam & Heredes JOANNIS CNOBBARI, sub signo S. Petri.
M. DC. LVIII.
Cum Gratia & Privilegio.

DISTRIBVTIO MEDITATIONVM
PER TOTVM ANNVM.

Pars I. In Dominicas & Ferias majores, cum Procemialibus continet Meditat. 131

Pars II. In Festa Sanctorum illustrium, cum iis quæ sunt de communi Sanctorum. 166

Pars III. Sectio
- I. De Vita Christi reliqua. 28
- II. De Passione Christi. 26
- III. De Excellentiis B. Mariæ. 12
- IV. De Functionibus quotidianis. 74

EX QVIBVS,

Dominicis singulis, Feriis majoribus, ac Festis Sanctorum assume Meditationem propriam; ubi plures assignantur, assume reliquas diebus proximè commodis.

Feria II. & III. non habente Medit. propriam, assume ex Functionibus quotidianis. *pag.* 373

Feria IV. ex communi de Sanctis. *pag.* 279

Feria V. de Vita Christi reliqua. *pag.* 304

Feria VI. de Passione Christi. *pag.* 333

Sabbato de B. Virgine, *pag.* 360. & Procemialibus, *pag.* 1. & recollectione, *pag.* 412. & 422

AMPLISSIMO

ET ADMODUM REVERENDO

DOMINO

FRANCISCO

DINGHENS

I. V. DOCTORI,

PROTONOTARIO APOSTOLICO,

ECCLESIÆ CATHEDRALIS

B. MARIÆ

ANTVERPIÆ

DECANO,

AC VICARIO GENERALI,

DOMINO DE WESTDORP, &c.



Vm has de Divinis rebus Meditationes, AMPLISSIME ET ADMODUM REVERENDE DOMINE, *in lucem proferre deliberavi, id à Deo bonorum omnium au-*

ctore

ctore precatus sum, ut qui ex illarum usu percipi fructus posset, ad quàm plurimos perveniret. Cujus voti successum etsi intelligerem ab illo potissimùm pendere, quòd solus possit & legentium illustrare animos, & voluntates ad ea, quæ facienda cognoverint, impellere; tamen, ne cui humana viderer præsidia neglexisse, huic meæ lucubrationi Tui nominis præfigendam inscriptionem duxi. Augurabar enim fore, ut qui sacris Meditationibus excolere animum antehac solerent, aut deinceps cuperent, oculos etiam ad nostras adjicerent, quas auctoritate Tua communitas viderent. Magnum enim profectò, plenumq́ue gravitatis esse, apud omnes judicij Tui de rebus ad pietatem pertinentibus testimonium: cui reverentiam diuturna & integerrimè acta vita, atque eximia, qua ornatus es, dignitas, conciliant. Labitur enim alter supra quinquagesimum annus, ex quo Coloniæ Agrippinæ, in sanctorum Apostolorum æde, Canonicorum fuisti collegio adscriptus: at quem nunc auspicati hodie sumus annum CIↃ. IↃC. LVIII. *ab ortu Christi, is Tibi in nobilissima hac* S. MARIÆ *Cathedrali Ecclesia aditi Canonicatus quinquagesimum aperiet, felici*

Iubilæo

Iubilæo decorandum. Verumenimvero venerabilis senectus illa Tua, non debet à nobis solo annorum numero computari, sed rerum piè ac laudabiliter gestarum multitudine. Norunt primùm nobiles Tui collegæ ac prædicant, quàm sollicitè ac sedulò ad publicas precationes convenias, ut nisi gravi morbo detentus, aut ob publicum negotium peregrè quopiam profectus, à Matutinis, omni illo jam prope XLIX. *annorum spatio abfueris numquàm: id quod & præsentes observant, & seniores referre ac prædicare audivimus. Iam in iis precibus, totoq; Ecclesiastico Officio, quanta gravitas Tua, quanta corporis totius compositio, quantus ardor spiritus elucet! Planè ut si non quales sunt, essent Canonici omnes, esse tamen cogerentur, non voce à Te increpiti, non severiore aspectu castigati, sed amabili illa morum Tuorum gestuumq; censura perstricti. Quid decorem Domus Dei dicam, quem Tu ita strenuè accurari jubes? Quæ sacrorum in æde Vestra majestas! Quæ Tua de ea etiam intendenda consilia! Neque tamen in ea sese basilica sanctæ illæ Tuæ cogitationes curæq; continent: ad omnes zeli illius Tui splendor pertingit, omnesq; in sui admirationem atque imitationem*

pertrahit. Conciones, ista etiam adeò matura ætate, quanto studio frequentas, non solùm in augusta illa Vestra basilica, sed & alibi, cùm extra Officij Vestri horas fiunt! Quanta verò cura Tu, Tui collegæ catecheticam adolescentiæ institutionem fovetis! Ecquod verò in urbe hac religiosorum hominum cœnobium est, quod non in eorum solennitatibus obeas, & sacris celebrandis cohonestes, maximo sanè & illorum solatio, & populi universi ad pietatem incitamento?

Alia id genus plurima prædicari à me verißimè possunt: sed longiùs, modestiæ Tuæ caussa, hîc non provehar. Id tantùm rogo, quia quæ adfero, genio pietatiq́; Tuæ sunt mirificè consentanea, & ad inflammandos Divino amore legentium animos accommodata, benignè excipias, atque illius, quam Domus hæc, cui me praesse Moderatores nostri voluerunt, totaq́; adeò Societas nostra Tibi debet, observantiæ pignus esse credas. Antuerpiæ, Kalendis Ianuarij CIↃ. IↃC. LVIII.

Admodum Rev^dæ^. Amplitudinis Tuæ

Humillimus cliens

IOANNES BAPTISTA ENGELGRAVE.

PIO LECTORI.



Entalis orationis exercitium consistit in usu trium potentiarum animæ, quo illa ad peccatorum detestationem, virtutum studium, & conjunctionē cum Deo excitetur & inflāmetur, prout mox in principio distinctiùs & practicè magis apparebit. Exercitij hujus materiam habes hîc aptissimam & nobilissimam, nempe Christi vitam & doctrinam, Sanctorum deinde acta, Deiparæ excellentias, ac quotidianas functiones. Et quamquam omnibus Christianis Exercitium hoc perutile sit; iis tamen qui ad altiorem perfectionis gradum à Deo vocati sunt, omnino videtur necessarium, tanquam præcipuum perfectionis instrumentum, & nutrimentum maximè solidum, quo in Christi similitudinem accrescant. Cum enim illi velut aulici assumpti à cælesti Rege ceteris dignitate præcellant, æquum etiam est, ut morum ac virtutum

præſtantia ſtudeant, eminere, id quod quotidiano Meditationis exercitio efficaciùs aſſequentur. Scio plures in hoc, quod hîc ago, laboraſſe, ſed non ita inveni, qui materias illas ita plenè ad permovendam voluntatem pertractaverit. Si cui autem materia ſubinde videatur prolixior, (quamquam ad unam ferè normam eamque ſuccinctam omnes redigere conatus ſum) poterit, ſi ita placuerit, vel partem in iis omittere, vel pro pia ſeu ſpirituali lectione eam aſſumere. Porrò ad frontem cujuſque Meditationis in Euangelia pro clariori cognitione apposui tempus & locum, quo myſterium geſtum eſt, ex communiori interpretum doctrina. Ordinem verò Eccleſiæ in iis ſervavi, ut ab illa Matre & Magiſtra noſtra quotidianum hunc cæleſtis doctrinæ cibum aptiorem ſumamus. Fruere piè Lector, & paſcere.

FACVLTAS
P. PROVINCIALIS.

Ego infra-scriptus Societatis IESV per Flandro-Belgicam Præpositus Provincialis, potestate mihi facta à Reverendo Admodum P. N. Gosvvino Nickel *ejusdem Societatis Præposito Generali, concedo ut Meditationes per totum annum à P.* Ioanne Bapt. Engelgrave *composita, & Theologorum aliquot ejusdem Societatis judicio approbata per* Michaëlem Cnobbaert *typis evulgentur. In quorum fidem hasce manu propria subscriptas sigillo nostro munitas dedi. Antverpiæ 20. Augusti, 1657.*

THOMAS DEKENS.

PROTESTATIO AVCTORIS.

ADverte Lector, quæcumque in hoc Libro propono, non alio ſenſu tradere me, nec velle aliter à quoquam accipi, quàm quæ humanæ tantùm auctoritatis, ſeu probatorum Auctorum pondus obtinent: non verò tanquam ab Apoſtolico Sede confirmata; exceptis iis, quæ cum Scriptura S. aut Romanæ Eccleſiæ Conſtitutionibus concordant. Proinde Apoſtolicum S. Cong. S. R. & univerſalis Eccleſiæ Inquiſitionis decretum, Anno 1625. editum, & Anno 1634. confirmatum, cupere me juxta ejuſdem decreti declarationem, à fel. record. D. N. D. Papa Vrbano VIII. Anno 1641. factam integrè atque inviolatè ſervare, neque ab eo vel latum unguem diſcedere.

Hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui S. Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus filius haberi cupit, & ab ea in ſua ſcriptione & actione dirigi, ac doceri.

A P-

APPROBATIO.

LIber hîc R. P. Ioannis Baptistæ Engelgrave *Societatis IESV Theologi, continens pias Meditationes pro toto anno, in omnia Euangelia, cùm eorum sensu litterali & morali, in Festa Sanctorum Illustrium, Excellentias Deiparæ, & Functiones varias, utilissimus futurus videtur omnibus virtutum studiosis, sed maximè Ecclesiasticis, ad salutem tum propriam, tum eam in proximo promovendam. Ita scripsi* 27. *Decemb.* 1657.

C. Voochts *Archidiaconus Antuerpiensis, & Lib. Censor.*

SVM-

SVMMA PRIVILEGII

Catholicæ ſuæ Majeſtatis Regiæ.

PHILIPPVS Dei gratia Hiſpaniarum Indiarumque Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, ne quis R. P. Ioannis Baptiſtæ Engelgrave è Societate IESU, Meditationes pro toto anno in tres Partes diſtributas, ſenſum litteralem & moralem Euangeliorum piis Affectibus illuſtrantes, ad uſum privatum, & publicum Concionatorum, quarum prima eſt in Dominicas, & Ferias majores; ſecunda in Feſta Sanctorum illuſtrium, & communia de Sanctis; tertia in vitam Chriſti reliquam, & Paſſionem, Excellentias Deiparæ, & varias Functiones, &c. præter Viduæ & Heredum Ioannis Cnobbari Typographi dum viveret Antuerpienſis voluntatem, in toto Belgio, intra decem annorum ſpatium, in toto aut parte ſeorſum imprimat, aut alibi impreſſum, in has Provincias inferat, venalémve exponat, aut habeat. Qui ſecus faxit confiſcatione omnium Librorum, & triginta aureorum pro quovis Exemplari impreſſo, illato, aut expoſito, perſolſolvendorum, mulcta punietur uti latius patet in litteris datis Bruxellæ, Anno 1657. 8. Novemb.

Signat

LOYENS.

MEDI-

MEDITATIO PROOEMIALIS I.

De ipsa Meditatione, seu Oratione mentali.



PVnctum I. Considera 1. Orationem mentalem multiplicia bona animæ conferre, ac 1. *bonum honestum*, est enim oratio, ut ait D. Thomas, *actus potentiæ rationalis in Deum*, vel ut Damascenus: *Elevatio mentis in Deum*, cum quo agit de rebus gravissimi momenti, sua nempe & proximi æterna salute ac perfectione, sic ut oratio merè vocalis sit tantùm velut homo pictus aut mortuus. 2. Per orationem mentalem sacrificium offerri Deo gratissimum, & proprium Angelis, quibus per illam maximè assimilamur, & qui certant nobiscum illam Deo offerre. *Apoc. 5. 8.*

Punct. II. Considera 1. Conferri per eam etiam *bonum jucundum*, eò quòd operationes animæ nobiliores corporeis hîc ferantur in fontem omnis boni, animæ unicam quietem & pacem: *Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor.* *Psal. 84. 9.* 2. Hanc orationem esse velut manna cæleste, *omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suavitatem*, sic ut fastidium & oblivionem ingerat terrenorum: atque hinc plures Sanctos noctes integras in oratione cum Deo jucundissimè transegisse, nominatim S. Augustinum & S. Franciscum inhærentes illis verbis: *Deus meus & omnia. Noverim te, noverim me.* *Sap. 16. 20.*

Punct. III. Considera 1. Conferri etiam *bonum* animæ *utile*, nam per eam obtinetur extirpatio vitiorum, progressus in virtute, atque intima cum Deo conjunctio, ideoque comparari eam cum monte, è quo thesauri cælestium gratiarum derivantur, vel cum clavi, quâ ad eos liber & plenus accessus detur. Vnde S. Augustinus: *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* 2. Valere eam etiam ad omne malum tentationum, aliarumque difficultatum vel avertendum, vel superandum.

Punct. IV. Considera 1. Illam esse etiam *bonum necessarium*, quia institutam à Deo, per quam & non aliter ab æterno decreverit dona sua nobis communicare. 2. Deum requirere eam potissimùm à personis ministerio suo dicatis, à quibus vult ignem charitatis hoc quotidiano orationis pabulo manè potissimùm foveri. 3. Hinc appellari eam cibum animæ, somnum, robur, & vitam, sic ut sine ea deficiat. Unde S. Bonaventura: *Sine hoc studio omnem religionem esse aridam, imperfectam, & ruinæ proximam.* *Levit. 6. 12.*

Punct. V. Considera 1. Orationis hujus facilitatem, nam accessus ad Deum molestus non est; *Non enim Deus longè est ab unoquoque nostrûm, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* *Act. 17. 27.* 2. Neque opus esse ad hoc alta speculatione aut doctrina, nam *cum simplicibus sermocinatio ejus.* *Prov. 3. 32.*

MEDITATIO PROOEMIALIS II.

De præparatione Meditationis.

PVnct.I. Considera 1. Sicut in rebus terrenis & humanis requiritur præparatio ante operationem, neque enim ligna ardent, nec cibus sumitur nisi præparatus: ita & in cælestibus ac divinis, adeo ut qui omittit præparationem, Deum tentaturus sit in oratione, tanquam intendens finem neglectis mediis ab ipso ordinatis. 2. Præparationem aliam esse *remotam*, quæ consistit in removendis obstaculis, ut sunt culpa mordens, priùs expianda per confessionem aut contritionem, cura pungens, effusio in exteriora, & affectus inordinati, omnia sensim rastro mortificationis subigenda, ut oratio optatum fructum efferre possit.

Punct.II. Considera 1. Aliam esse præparationem *propinquam*, sitam in instruendis potentiis animæ præsidio necessario, nemo enim Principem aut Judicem terrenum accedet de gravi negotio acturus, nisi præparatus, ideoque argumentum Meditationis pridie præparandum per certa puncta distributum. 2. Argumentum hoc desumi, vel ex via purgativa, quæ incipientium dicitur, & à vitiis expurgat; vel ex illuminativa, quæ proficientium dicitur, & ducit in amorem virtutum exemplo Christi & Sanctorum; vel ex unitiva, quæ perfectorum est, & ex Dei perfectionibus ac beneficiis cognitis mentem Deo conjungit.

Punct.III. Considera 1. Aliam esse præparationem *proximam*, sitam in oratione præparatoria, & præludiis. Orationem illam formandam esse ex consideratione Dei præsentis, cum interna & externa reverentia, induendo personam captivi vel infirmi, servi aut mendici, filij aut discipuli, excitatis actibus diffidentiæ sui, & confidentiæ in Deo. 2. Supplicandum Patri cælesti pro tranquillanda memoria, Filio pro illuminatione intellectus, & Spiritui sancto pro inflammatione voluntatis, idque ut hæ potentiæ tendant purè ad majorem divinæ Majestatis ejus cultum & gloriam.

Punct. IV. Considera Formanda deinde præludia Meditationis per quatuor caussas Physicas, ac 1. *Materialem caussam* esse ipsum argumentum Meditationis, velut tabulam intento mentis oculo breviter lustrandum. 2. *Formalem* esse compositionem loci, qua idem argumentum per imaginationem sub forma corporea quasi præsens sistitur, ac plurimùm confert ad mentem in officio continendam, ne evagetur. 3. *Finalem* esse affectum illi argumento maximè proprium, qui consectandus est, ac potissimùm dirigendus pro die præsenti ad extirpationem vitij magis noxij, aut consecutionem virtutis magis necessariæ. 4. *Efficientem* caussam esse Deum per auxilium gratiæ, quod ardenter implorandum est, & hominem per tres animæ suæ potentias, quæ Deo offerendæ sunt, & studiosè exercendæ.

MEDITATIO PROOEMIALIS III.

De Exercitio memoriæ & intellectus.

P*Unct.I.* Conſidera 1. Sicut in rebus pretioſis, ita & in oratione mentali requiri conſiderationem attentam & minimè perfunctoriam, ut fructum ejus aſſequaris, ideoque per memoriam apprehendendum argumentum Meditationis, per puncta ſingula, cum præcipuis motivis, & ſic intellectui proponendum. 2. Intellectum inde procedere debere altiùs & accuratiùs ad ejus inveſtigationem per partes ſingulas & motiva, quibus voluntas deinde ad affectus congruos excitetur, qui finis eſt, & fructus in Meditatione intentus. *Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* *Pſal.118.2.*

Punct.II. Conſidera in Meditatione de vitio aut virtute 1. Expendendam utriuſque naturam, proprietates & actus, 2. per tres temporis differentias, quomodo te in iis hactenus geſſeris, quomodo in præſenti te geras, & quid in poſterum facere ſtatuas. 3. Quàm vitium illud ſit per ſe turpe, moleſtum, noxium, & neceſſariò vitandum: contra verò virtus quàm honeſta, jucunda, utilis, & neceſſariò amplectenda. 4. Ab auctoritate S. Scripturæ, peculiari exigentia ſtatus, ab exemplo Chriſti, & Sanctorum, à ſimili, & contrario, intellectum latiùs extende. 5. Attende etiam media, & occaſiones, atque inde per ſyllogiſmum conclude.

Punct. III. Si argumentum hiſtoricum fuerit, expende 1. perſonas, verba & opera, locum, auxilia, cauſſam motivam, modum, & tempus, quæ continentur vulgato verſu: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* 2. In ſingulis per comparationem ad te reflecte, tibique applica.

Punct.IV. Conſidera 1. In Meditatione de Sanctis, quomodo Deus ipſos ab æterno elegerit, & gratias præparaverit, quomodo & tibi. 2. Quomodo ipſi divinæ gratiæ cooperati ſint, quomodo & tu. 3. Quam copioſè Deus labores eorum compenſaverit in hac vita, & ſolatio in morte, & mercede gloriæ æternæ in altera: quare & tu ut eò pervenias, eorum veſtigiis inſiſte, & patrocinium implora.

Punct. V. Conſidera 1. In Meditatione de divinis beneficiis & perfectionibus, quomodo Deus ea oſtenderit hactenùs erga te & alios, quomodo ea etiam nunc & quotidie oſtendat, ac deinceps oſtendere paratus ſit. 2. Quæ partes tuæ ſint, quas à te requirit, ut illis reſpondeas.

Punct. VI. Pro diſponenda proximè voluntate ad affectum Conſid. 1. quid amiciſſimo conſulenti te, ſuaderes, idemque tibi faciendum decerne. 2. Quid in morte, quid in extremo judicio, quid in æternitate feciſſe optabis, idque nunc, dum potes, amplectere.

MEDITATIO PROOEMIALIS IV.

De Exercitio Voluntatis.

PVnct. I. Considera 1. Sicut non juvat in corporalibus videre mensam benè instructam omni cibo si hos non gustes, nec vestes videre pretiosas, quibus non uteris, nec thesaurum cognoscere quem non possides; ita nec in spiritualibus juvare, si cognoscas tantùm peccatorum damna, & virtutum præmia, inferorum tormenta, & cæli gaudia, nisi voluntas per affectus congruos, se ad ea extenderit. 2. Sicut avarus quæcumque videt concupiscit, & apis ex omni flore mel sugit; ita & omnia quæ considerat intellectus, trahenda ad fructum voluntatis, eumque ex omni re esse colligendum.

Punct. II. Considera Procedere voluntatem 1. In via purgativa ex consideratione peccatorum, ad eorum agnitionem, dolorem, & detestationem, timorem novissimorum, reprehensionem sui, supplicationem veniæ, ac firmum emendandi ea propositum. 2. In via illuminativa ex consideratione virtutum & doctrinæ Christi, ad diffidentiam sui, confidentiam in Deo, postulationem gratiæ, subjectionem sui, oblationem, imitationem, ac puram intentionem: ex Passione Christi insuper ad compassionem, & admirationem. 3. In via unitiva ex consideratione Sanctorum, Dei perfectionum, & beneficiorum, ad gratiarum actionem, laudem, & gratulationem, zelum, invitationem Sanctorum, & omnis creaturæ, ac perseverantiam.

Punct. III. Considera Præter dictos affectus in diversis viis exercendos, maximè & passim in qualibet exercendos esse affectus virtutum Theologicarum 1. Fidei, eò quòd Deus suprema Veritas, qui nec falli nec fallere potest, rem illam credendam proposuerit, ac proinde fide Iac. 2. 20. practica ei adhærendum, *quoniam fides sine operibus mortua est.* 2. Spei, quia Deus suprema bonitas ita jubet, ac promisit cooperantibus hîc auxilium gratiæ, & postea mercedem gloriæ: quare sicut spes mercedis lenit omnem molestiam, ita & labores omnes nostros lenire & solari debet merces gloriæ æternæ. 3. Amoris, quia Deus fons omnis boni, & diligens singulos amore infinito, tuum vicissim amorem requirit, non ad suam, sed ad tuam utilitatem: cumque ipse suum in te amorem opere tam luculenter comprobaverit, vide ut & tuum erga ipsum opere comprobes, nam ut S. Bernardus ait: *Amor ubi est, operatur.* 4. Igitur conclude, si verè credas, speres, & diligas, quales esse debeant tuæ cogitationes ac desideria, verba, & opera.

MEDI-

MEDITATIO PROOEMIALIS V.

De Colloquiis, recollectione, & fructu Meditationis.

PVnct.I. Considera 1. Colloquia institui aut secum, aut cum Deo aut Sanctis, in decursu Meditationis, magis tamen in fine cujuslibet puncti, & maximè sub finem totius Meditationis, voluntate magis excitata per prævias considerationes & affectus. 2. Secum institui, interrogando se, arguendo, & adhortando: cum Deo aut Sanctis, vel implicitè ostendendo infirmitates, ac nutum observando, vel explicitè postulando veniam ac gratiam, gratias agendo de beneficiis, laudando de perfectionibus, omnesque creaturas eò invitando. 3. In postulatione gratiæ interponi posse obsecrationes, vel ad Deum per omnes suas divinas perfectiones, per singulas Christi virtutes ac vitæ mysteria, per B. Virginis, & Sanctorum omnium merita: vel ad Christum per ejus omnes perfectiones divinas & humanas, amorem Matris & Sanctorum in ipsum, vel ad B. Virginem & Sanctos, maximè Patronos, per amorem Dei in ipsos, & ipsorum in Deum. 4. Vicissim etiam audienda Dei & Sanctorum ad nos alloquia, quare dicendum cum Samuele: *Loquere Domine quia audit servus tuus*, atque ita cum omni reverentia per orationem Dominicam Meditationem concludendam. 4 Reg. 3. 10.

Punct. II. Considera 1. Absoluta Meditatione instituendum examen de ejus successu: quem si bonum inveneris, gratias Deo age, eundem deinceps modum observaturus, & gratiam pete pro executione. 2. Si malum deprehenderis, caussas inquire, & dole de culpâ tuâ si subfuerit, eam deinde diligentiùs vitaturus: si citra culpam tuam, indignum te existima dono orationis, & in Deo confide, atque interim eo die majorem tui cautelam statue. 3. Scias parum à te actum in Meditatione, nisi calorem devotionis acceptum per diem deinde conserves & nutrias, divinas inspirationes executioni mandes, & jacta in corde semina ad maturitatem fructumque perducas.

Punct. III. Considera 1. Utilem esse praxim plurium Sanctorum, potissimùm tempore peculiaris recollectionis, annotare deinde paucis pios affectus & proposita in signum æstimationis donorum cælestium. 2. Sicut actus scriptus plus habet firmitatis pro observantia in humanis, & plus verecundiæ addit in ejus transgressione, ita & in hisce fructibus. 3. Hos scripto mandatos esse velut ignes sub cineribus, aut aquam in cisternâ conservatam, quæ in tempore necessitatis mentem reficiat.

MEDITATIO PROOEMIALIS VI.

De Repetitione Meditationis, & applicatione 5. sensuum.

P*Unct. I.* Considera 1. Repetitionem Meditationis fieri insistendo potissimùm iis locis, quibus expertus es in priori Meditatione majorem consolationem vel desolationem, quod peculiarem adfert facilitatem, propter intellectum tunc minùs occupatum, consideratione, & utilitatem, propter voluntatem magis vacantem affectibus & colloquiis. 2. Fructum ex affectibus sic repetitis patere ex simili de cibo corporali, qui priùs bene præparatus postea corpus meliùs reficit, aut clavo qui novis ictibus altiùs infigitur: ita & voluntatem ex repetitis affectibus firmiora concipere virtutum desideria, & arctiùs Deo conjungi. 3. Non raro in repetitione loco prioris desolationis aut ariditatis succedere solatia & devotionem, sicut thesaurus prius non inventus, posteà sæpè minori studio reperitur, & aurifodina profundiori descensu ampliores auri argentive fodinas aperit.

Punct. II. Considera Applicationem sensuum fieri per imaginariam apprehensionem quinque sensuum, qua res sensibiles velut præsentes percipiantur ad animum terrendum, vel instruendum, vel oblectandum, quod pariter & facilius, & sæpè etiam utilius est. 1. Igitur *Visum* exerceri imaginando te videre inferni tormenta, vel cæli gaudia, vel suavem
Luc. 10. 23. Christi conversationem, de qua ipse: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* 2. *Auditum* quo percipias inferorum lamenta & ejulatus, vel cælestium
Psal. 84. 9. cantica, vel Christi monita, ad quæ dic cum Propheta: *Audiam quid loquatur in me Dominus.* 3. *Odoratum*, quo olfacias inferni fœtorem, vel fragrantiam cælestis curiæ, aut virtutum Christi, quibus allectus dic cum
Cant. 1. 3. Sponsa: *Post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* 4. *Gustum*, quo infernalis fellis amaritudinem, vel cælestis mellis dulcedinem, vel virtu-
Psal. 33. 9. tum Christi suavitatem percipias, de quibus Propheta: *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* 5. *Tactum*, quo inferni flammis uraris, vel cælesti aura recreeris, vel Christi vestes ac pedes deosculeris, cum omni reverentia ac tenero amore, ipsumque amplectaris cum filio prodigo di-
Luc. 15. 19. cens: *Pater peccavi*, vel cùm Sponsa: *Tenui eum, nec dimittam.* 6. Con-
Cant. 3. 4. sid. Fructum hujus exercitij, nempe animum subinde minus aptum discursui hisce sensibilibus cum spirituali profectu inhærere, subinde etiam contra fervore devotionis accensum ad ea cum novo gustu se extendere.

MEDITATIO PROOEMIALIS VII.

De tribus caussis ariditatis & distractionis in oratione.

PVnct. I. Considera 1. Ariditatem, quæ est carentia devotionis seu affectus spiritualis, & distractionem, quæ est evagatio mentis ad alia, oriri ex variis capitibus, ac primò ex ipsa natura, quæ de se sterilis, & instabilis tum ad ea quæ sensibus quotidie objiciuntur, tum ad affectus septem peccatorum capitalium variè provocatur, & velut pila in in altum impetu projecta, pondere suo ad terrena descendit. Consid. 2. Hoc naturæ vitium aggravari quandoque indispositione corporis, per invaletudinem, somnum, defatigationem, aut aliter. 3. Pro remedio cavendum ne propterea, dum potes, ab oratione desistas, sed ei impensiùs insistas, cùm affectu humilitatis, patientiæ, & fiduciæ in Deo, memor in his, non verò in gustu devotionis fructum orationis consistere. 4. Assumendos tunc breves aliquos versus jaculatorios ex oratione Dominica vel aliunde petitos, ac sæpius iteratos, qualibus David, publicanus, & latro in cruce, veniam peccatorum & gratiam impetrarunt.

Punct. II. Considera 1. Alteram caussam ariditatum & distractionum esse dæmonem, qui probè sciens salutem nostram, ac divinam gloriam, quam utramque pessimè odit, ab oratione provenire, eam modis omnibus nititur impedire, ideoque visus est quandoque sub tempus orationis, socios tuba aut buccina quasi ad prælium convocare, quare & tu orationem aggressurus, ad certamen te præpara. Consid. 2. Quolibet actu resistentiæ augeri coronam meritorum, eamque sic sæpè illustriorem reddi, quam gustu devotionis.

Punct. III. Considera 1. Tertiam caussam esse Deum, dum solatia sua subtrahit, ac dæmonem permittit impedimenta orationi objicere, intendens sic incrementum gloriæ nostræ, dum ex una parte naturæ nostræ infirmitatem agnoscentes, in humilitate & patientia fundamur, ex altera vero Dei auxilium ardentiùs imploramus, & acceptum deinde pluris æstimamus, ac diligentiùs impendimus. Consid. 2. Maximè hoc modo probari virtutem nostram, dum sine stipendio spiritualis solatij, strenuè Deo militamus. Consid. 3. Post fidele certamen non rarò etiam spiritualia solatia copiosè à Deo communicari, ut dicere possint cum Propheta: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* *Psal. 93. 19.*

MEDI-

MEDITATIO PROOEMIALIS VIII.

De quarta caussa defectus in Oratione, quæ est negligentia nostra.

PVnct. I. Considera Negligentiam hanc consistere in fovendis defectibus contrariis præparationi debitæ, ac primùm remotæ, ut sunt 1. delicta quotidiana, quæ etiam leviora velut maculæ mentem inficiunt, & à cælestis Sponsi amplexu avertunt, ac velut pulvis in oculo visionem ejus impediunt. 2. Sunt affectus inordinati, qui velut vincula mentem deprimunt, sic ut in altum ad cælestia appetenda evolare non possit. 3º. Est effusio in exteriora cum dissolutione sensuum, unde anima velut aqua turbida cælestis lucis radios non recipit. 4. Sunt curæ vanæ ac superfluæ, quæ velut spinæ animam impediunt ad recipiendum semen verbi Dei.

Punct. II. Considera 1. Hinc tamen non sequi evitandas esse omnes alias occupationes, cum hæ plurimùm juvent ad benè orandum, si ex obedientia aut charitate suscipiantur. 2. Rationem hujus assignari à S. Bernardo, cum ait: *Animum prudentis non dissolvi per laborem sed colligi, quia semper præ oculis habet non tam quod agit, quàm id quod agendo intendit, nempe*
1. Cor. 3. 16. *Dei beneplacitum.* 3. Addit S. Chrysostomus, cùm secundùm Apostolum, anima cujusque templum Dei sit, erigendum ibi altare Domino, cui in omni loco & actione cultum deferamus. 4. Ita coquum, de quo S. Climacus, in culinæ obsequiis, orationis suavitate perfusum, & alium in familia S. Francisci in eodem munere pari orationis gustu refectum, cùm postea liberationem obtinuissent ut huic liberius vacarent, mox aridos & omni solatio destitutos, non nisi in priori munere resumpto, sublatum orationis donum recuperasse.

Punct. III. Considera 1. Negligentiam nostram consistere non tantùm in omittenda præparatione remota, sed etiam propinqua, & proxima, ut sunt prælectio materiæ, & consueta præludia, quæ si negligentia nostra omittantur, mirum non est orationem minimè succedere. 2. Idem est, si in ipso decursu orationis negligentia intercedat in impendendis potentiis animæ, cùm Deus studium nostrum in iis requirat, ut gloriosiùs compenset. 3. Denique siquis ad somnum se commodiùs componat, aut suggestas à dæmone distractiones, quas excutere debuisset, languidiùs admittat, ineptum se reddit ad orationis fructum percipiendum.

Actus & affectus qui in Meditatione exerceri possunt.

Per viam purgativam.	*Viam illuminativam.*	*Viam unitivam.*
Fides.	Salutatio.	Præsentia Dei.
Timor.	Comparatio.	Oblatio sui.
Confusio.	Imitatio.	Donatio sui.
Verecundia.	Excitatio.	Traditio sui.
Compunctio.	Incitatio.	Consecratio sui.
Contritio.	Alacritas.	Adhæsio Dei.
Gemitus.	Contemptus sui.	Intentio pura.
Suspirium.	Humiliatio.	Benedictio.
Odium peccati.	Demissio.	Laus.
Horror.	Subjectio.	Psalmus.
Odium sui.	Desiderium.	Magnificatio.
Accusatio sui.	Adoratio.	Glorificatio.
Increpatio.	Ponderatio.	Gratulatio.
Confessio.	Admiratio.	Collætatio.
Invocatio.	Exclamatio.	Effusio animi.
Elevatio.	Gratiæ.	Dilatatio cordis.
Supplicatio.	Compassio.	Gaudium.
Postulatio.	Sensus dolorum Dñi.	Approbatio.
Spes.	Confugium.	Invitatio creaturarũ.
Fiducia.	Charitas.	Zelus.
Propositum.	Resignatio.	Perseveratio.

MEDITATIO PROOEMIALIS IX.

De vita & doctrina Christi.

PUnct. I. Consid. 1. Deum homini ad æternam salutem à se destina-
to impressisse in creatione legem suam, quæ naturæ dicitur, velut
Psal.4.7. signaculum (*Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*) & dictat cuivis
quantumvis barbaro, quæ cavenda, & quæ rectè agenda sint, unicum
esse supremum Numen colendum, quod actionibus nostris intendat, &
à quo bonorum operum præmia, & malorum supplicia expectanda sint,
ac proinde ad legis hujus seu luminis directionem etiam adjecisse eum
nobis auxilia gratiæ suæ ad salutem consequendam, idque ex pura er-
Psal.15.1. ga nos benevolentia, quam hîc agnoscam & amplectar, *quoniam bonorum
meorum non eges.* 2. Lege hac per peccatum non parum offuscata, Deum
subjunxisse per Moysem & Prophetas legem alteram scriptam decla-
rativam divinæ suæ voluntatis: sed & illa pariter neglecta passim & cal-
cata, ex abundantia clementiæ & amoris in nos, tradidisse tandem le-
gem suavissimam & brevissimam; utque in majori apud nos esset pre-
tio, eam, per unigenitum Filium suum carne nostra indutum communi-
Heb.1.1. casse, *Multifariam multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè
diebus istis locutus est nobis in filio.* Atque hanc legem rectè Euangelicam di-
ci propter sanctissimum nuncium quem continet de regno cælesti no-
bis aperiendo, etiam Gratiæ legem, eò quòd illam copiosissimam confe-
rat: quare cavebo per legis hujus transgressionem ingratus esse pro tan-
to beneficio.

Punct. II. Consid. 1. Venisse igitur Dei filium in hunc mundum, non
solùm ut nos redimeret, & Patri cælesti reconciliaret: sed ut verbo &
exemplo doceret nos redemptioni huic cooperari, & jam reconciliatos
amicitiam colere, fovere, & conservare; & ad hoc eum datum nobis ab
Isa.55.4. æterno Patre: *Dedi eum Ducem ac Præceptorem gentibus. Hic est Filius meus dile-
Matt.17.5. ctus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quod & Apostolus inculcat:
Tit.2.11. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos,* & alliciens
ad observantiam doctrinæ suæ præmio novo cælestis gloriæ: prævarica-
tores verò terrens pœna supplicij infernalis. 2. Christum non tantùm
verbo nos docuisse, sed potissimùm exemplo; ad quod ut vitam nostram
Exod.25. conformemus, monet nos cælestis Pater: *Inspice & fac secundùm exemplar,*
40. *quod tibi* in illo *monstratum est.* Et ipse nos Christus invitat: *Discite à me*
Matt.11.29. *quia mitis sum, & humilis corde. Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in*
Ioan.8.12. Ioan.13.15. *tenebris. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Ego*
Ioan.14.6. *sum via, veritas, & vita.* Quare excitabo in me desiderium imitandi tam
illustre exemplum.

Christus prædicit signa extremi judicij. Luc. 21. Matt. 24. Marc. 13. Anno 34. Martij 21. in monte Oliv.

PUnct. I. *Erunt signa in sole & luna, & stellis.* Consid. 1. Christum hîc proponere nobis signa postremi adventus sui gloriosi ac terribilis, ut priorem ejus adventum mitem ac benignum, atque innumera bona per eum collata grato animo recolamus: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur.* 2. Per solis obscurationem designandam mœstitiam impiorum, & luctum tunc futurũ; per lunam sanguine suffusam, iram judicis; per stellas de cælo cadentes, ac virtutes seu cardines cælorum commotos, hominum in speciem illustrium & solidorum præcipitationes in abyssum. 3. Cave ne tenebras in conscientia foveas, postea cum publica infamia discutiendas: placa iram offensi judicis fructibus pœnitentiæ, &, ne aliquando movearis, stude stabilire te in solida humilitate, & conjunctione cum Deo. Heb. 4.16. Apoc. 6.12.

Punct. II. *Et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum.* Consid. 1. Improbos tunc prodigiis in cælo, terra, & mari excitatis adeo percellendos, ut quocumque se verterint, quasi furentium dæmonum fremitus & impetus percepturi sint. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Quanto vero eorum sensu, subditur: *Arescentibus hominibus præ timore & expectatione.* ubi expende animum improborum anxium & oppressum conscientia malè actorum ac timore instantis judicij, angustias mortis subiturum: quare eam nunc vitam institue, quæ signa illa, diem, & tribunal non reformident. 2. Huic te siste nunc sæpiùs per conscientiæ examen & frequentem confessionem. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* 3. Ne timeas ea quæ timenda non sunt, instar puerorum, inquit Chrysostomus, qui larvas timent, non ignem; sed supremum judicem, *hunc time*, ideoque novissima sæpiùs recole: qui pavet, cavet. 4. Succedet universalis mundi conflagratio. *Ante faciem ejus ignis vorans*, qui sæviet in homines difformiter, ex divino imperio pro ratione meritorum aut demeritorum: quare nunc potiùs peccata tua leviori pœna expiare stude. Sap. 5.21. 1. Ioan. 3.21. Luc. 12.5. Ioan. 2 3.

Punct. III. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & majestate.* Consid. 1. Venturum Christum lucidissimæ nubi velut throno insidentem, cum universali in omnes imperio, inimicis omnibus velut scabello pedũ subjectis, & cũ splendidissimo comitatu Angelorũ omnium, fulgenti corpore apparentium. 2. Thronum Christo proximum occupabit Virgo Deipara, cujus patrocinium qui hîc neglexerint, tunc serò implorabunt: inde Apostoli eorumque sequaces, juxta Christi promissum, *Sedebitis & vos super sedes 12.* quorum eminentiam nunc reverere & virtutes imitare. Psal. 109 2. Matt. 25.31. Matt. 19.28.

Anno 34. Mart. 21. in monte Oliv.

De extremo Iudicio. Luc. 21. Matt. 24. Marc. 13.

Matt. sup. P*Unct. I. Tunc parebit signum filij homini in cælo.* Consid. 1. Trophæum crucis velut honoris insigne Christo præferendum, tum ad ejus gloriam inde maximè acceptam, tum ad hostium confusionem: quare hoc signum venerare, frequenter usurpa, & in eo fiduciam colloca. 2. Ideo adversa etiam ac tribulationes, quæ per crucem significantur, libenter sustine, certus hanc securissimam esse ad cælos viam, tibique inde fore postea præcipuam gloriam: mollibus verò ac delicatis, inimicis crucis Christi, probrum inde fore & ignominiam.

Matt. sup. Num. 10. 2. & 10. *Punct. II. Et mittet angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos ejus à 4. ventis.* Consid. 1. sicut in lege veteri ad bellum atque etiam ad templum festis diebus populus tuba convocabatur, ita & tunc ad suscipiendum bellum contra impios, & ad templum cælestis gloriæ omnes à 4. mundi partibus convocandos, tubarum sonitu per angelos excitato: quare jam hoc bellum suscipe, & sacras ædes libenter frequenta. 2. Subjungent voces articulatas *surgite mortui*: quas ut securus tunc excipias, nunc angeli inspirationibus aurem præbe. 3. Collectis cineribus, & anima reunita corpori formato, sistent se justi glorioso corpore fulgentes per dotem agilitatis in aëre à dextris gloriosi judicis apud Angelos spectabili etiam forma decoros: improbi verò ad sinistram in terra portabuntur à dæmonibus tætro etiam corpore horrendis: expende nunc quas partes tunc optabis occupare.

Punct. III. His autem fieri incipientibus respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Consid. 1. sicut impijs signa illa & extremus dies maximè erit formidandus propter conscientiam male actorum, & instans gehennæ supplicium: ita justis gratissimum fore propter æternæ gloriæ coronam, ad quam convocantur. 2. Iustos qui nihil purgandum
Exod. 8. 19. habuerint, nihil etiam tunc passuros ex signis prævijs, sicut Hebræi in
Gen. 19. 24. Ægypto immunes fuêre à plagis Ægyptiorum, & *Loth* cum filiabus edu-
Gen. 6. 7. ctus ex igne Sodomitico, ac *Noë* è diluvio: ubi expende quanto solatio tunc futurum sit, pœnas peccatis debitas priùs persolvisse. 3. Sicut Christus hortatur hic suos ad gaudium de instante judicio universali, ita & de privato judicio in morte justis omnibus gaudendum, tanquam de termino miseriarum animæ & corporis, ac retributione æternæ securita-
Phil. 1. 23. tis, eoque adspirandum, cum Apostolo desiderante *Dissolvi & esse cum*
2. Tim. 4. 6. *Christo; ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat, bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam*
Psal. 83. 3. *reddet mihi Dominus in illa die justus judex. Concupiscit & deficit anima mea in atria*
Vers. 11. *Domini. Melior est dies una in atriis tuis super millia.*

DOMI-

De Extremo judicio.

Anno 34. Matt.21. in monte Oliv.

PUnct.I. *Aperientur libri*, sive conscientiæ cujusque, ubi Consid. 1. quàm periculosè & noxiè nunc occultes defectus tuos, etiam uni confessario aut superiori cū salute aperiendos, tunc verò palam omnibus sine ullo fructu ad majorem confusionem. 2. Quanta gloria sit futura iis, qui etiam in abscondito multa bona opera fecerunt, uno Deo inspectore ac remuneratore. 3. Licet opera mala justorum per pœnitentiam expiata etiam ibi manifestanda sint; tamen nullā ijs inde ignominiam creandam: contra verò improborum opera bona cessura iis ad majorem confusionem, eo quod viam rectam deserverint, & à bene cœptis destiterint. Apoc.20.12

Punct.II. Sententiam deinde Christus pronunciabit pro justis, quos benigno vultu & voce compellabit: *venite benedicti*, vos qui à me vocati ad Matt.25.5. crucem ferendam promptè venistis, & ad diem hunc tanto tempore anhelastis, venite nunc de valle miseriarum, de peccandi occasionibus, & pravorum hominum societate: *benedicti* non temporali aliqua benedictione ab Abraham, Moyse, aut alio de prophetis, sed à patre cælesti meo ac vestro æterna benedictione dotati: *possidete*, non ut ante, fortunæ bona, aut corporis, aut animi infinitis periculis perdendi obnoxia, sed *paratum* per infinita media & beneficia, per tot adhortationes & inspirationes, per piorum exempla, & impiorum punitiones, *vobis* amicis meis, domesticis, filiis, *regnum*, non gubernationem, aut principatum certæ ditionis, sed terræ totius, ac cæli universi, *à constitutione mundi*; jam enim inde sollicitus de vobis fui. Inde deprædicabit justorum merita, mirantibus illis tam exilia, tantâ mercede compensari.

Punct. III. Reprobi ex pronunciata sententia pro justis, attoniti & pavidi suam audient condemnationem: *discedite* vos qui toties à me invitati & vocati venire renuistis, & mundo ac carni maluistis adhærere quam mihi, nunc *nescio vos*, *à me*, patre vestro quem contempsistis, au- Matt.25.12 ctore vitæ quem neglexistis, à cælesti sede, à consortio beatorum & Angelorum, ab omni favore & beneficio meo, atque hæc pœna est damni. *Maledicti*, qui benedictionem meam in hac vita rejecistis, mundi verò ac carnis adamastis, maledicti in corpore ac sensibus, & membris omnibus, in anima & potentijs, in loco ac tempore & societate, *in ignem*: hæc pœna sensus est. Non igitur ut sitis cum Caïno profugi, aut cum Nabuchodonosore inter bestias, sed inter flammas & ardores maximè cruciantes, toto corpore & anima, quantumvis molles, & delicatuli, ibi habitabitis, volvemini & torquebimini: idque non ad diem, mensem, vel annum, sed *æternum*, sine ullo unquam fine etiam post millena annorum millia, quam diu Deus erit Deus. Illis denique peccata eorum præcipua, ac mala opera exprobrabit: attende ad hæc in tempore, ne luas in æternitate.

Anno 32. Junio in Naim.

Legatio Ioannis ad Christum. Matt. 11. Luc. 7.

PUnct. I. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Consid. 1. Joannem in carcere non de incommodis suis, sed de Christi gloria solicitum, mittere ad eum duos è discipulis suis, qui interrogent eum, num ipse sit Messias à Prophetis promissus; non quòd hic de eo dubitet, sed ut suorum ignorantiæ consulat, qui majorem de Joanne quàm de Christo opinionem conceperant: in quo imitare Joannis humilitatem, eosque quos instruis, non tibi, sed Christo conciliare stude. 2. Non refrixit zelus Joannis in carcere, sed exarsit magis; quare cave ne in tribulatione animum despondeas. 3. Retulit Joannes carcerem & vincula, quia erat magnus coram Domino; his Deus suos exornat, sicut rex nobiles suos torque vel cruce aurea, ita Christus catenis ferreis, & cruce ex tormentis, quia gloriosum est pati pro Christo.

Luc. sup. *Punct. II. Renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis.* Consid. 1. In ipsa hora, qua discipuli illi Joannis Christum accedebant, hunc coram iis multa miracula patrasse, atque ita opere comprobasse se esse verum Messiam promissum. Vide & tu ut non verbo tantùm, sed operibus atque imitatione virtutum Christi ostendas te Christianum esse; ex fructu enim arbor cognoscitur. 2. Hæc miracula in te aliisque spiritualiter quotidie à Christo renovari, cùm spirituales infirmitates nostras curat: nam *cæci vident*, cum accepto lumine fidei agnoscunt virtutum præstantiam & mundi vanitatem: *claudi ambulant* ad opera bona & cùm ad modestiam gressum componunt: *leprosi mundantur* à peccatis per gratiam: *surdi audiunt* verbum Dei & salutaria monita: *mortui* in peccatis *resurgunt* ad vitam gratiæ & gloriæ.

Isa. 35. 5. & 61. 1.

Punct. III. Pauperes euangelizantur. Consid. 1. Postremo loco adferri hoc signum Messiæ, zelum nempe & curam pauperum qui ab aliis contemnuntur, & in quibus cùm humanæ retributionis spes nulla appareat, sola animæ Deo maximè caræ præstantia spectatur: quare tu cum Christo libenter pauperes instrue, solare, & juva. 2. Pauperes præ ceteris aptiores esse ad salutem æternam, tum quia terrenis divitiis, quæ non levia secum trahunt impedimenta, expediti sunt; tum quia ad cælestes divitias adspirare coguntur. 3. Addit *& beatus qui non fuerit scandalizatus in me*: monet eos Christus ne ob externam paupertatis suæ speciem & humilitatem operibus suis fidem derogent, eò quòd splendidiorem apparatum in Messia expectarent: quare tu hanc Christi abjectionem tui amore susceptam potiùs venerare, magisque te ad ejus amorem & imitationem excita.

Christi de Ioanne testimonium. Matt. 11. Luc. 7. Anno 32. Junio in Naim.

PVnct. I. *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* Consid. 1. Christum post reditum discipulorum Joannis deprædicare hujus virtutes apud reliquos, ne coram discipulis adulari Joanni videretur. Felix autem qui laudatur à Deo potiùs quàm ab hominibus, quorum laudes vanæ, incertæ, & adulatoriæ; quare has contemne, ut illis potiaris. 2. Laudat Joannem à constantia, qua non instar levis arundinis vel populi applausu, vel Herodis metu flectatur, sed velut arbor firmis nixa radicibus, inter prospera & adversa virtutem retineat. *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam, esto firmus in via Domini.* Eccl. 5. 11. 3. Arundines symbola esse inconstantiæ; nam sicut illæ leves medulla carent, nascuntur in fluviis, & infructuosæ sunt; ita inconstantes carent pondere considerationis, caducis & transitoriis pascuntur, nec fructum ferunt bonorum operum.

Punct. II. Quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Consid. 1. Christū laudare deinde Joannem à vitæ asperitate, in qua suos potissimùm vult exerceri, & incommodis assuescere; nam mollis lectus, vestis & cibus etiam animum emolliunt & flectunt, qui duris erigitur. Hinc Joannes non aulam regiam quærebat, sed desertum: non opiparas mensas cum epulone, sed mel silvestre & locustas: non vestes pretiosas, sed cilicium è pilis camelorum: ita & Sancti omnes austeritatem & pœnitentias amplexi sunt, peccatores verò mollitiem & commoditates. 2. Spectabat Joannes & quærebat ornatum non corporis corruptibilis, sed animæ immortalis quæ corporis velut regina & domina est, idque per studium solidarum virtutum, quod & nobis sectandum.

Punct. III. Quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis plusquam Prophetam. Consid. 1. Laudari hîc Joannem à Christo ut eminentem Prophetam, qui non ut reliqui adventum Christi prædixerit, sed hunc præsentem agnum Dei compellaverit, & palàm digito demonstraverit: ubi expende dignitatem Sacerdotum, qui eundem sæpiùs populo ad salutem singulorum in Sacrificio præsentem exhibent. 2. Appellat eum Christus Angelum olim promissum, ob vitæ puritatem, studium orationis & rerum cælestium, ac contemptum terrenarum: *Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Matt. 3. 1. nam singulariter nunciavit ipse adventum Christi imminentem & præsentem, & sicut aulicus dignior Regem in pompa deambulantem immediatè præcedit, & post plures stellas Soli prævias sola illa quæ cum Sole procedit, Luciferi nomen obtinet; ita & Joannes nomen Præcursoris ac Nuncij.

DOMI-

Anno 31. Mart. 1. in Bethania ad Jordanem.

DOMINICA III. ADVENTUS. P. I.

Legatio Iudæorum ad Ioannem, & hujus primum de Christo baptizato testimonium. Ioan. 1.

PUnct. I. *Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum: Tu quis es?* Considera 1. Cur in tanta æstimatione fuerit Joannes apud Judæos, adeo ut eum Messiam esse suspicarentur, nempe ob singularem nativitatem, constantiam, vitæ asperitatem, ac zelum pro Dei gloria & proximi salute: ita non apud probos tantum, sed etiam improbos virtus in honore est. 2. Exquirunt multi aliarum rerum scientias, etiam aliorum vitia, suis ac se neglectis, sicut oculi, inquit Basilius, qui vident cetera omnia præter se: quare teipsum potius inspice & interroga: *Tu quis es?* obeundo 10. prædicamenta, & cum Deo comparatione instituta, 1. *Substantiæ*, quis tu, nisi pulvis & cinis, ac fons mali omnis & miseriarum, Deus verò fons omnis boni & perfectionis. 2. *Quantitatis*, pusillus es inter tot hominum milliones, & quasi nihil respectu Dei, cui proinde te subde. 3. *Qualitatis*, corruptioni corporis, ac vitiis animæ obnoxius, Deus autem puritas immutabilis. 4. *Relationis*. Filius Adæ per peccatum, sed Dei per gratiam. 5. *Actionis*, quid agas, num recta & rectè juxta divinæ legis præscriptum. 6. *Passionis*, corporis incommoda, afflictiones, & animæ tentationes quomodo sustineas, & quam parum hæc sint respectu dolorum Christi. 7. *Vbi*, in terra es inter cælum & infernum, ideoque cautè & sanctè ambulandum. 8. *Quando*, ad vitæ terminum, quo indies tendis, pervenies, & quando è vitiis resurges. 9. 10. *Situs & habitus*, Vide num modestiam corporis & vestitus serves statui convenientem, ac scias non veste, sed animæ sanctitate Christianum & religiosum constitui.

Punct. II. Et confessus est, quia non sum ego Christus. Ita & interrogatus se Eliam aut Prophetam esse negavit, ubi Consid. 1. astutiam dæmonis, qui postquam Joannem aliis machinis expugnare non potuerat, delatione honoris, & eximiæ excellentiæ studet superare: quare hos laqueos superbiæ evita. 2. Licet posset Joannes nomen Eliæ ac Prophetæ sibi assumere, utpote à Christo sibi attributum, negavit tamen ad sensum interrogantium, sciens plurimos affectatione honoris salute excidisse, quam ejus contemptores consecuti sunt: quare cave & tu jactare dotes animi aut corporis, naturæ aut gratiæ, nisi ea perdendi periculo exposita velis. Cave etiam admittere titulos indebitos vel laudes de bonis quibus cares, nec velis ab hominibus haberi vel dici major, vel melior, quam coram Deo sis.

Matt. 11. 14.

DOMI-

DOMINICA III. ADVENTUS. P. II.

Anno 31. Matt. 1. in Bethania ad Jordanem.

Ioannis de se & Christo testimonium ad legatos Iudæorum. Ioan. 1.

P*Unct.I. Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini.* Consid. 1. Joannem, declinatis honorum titulis sibi delatis, munus Præcursoris sibi à Deo demandatum sic agnoscere, ut nihil inde sibi, sed Deo per se clamanti totum tribuat: unde disce & tu virtutes ac dona tua, si quando aperire necesse fuerit, non tuæ, sed divinæ gloriæ tribuere. *Gratia Dei sum id quod sum.* contra quàm dicant superbi: *Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* 2. Erat Joannes vox, non ore tantùm, sed vultu, vestitu, conversatione, toto corpore, & animo Deum sonans, & ad ipsum omnes invitans: tales hortatores Christus requirit: quare & tu *clama, ne cesses,* clamet in te zelus animarum, ardor laborum, fervens oratio, sedula exhortatio, heroïcum *exemplum fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate:* clamet non iram, non vindictam aut minas, nisi fortè divinas, sed pœnitentiam: clamore autem, sive vehementia affectus opus est, ad peccatores longè à Deo dissitos convocandos.

1. Cor. 15. 10. Psal. 11. 5. Isa. 58. 1. 1. Tim. 4. 12.

Punct.II. Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Consid. 1. Incerta & vana mundi judicia, cùm hi Pharisæi priùs blandirentur Joanni, deferentes ei titulos Prophetæ atque etiam Messiæ, mox ut sacrilego insultant; unde cave fidere honoribus mundi: *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die; qui autem judicat me, Dominus est:* quare huic te proba si sapis. 2. *Respondit eis Ioannes: Ego baptizo in aqua, medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis.* Agnoscit baptismum suum sola aqua constare, vacuum Spiritu sancto ejusque gratia, qui conferendus sit per baptismum Christi, & gratia sua instar ignis efficaci mentes purget à vitiis & terrenis affectibus, illuminet ad exercitia virtutum, inflammet ad amorem Dei & ad cælestia rapiat: unde disce etiam extenuare opera tua, & magnificare aliena. 3. Christum stare in medio nostrûm, licet nescias, & observare quid agamus, imò & intimas cogitationes pervadere: quare excita in te vivam fidem Dei præsentis, & cave in ejus conspectu admittere ea, quæ in conspectu hominum non auderes.

1. Cor. 4. 3.

Punct.III. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti. Consid. 1. Joannem magis declarare Christi excellentiam, qui sibi quidem in prędicandi munere successurus sit, sed utpote ab æterno Patre sibi in honoris gradu prępositus, etiam doctrina & miraculis longè sit antecessurus. 2. Ioannem, licet à Christo exaltatus esset ad se & sacrum caput suum baptismo abluendum, tamen hîc demittere se infra pedes ejus, sic ut agnoscat se nequidem dignum ad præstanda ei vilissima obsequia famuli in solvendis calceis: quare & à Christo meruit deinde iterum exaltari: *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptista.* unde disce, si tu te humilias, te à Christo exaltandū.

Matt. 11. 11.

Feria 4. Quat. Tẽp. Adventus. Vide festũ Annunc. B. Virg. 25. Mart. Feria 6. vide festũ Visit. B. Virg. 2. Julij.

Anno 31. Januar. in deserto Judææ.

DOMINICA IV. ADVENTVS, ET SAB. PRIDIE. P. I.

Prædicatio Ioannis. Luc. 3. Matt. 3. Marc. 1.

PVnct. I. *Anno quintodecimo Imperij Tyberij Cæsaris factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.* Consid. 1. Notari hîc accuratè ab Euangelista tempus & locum, quo Deus Joannem excitavit ad prædicandum Christi adventũ. Magistratus etiam politicos & sacros enarrari, quibus Judęi tunc suberant, ut scias collata tibi à Deo beneficia & inspirationes etiam annotari, ac posteà de singulis rationem reddendã: quare ea nunc tecũ attentè expende. 2. *In deserto* eum latuisse ab infantia usque ad annum trigesimum abdicatis ac deliciis paternæ domus, cum singulari vitæ asperitate, quam tamen Deus cęlestibus solatiis reficiebat, sic ut desertũ, illi esset domus recreationis, spelunca instar cæli, solitudo occasio colloquendi cum Deo & Angelis: ama & tu vitæ asperitatem, ac secessum à curis mundanis & hominum strepitu, ut divinas inspirationes percipias. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* (Osea 2. 14.) 3. Inde evocatũ eum à Spiritu S. à quo & vocatus eò fuerat, ut priùs ibi se per studiũ perfectionis disponeret, quàm animos aliorũ ad excipiendũ Messiam: unde & tu disce priùs in oratione ac virtutum studio haurire spiritum vitæ cælestis, quàm eum proximo communices.

Punct. II. Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Consid. 1. Argumentum concionum ejus fuisse non mollia aut curiosa, sed pœnitentiam, quam ab omnibus exigebat tanquã necessariã peccatori pro conversione ad Deũ, & qua eos ad baptismum à se conferendum, præparatoriũ ad baptismum Christi disponebat. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu.* (Ioël 2. 12.) *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* (Luc. 13. 3.) 2. Hortatur eos tum spe regni cælestis citò referandi, neq; aliis armis expugnandi, tum timore irati Iudicis in adventu posteriore. *Quantum amandus est Deus ob pietatem Patris, tantum timendus ob majestatem Iudicis.* (Cyprianus.) Quare *ne tardes converti ad Dominum; subitò enim venit ira illius.* (Eccli. 5. 4.)

Punct. III. Consid. 1. Ad veram pœnitentiam in lege gratiæ requiri tres partes, dolorem, qui contineat propositũ emendationis; cõfessionem humilem, simplicem, & integram; ac satisfactionem: (Trid. sess. 14. can. 4.) quæ tria respondent triplici generi culparũ, cogitationis, oris, & operis, ac pro singulis petendam gratiã à divinis personis; pro dolore, ut perfectus sit, à Spiritu S. qui est amor; pro confessione, ut sit integra, à Filio, qui est sapientia; pro satisfactione, ut fortiter præstetur, à Patre qui est potentia. 2. Ad fructus dignos pœnitentiæ, quos S. Ioannes inculcat requiri à nobis non solùm executionem operis per confessarium impositi, sed insuper sedulam fugam peccatorum & occasionum; opera deinde bona, nominatim orationis, jejunij, & misericordiæ. *Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus.* (Cyprian.)

DOMI-

DOMINICA IV. ADVENTUS, ET SAB. PRIDIE. P. II. Anno 31. Januar. in deserto Judææ.

Prædicatio Ioannis. Luc. 3. Matt. 3. Marc. 1.

PUnct. I. *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Consid. 1. Omnes hîc moneri à S. Joanne ad præparanda corda pro Christo dignè excipiendo; nam vita nostra est via, per quam ipse ad nos venit, & nos ad illum; ac sicut pro solenni ingressu Regis aut Principis viæ sternuntur & æquantur sublatis obstaculis: ita & vitam seu corda nostra præparanda esse, sublatis obstaculis peccatorum, & inductis ornamentis virtutum, ad Christum Regem nostrum dignè & cum fructu animæ nostræ excipiendum. 2. *Semitas* ejus intelligi etiam posse vias perfectionum, quæ ipsum ducem deinde habuerunt in consiliis Euangelicis, metam, & præmiatorem, constantque observantia trium votorum, exercitio humilitatis, mortificationis, asperitatum, & omnium virtutum, ac proinde declinandam viam mundi latam, sordidam, & obliquam, *impij in circuitu ambulant*: Psal. 11. 9. sectandam verò viam arctam, mundam, & rectam, qua nobis præivit. *Viæ* Prov. 3. 17. *ejus viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ.*

Punct. II. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Consid. 1. Viam pro Rege Messia hîc à S. Joanne accuratiùs præscribi; ut nempe per pœnitentiam, velut generale instrumentum omnis vallis acediæ & pusillanimitatis impleatur solido fervore & fiducia in Deo. *Omnia pos-* Phil. 4. 13. *sum in eo qui me confortat.* 2. Ut montes superbiæ & colles inanis gloriæ deprimantur per humilem sui cognitionem ac diffidentiam; nam *Deus su-* Iac. 4. 6. *perbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* 3. *Et erunt prava in directa.* Monet nos pravas intentiones in actionibus ad honores & corporis commoda corrigere, atque in iis spectare unam Dei gloriam, ac salutem æternam nostram & proximorum: *Afferte Domino gloriam & honorem.* 4. *Et aspera in* Psal. 28. 2. *vias planas*: ut asperitatem & iracundiam in conversatione cum proximo commutemus in modestiam & mansuetudinem: *Deponentes omnem mali-* 1. Pet. 2. 1. *tiam, & omnem dolum, &c.* 5. Significari hîc etiam fructum piè excipientium Christum; nempe humiles instar vallis ab eo implendos donis cælestibus, & exaltandos, depressis superbis, & quæ priùs molesta & horrida nobis videbantur, postea per gratiam ejus facilia & plana reddenda.

Punct. III. Et videbit omnis caro salutare Dei. Consid. 1. Ingens solatium hîc omnibus promissum, ac proximè impletũ; visuros nempe eos clarè oculis corporeis mundi Salvatorẽ à Deo missũ, tot sæculis expetitũ, carne nũc nostra indutũ, & inter homines habitatem; imò & cujus benignã opem milleni essent experturi, quem deinde Joannes palàm digito demostravit, Pater cælestis è nubibus proclamavit, ipse verò Christus miraculis stupendis se illũ esse confirmavit. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* 2. Eũ- Luc. 10. 23. dem & nos habere nunc præsentẽ in Ven. Eucharistia, promptũ in omni necessitate perfugiũ; ideoq; cum omni reverentia, fide, ardore & fiducia ad eum recurrendum.

Anno 1.
Febr. 1.
Jerosol.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Simeonis & Annæ de Christo in templo vaticinia. Luc. 2.

PVnct. I. *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël.* Consid. 1. Post læta à Simeone de Christo Deiparæ prænunciata, mulieri tristia, qui cursus est vitæ humanæ, ut discas nec in lætis animo extolli, nec in adversis deprimi, sed contra illa per modestiã, contra hæc per patientiam animum præmunire. 2. Christum ex parte sua nulli fuisse in ruinam, sed omnibus, qui credere voluerint, in resurrectionem ad vitam meliorem: incredulos verò ac nominatim Judæos, vitio suo ruituros à Dei cognitione, obedientia, & spe salutis in cæcitatem, rebellionem, ac desperationem: tu sic vive ut Christus tibi etiam in resurrectionem natus sit. 3. Addit Christum fore *in signum cui contradicetur*, velut scopum blasphemis Judæorum linguis impetendum, ac vexillum fidelium impetendum ab impiis, propter exemplarem vitam, doctrinam, mortem, ac miracula per se suosque patranda: tu vide cui parti te jungere velis, & scias te non fore Christi militem, nisi sub hoc signo contradictionis.

Punct. II. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Consid. 1. Exprimi hîc ingentem dolorem quo Deipara affligenda erat, potissimùm in Filij passione, in quo voluit Deus eam Filio assimilari, ne & tu frustra speres te hîc ab afflictione fore immunem. 2. Quantus fuerit ejus dolor colligendum ex amore quo in Christum ferebatur, eoque triplici, tum *naturali* in unigenitum suum, forma speciosum, indole amabili, sensu tenerum, ac regni heredem: tum *acquisito* ex usu 30. annorum, suavissimis alloquiis, amore mutuo, & tot mysteriorum communicatione: tum *supernaturali*, cùm sciret esse Deum simul & hominem, fontem gratiarum, mundi redemptorem, ac de omnibus optimè meritum: quare quot sensus doloris ejus ex atrocitate tormentorum toto corpore, ex blasphemiis & opprobriis, tot ipsa doloris gladios in animo percipiebat. 3. Huic accedebat, Virginem fuisse ad miserandum maximè pronam, & tenerrimę in omnes pietatis, sic ut Regina Martyrum ab Ecclesia meritò appelletur.

Punct. III. Et erat Anna Prophetissa, quæ superveniens confitebatur Domino. Consid. 1. Deum nullam habere acceptionem personarum, sexûs, ætatis, aut conditionis, sed tantùm virtutis: quare scias etiam tibi accessum patere ad perfectionem. 2. Senes hîc duos proponi, Simeonem & Annam, ut scias in virtutum studio perseverandum tibi usque ad vitę finem, quo dignus sis Christum conspicere. 3. Attende virtutes, ob quas hæc meruerit Christum videre; quippe præter insignem castimoniam, *non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die.* Iisdem & tu libenter vaca.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ. P.I.

Anno 12. Martio Jerosol.

Christus à parentibus invenitur in templo. Luc. 2.

PUnct. I. *Cùm factus esset Iesus annorum 12. ascendentibus illis Hierosolymam, secundùm consuetudinem diei festi, consummatisq́, diebus cùm redirent, remansit in Hierusalem.* Consid. 1. Piam consuetudinem Deiparæ quotannis adeundi templum Hierosolymitanum cum Jesu & Josepho, licet ipsa minimè eò obligaretur, sed soli viri, ut discas etiam opera pietatis facere ad quæ non teneris. 2. Quomodo in via nunc sermonibus piis miscendis, nunc Psalmis recitandis, nunc accensis desideriis & affectibus molestias itineris sublevarint. 3. Attende eos in templo orationi ac sacrificiis solennibus intentos summa reverentia externa & interna, etiam ad plures horas orationem sine molestia protrahentes, idque tota hebdomade Paschali, ut discas diebus festis plus temporis impendendum divino cultui. 4. *Remansit* autem *Iesus in Hierusalem*, ut exemplum præberet tum filiis, obsequium Dei præponendi solatiis parentum; tum parentibus solatia sua ex præsentia filiorum similiter illi postponendi.

Punct. II. Parentes requirebant eum inter cognatos & notos. Consid. 1. Ingentem dolorem & anxietatem parentum de filio tali perdito, quot gemitus, quot lachrymas fuderint, expendentes secum num aliquam fortè culpa sua occasionem dedissent hujus jacturæ: tu vide num ita doleas de Christi familiaritate ac solatio per defectus tuos deperdito. 2. *Regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum.* statim nempe incœnati, nocte media, iter diei remetientes; ubi attende eos dolori junxisse omnem diligentiam & studium inveniendi: unde disce Christum quærendum statim, non dilata pœnitentia, diligenter, dolenter, & constanter donec inveneris. 3. Sicut Christus perditus hîc est festis Paschalibus, ita non raro eum spiritualiter perdi in prosperis, & quæri in adversis.

Punct. III. Invenerunt illum in templo. Consid. 1. Christum non inveniri inter propinquos, nec inter honores aut commoda, sed *in templo*, ut ibi scias ipsum invenire; imò & cor tuum fac locum orationis, ubi cum ipso sis. 2. *Invenerunt illum in medio Doctorum audientem illos & interrogantem.* Ubi Consid. Christi sapientiā in quæstionibus ponendis de Messiæ adventu, quæ tunc maximè vigebant, & in responsis dandis, simul modestiam sine jactantia, & observantiam Doctorum: tu alios etiam libenter audi & interroga, etiam ipsum Christum, ea quæ affectus suggerit. 3. Amanter & piè queritur Mater de subducta præsentia: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Cave ne & tibi à primo fervore deficienti pariter illa queratur: *Pater tuus* Jesus, *& ego dolentes quærebamus te.* Cui responde: *Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum.* Psal. 118. 176.

Anno 12. Martio Jerosol.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ. P. II.

Redit Christus in Nazareth. Luc. 2.

P*Unct. I. Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Consid. 1. Christum subditum fuisse parentibus, non ex debito; nam ob dignitatem personæ, utpote Deus eorum & Dominus, exemptus erat ab omni subjectione; sed ut nobis exemplum daret obedientiæ. 2. Quomodo obedierit, perfectissimè quoad intellectum, voluntatem, & executionem, non expectando imperium, sed nutum præveniendo Deus hominum, ut
Luc. 10. 16. tu homo vilis similiter obedires ad nutum Dei. nam *qui vos audit, me audit.* 3. Hinc discamus & nos juxta monitum S. Ignatij odedire *cum magna celeritate, spirituali gaudio, & perseverantia, quidquid nobis injunctum fuerit obeundo, omnia justa esse nobis persuadendo, omnem sententiam ac judicium nostrum contrarium cæca quadam obedientia abnegando.*

Punct. II. Et proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Consid. 1. Christum profecisse non augmento gratiæ, cùm à prima sua conceptione habuerit omnem plenitudinem & gratiæ, & sapientiæ: sed sicut Sol in se æquè clarus, inclarescere dicitur, dum propiùs accedit, ita & ipsum externis virtutum signis profecisse. 2. Alios bene incipere cum Christo, sed mox retrò respicere; alios proficere, sed lentè & flaccidè; alios coram hominibus tantùm ad inanem gloriam, sed non coram Deo: Christum verò atque etiam Deiparam & Josephum profecisse de virtute in virtutem alacriter, & constanter, coram Deo & hominibus, ut & hi cælestem Patrem inde glorificarent: ita & tu proficere stude.

Punct. III. Consid. 1. Christum ab anno 12. usque ad 30. multa præclarè egisse ac dixisse, nihil tamen horum relatum ab Euangelistis, nisi hoc postremum, *Erat subditus illis, & proficiebat,* ut tu etiam hæc duo assiduè in te exprimas, in omni loco & munere, in prosperis & adversis. 2. Ipsum cum Josepho, atque etiam post hujus mortem verosimiliter exercuisse artem fabrilem; unde Judæi: *Nónne hîc est faber, filius Mariæ?* idque ad exem-
Marc. 6. 3.
plum humilitatis, jungendo actus internos illustrium virtutum, cùm opere externo, eaque offerendo Patri cælesti. 3. Latuit Christus per tot annos, actionibus in speciem abjectis occupatus, ut scias actiones tuas non à vilitate aut præstantia materiæ, sed ab affectu æstimandas, nec quidquam esse vile in domo Dei, quod Dei Filius exemplo suo dignatur & imperio, modò ad excelsum hunc finem generoso affectu dirigatur.
Eccli. 33. 23. *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* 4. Christum hoc diuturno silentio non minùs nos docere, quàm posteà verbo, & ostendere plus temporis tribuendum exercitiis virtutum ad profectum proprium, quàm iis quæ diriguntur ad alienum, ut absque jactura aliis benefacias. Disce igitur libenter in silentio latere, dum Deus aliter de te disponat.

DOMI-

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM. P. I.

Anno 31. Mart. 7. in Cana Gal.

Christus in nuptiis aquam convertit in vinum. Ioan. 2.

P*Vnct. I. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mater Iesu ibi; vocatus est autem & Iesus, & discipuli ejus.* Consid. 1. In nuptiis hisce sponsum fuisse aliquem de consanguineis Christi, quibus proinde B. Virgo etiam interfuit, Nazaretho adveniens, trium horarum itinere: opta & illam tecum habere in omnibus tam prosperis quàm adversis. 2. Christum his nuptiis voluisse interesse cum discipulis, tum ut illas præsentia sua approbaret & sanctificaret, utpotè in Sacramentum à se proximè elevandas, tum ut nos doceret cognatos pauperes non despicere, tum ut ansam ibi captaret primi miraculi palàm patrandi pro felicibus auspiciis suæ prædicationis. 3. Christum sic honorasse nuptias, ut virginitati ac continentiæ, quam in Matre sua & Josepho adamaverat, nihil vellet derogatum; imò hanc velut aurum argento longè præferret. 4. Scias etiam animam tuam per baptismum, ac deinde magis per vota religionis Christo desponsatam, ac proinde sicut olim caput nubentibus obnubebatur, ita & intellectum tibi obnubendum velo fidei, affectibus deinde spei & caritatis illi constanter adhærendum, ac vicissim te ab illo suavissimis ac purissimis gaudiis cumulandum.

Punct. II. Deficiente vino dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Consid. 1. B. Virginem his verbis modestè petere ex caritate ab eo, quem sciebat bene velle, & sibi & iis pro quibus petebat, ut inopiam pauperum sublevaret, & honori consuleret, sicut sorores Lazari: *Quem amas, infirmatur*, infirmitatem exponunt, & cetera amori relinquunt: tu etiam hanc Virginem in tuis necessitatibus apud Filium patronam adhibe, maximè dum deest tibi fervor pietatis & devotionis. 2. Reponit Christus: *Quid mihi & tibi est mulier?* significans in iis, ob quæ à Patre missus est, nempe patrandis miraculis, nihil tribuendum affectibus humanis, idque verbis in speciem asperioribus, ut doceret Apostolos præsentes, virosque Apostolicos non solicitandos cura carnalium propinquorū: quare etiam neque hîc, neque alibi eam Matris nomine appellat, sed mulieris. 3. Subdit: *Nondum venit hora mea;* tempus nempe à cælesti Patre decretum ad miracula patranda, licet jam proximè instaret, ubi palàm constitisset de præsenti necessitate: tu cave ne tēpus tibi à Deo constitutū impatienter prævenias. Ioan. 11. 3.

Punct. III. Dicit Mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Consid. 1. B. Virginis fiduciam ac magnanimitatem, qua cōfidebat fontem pietatis Matri opus pium piè postulanti minimè denegaturū: quare & tu cùm non statim exaudiris, ne spem abjicias. 2. Prudentiam, dum pro obtinendo miraculo à Christo, requirit ab illis perfectam obedientiam: *Quodcumque dixerit, facite;* ita & tu, si Virginis patrocinio frui velis, hoc ejus mandatum de præstanda obedientia observa.

DOMI-

Anno 31. Mart. 7. in Cana Gal.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM. P.II.

De Nuptiis in Cana Galilææ.

PUnct. I. *Implete hydrias aqua.* Consid. 1. Consuetudinem Judæorum frequenter, nominatim super mensa, abluendi manus & calices, puritatis ac religionis caussa, ideoque positas hîc in cœnaculo de more hydrias sive vasa aquaria ampla sex, aquis plena: tu disce hinc majorem habendam curam munditiei internæ, nominatim sub tempus mensæ sacræ. 2. Jubet Christus eas jam partim exhaustas impleri aqua, tum ut ostenderet se in beneficiis præstandis dispositionem ac cooperationem nostram requirere; tum ut ministros testes haberet miraculi patrandi. 3. *Impleverunt eas usque ad summum.* Ubi attende cæcam, simplicem, & perfectam obedientiam. Non interrogant cur, seu caussam præcepti, sed simpliciter obediunt, atque inde haurientes offerunt Architriclino.

Punct. II. Ut gustavit Architriclinus aquam vinum factam, vocat sponsum, &c. Consid. 1. Potuisse Christum de nihilo vinum creare, sed ut miraculum esset magis spectabile, voluisse eum aquam ab ipsis haustam, & quidem copiosam, in vinum convertere; in quo potentiam ejus & benignitatem expende. 2. Licet hoc miraculum meritò admirandum omnibus sit, tamen eum quotidie in mundi gubernatione, ut ait August. non minora præstare, dum aquam in vitibus convertit in vinum, terram in frumentum, & hoc in carnem nostram, quæ non minoris potentiæ argumenta sunt; quia tamen magis obvia, assiduitate viluerunt. 3. Sicut deficiente vino naturali Christus substituit miraculosum, ita deficientibus mundi solatiis succedere divina, & hæc deficere cùm nimis quæruntur humana; unde Bernardus: *Non miscentur vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terram.*

Punct. III. Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Consid. 1. Sub hac communi mundi consuetudine, quæ allegatur, apponendi initio mensæ vinum bonum ac sapori gratum, & posteà deterius, significari ejusdem mundi fraudem etiam in ceteris, qua proponit primùm voluptates, honores, divitias; deinde verò amaritudines, conscientiæ remorsum, ac æternam damnationem, ut apparuit in divite Epulone, ac proinde finem semper in omnibus spectandum. 2. Dum subdit: *Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc,* doceri nos, Christum contrà facere, dum reservat nobis vinum optimum cælestis gloriæ in finem post hanc vitam, & dat hîc amara condita dulcibus, sed posteà omnia dulcissima; nunc parum fellis, seu posteà torrentes mellis: *Lazarus recepit mala in vita sua, nunc autem consolatur.* (Luc. 16. 25.) Elige igitur vel vinum mundi, vel Christi, & dic cum Augustino: *Hîc ure, hîc seca Domine, modò in æternum parcas.*

DOMI-

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM. P.I.

Anno 32. Maiõ in agro Capharnai.

Leproſus mundatur. Matt. 8. Marc. 1. Luc. 5.

PVnct. I. *Leproſus veniens adorabat eum dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare.* Conſid. 1. Chriſto deſcendenti de monte in civitatem proximam Capharnaum, inter frequentem turbam implorantium ſanitatem, occurriſſe etiam leproſum, qui morbus erat in Judęa frequens, partim naturalis, partim ex peculiari Dei punitione, gravis & communiter incurabilis, præter ſcabiem in corpore, reddens vultum luridum, & halitum fœtentem, quò vicinos inficiebant: tu cave à lepra ſpirituali, quæ eſt omne peccatum, ac nominatim invidia. 2. Cùm hic ſpem non haberet in ope humana, recurrit ad Chriſtum, eum genuflexo adorans, inde etiam in faciem procidens, ſic ut partim ex auditis ejus miraculis, partim ex interna illuminatione eum Meſſiam agnoſceret: tu vide qua reverentia interna & externa Deum in oratione alloquaris. 3. Erumpit in hæc verba: *Domine, ſi vis, potes me mundare*: non ait, ſi Deum roges aut Sanctorum patrocinia, ſed *ſi vis*; nam poteſtatem divinam habere credit, quam ut ſibi velit impendere, ſubmiſsè rogat. 4. Rogat tamen cum reſignatione; nam preces ſuas ſubmittit benignæ voluntati Chriſti, ut ſi velit curet; ſi non probet, non curet: ut & tu in morbis, ceteriſq; adverſis diſcas non petendā liberationem, niſi cum conditione, ſi Deo placeat, & ſaluti tuę proſit.

Mar. Luc. } ſup.

Punct. II. Et extendens Ieſus manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Ubi Conſid. 1. Chriſtum in hoc tactu voluiſſe oſtendere ſalvificam vim carnis ſuæ, quam reverêre & implora potiſſimûm in Ven. Sacramento. 2. Dicendo *volo*, oſtendit Chriſtus pietatis clementiam, per *mundare*, majeſtatis potentiam; nam *confeſtim mundata eſt lepra ejus*, factuſque eſt vegetus & validus animo & corpore; nam quos Chriſtus ſanabat corpore, ſanabat & animo, ut perfecta eſſent opera ejus, qui liberalitate ſua ſupplicum merita excedit, & vota; unde nos etiam diſcamus idem facere, atque in ipſum & proximū eſſe liberales. 3. Docuit nos etiam Chriſtus hoc tactu ſuo corporalē leprā non eſſe abominandā, ſed ſpiritualem, pro qua in te curādā utramq; manū ſuā extendit in cruce, eamq; ſanguine ſuo abluit.

Punct. III. Et ait illi Ieſus: Vide nemini dixeris, ſed vade oſtende te Sacerdoti. Conſid. 1. Chriſtum, dum prohibuit hoc miraculū ſuū evulgari, voluiſſe docere Apoſtolos præſentes non captandam vanā gloriam ex operibus bonis, quę cùm nos celamus, Deus manifeſtat cū majori aliorū ędificatione & gloria noſtra. 2. Cùm jubet eū oſtendere ſe Sacerdoti, ut ab eo juxta legem declaretur mundus à lepra, & ſic cōmuni hominū convictui reſtituatur, oſtendit ſe nolle derogare quidquā dignitati ſacerdotali, ſed iis deferendū; maximè verò Sacerdotibus legis novæ, quibus erat poteſtatem collaturus nō tantùm declarādi, ſed verè tollendi leprā ſpiritualem. Iis igitur te ſiſte, dū lepra infęctus es, cū humilitate & fiducia, atq; offer pro munere animi dolorem, ac propoſitū emendationis. Lev. 14. 2.

Et Feria 5. post Cineres, & votiva pro infirmis.

Christus sanat puerum Centurionis, à paralysi. Matt. 8. Luc. 7.

P*Unct.I. Cùm intrasset Christus Capharnaum, accessit ad eum Centurio vocans eum, & dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Consid. 1. Puerum hunc servum fuisse Centurionis, Præfecti præsidio Romanorum, cui hic carus erat ac pretiosus, jamque morti proximus, ideoque missos primùm ab eo seniores Judæorū Christum rogaturos, *ut veniret & salvaret servū ejus*, qui allegabāt ad hoc Centurionis gentilis merita, ob quę Christus petitioni statim annuens, inquit: *ego veniā & curabo eū.* Ubi attende quanti referat habere patronos caussæ suæ, & quæ merita tua allegari possint. 2. Hęc opera pietatis à Centurione pręstita obtinuisse illi ulteriores gratias ad lumē fidei, & præsens beneficiū. 3. Promptitudinem Christi ad sanandū servū Centurionis, duritiem verò in sanando filio reguli, ut scias eū promptiorem ad eos, qui magis mundo sunt contemptibiles.

Luc. sup.

Ioan. 4. 48.

Punct. II. Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Consid. 1. Centurionem hunc è gentilibus primum post Magos Christi fide illustratum, post missos ad eum seniores Judęorum, atque inde etiam alios amicos, ipsum Christo propiùs domum accedenti occurrisse, & viva fide ac profunda humilitate, suique diffidentia, exposuisse indignitatem suam, non tantùm ut Christus ad se accederet, sed *& meipsum*, inquit, *non sum dignum arbitratus ut venirem ad te*, inde erecta in illum fiducia solo verbo & imperio sanitatem servo conferendam implorat. 2. Cōfirmat Centurio fiduciam suam; *nam*, inquit, *& ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit*: significans se licet Tribuno suo atque etiam Cęsari subjectum, tamen à subditis suis, si quid iis imperaret, mox obtinere; quantò magis Christus omnium Creator & Dominus à creaturis suis quidquid voluerit, imperio obtinebit! disce hîc perfectam obedientiam ab omni creatura ad imperium Dei, & cum Centurione priùs alteri rectè subesse, quàm ut aliis imperes.

Luc. sup.

Punct. III. Non inveni tantam fidem in Israël. 1. Ita Christus admirabundus fidem Centurionis, qua Judæorum omnium, qui tamen tot adjumentis instructi fuerant, fidem superabat: cave tu ne fortè etiam homines sæculares superent te in studio virtutū. 2. Confirmat dictū suū Christus: *Multi ab oriente & occidente venient*, homines gentiles, *& recūbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorū*, admissi ad cæleste conviviū: *Filij autē regni*; nempe Judæi, ex Patriarchis oriundi, quibus regnū Ecclesię militātis & triūphantis erat destinatū, quia refractarij *ejicientur in tenebras exteriores*, profundissimas inferorū, *ubi erit fletus*, ex dolore cōmissorum, *& stridor dentium* ex vehementia tormentorū: jam verò cum filij regni sint Christiani, ac nominatim religiosi, tu fac opera quæ decent filium regni, ne cum Judæis pariter excludaris.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Anno 32. Martio in mari Gal.

Christus sedat tempestatem maris. Matt. 8. Marc. 4. Luc. 8.

PVnct. I. *Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Consid. 1. Christum serò vespere dimissis turbis, conscendisse navem cum discipulis ut transfretaret in ripam oppositam, ibique ortam tempestatem, quam permisit ipse velut præludium tempestatum secuturarum, utq; infirmitatem suam discipuli agnoscentes ad ipsum recurrerent, ejusque potentiam agnoscerent, forte etiam, ut ait Ambros. ob præsentiam Judæ proditoris. 2. Vitam nostram esse quasi mare ventis tentationum, fluctibus pravorum affectuum, ac perpetuæ vicissitudini, & piratis infernalibus obnoxiam, eoque magis, quò est portui vicinior: quare horum insidias & insultus evita, vide quomodo te geras inter prospera & adversa, atque ad portũ cælestis patriæ spem ac desideria dirige. 3. Licet sis in navi Ecclesiæ vel etiam religionis cum Christo, nõ ideò tamen te immunem fore à tentationibus, imò sæpè iis magis expositum; nam *omnes qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* 4. *Iesus verò dormiebat in puppi super cervical.* Ecce felicitatem securæ conscientiæ, quæ in mediis fluctibus requiescit super cervical divinæ providentiæ, suffultum fiducia & resignatione, *Dominus regit me. Non contristabit justum, quidquid ei acciderit:* contra verò conscientia mala nusquam quiescit, timens ubique criminum pœnas, ipsa sibi furiæ & faces, testis & Judex, & recordatione delictorum, quasi vulturis morsu viscera sibi laniat.

2. Tim 3. 12. Marc. sup. Psal. 22. 1. Prov. 12. 21.

Punct. II. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, & suscitaverunt eum dicentes: Domine salva nos, perimus. Consid. 1. Optimè quidem fecisse discipulos recurrendo in tempestate ad Christum pro auxilio, malè tamen quod cum defectu fidei & fiduciæ, quasi dormiente in Christo humanitate, etiam dormiret divinitas: *Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israël.* 2. Tribulationes efficacissimum esse ad orationem excitamentum, in quibus fides, spes, & caritas justorum probatur.

Psal. 120. 4

Punct. III. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Consid. 1. Christum hic reprehendere discipulos de vano timore, & exigua fide, ut scias discipulos Christi esse adversis exercendos, & reprehensiones, ac monita Superiorum tuorũ patienter ac benignè excipere. 2. *Tunc surgens imperavit ventis & mari,* dicens *tace, obmutesce: & facta est tranquillitas magna.* Ubi agnosce & venerare tantam Christi potentiam, ac roga eum ut in te etiam reprimere velit ventos tentationum, ac fluctus pravorum affectuum. 3. Quàm facilè sit Deo cõvertere adversa in prospera, ut fecit cũ Jobo post plagas, cũ Daniele, Josepho, Mardochæo, & aliis. 4. *Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Quàm igitur iniquum, ut ubi omnes aliæ creaturæ Creatori suo ad nutum obediunt, solus homo, quia libertate donatus, qua cæleste præmium consequatur, ei recalcitret.

Marc. sup.

Anno 32. Julio ad mare Galil.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Christus parabola zizaniorum monet in Ecclesia malos miscendos bonis, eosq; tolerandos. Matt. 13.

PUnct. I. *Simile est regnum cælorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo.* Consid 1. Christum parabolæ hujus explicationem dedisse, sic ut significet se esse qui seminat in hoc mundo velut agro homines justos & pios, tanquam semen bonum: diabolum verò miscere impios velut zizania, justis insidiantes: ubi expende num in te habeas proprietates boni seminis, quæ sunt crescere in virtute, ferre fructus bonorum operum, & alios Christo generare. 2. Insinuare hîc Christum suis Apostolis, non esse gloriandum, quasi ipsi mundum converterint, cùm dicit se esse auctorem boni seminis jacti; neque illis etiam animum despondendū, ubi fructus non responderit, cùm ipse per paucos deinde plures possit convertere, sicut per 8. conversos in Hispania à S. Jacobo, regionem deinde integram convertit. 3. Etiam animam cujusque fidelis esse agrum, in quo Christus injicit bonum semen salutaris inspirationis, quod stude excipere, conservare, & fovere: diabolum verò eniti ut superseminet tanquam zizania, pravas suas suggestiones; quibus te vigilanter ac strenuè oppone, & injectas mox stude excutere ne crescant.

Punct. II. Cùm dormirent homines, venit inimicus ejus & superseminavit zizania. Consid. 1. Dæmonem sicut dormientibus Prælatis Ecclesiæ & Superioribus excitat improbos ad insectandos & pervertendos probos; ita & animam cujusque torpore & acedia oscitantem pravis suggestionibus inficere. 2. Sicut Deus amator lucis intellectum illuminat; ita dæmonem tenebrarum eas menti offundere, quò accedente tunc somno torporis, ac negligentiæ, fructum omnem enervat; ideoque studet, inquit Hieronymus, vigilantes animas sopire. Cautè igitur te gere tempore tenebrarum, seu tentationis, ac fuge inertiam, quia inimicos habes insomnes, semperque vigilantes ut noceant. 3. Exquire ex te post tantam abundantiam gratiarum & donorum cælestium in corde tuo effusam; *unde ergo habet zizania,* tot vitia & defectus? caussas examina, & remedia statue.

Punct. III. Vis imus & colligimus ea? Consid. 1. Ita loqui viros zelosos in Ecclesia ad tollenda scandala infideliū & peccatorum, idq; zelo laudabili, tum quia offerunt se ad mala impedienda, tum quia motu proprio id agere nolunt, sed cum approbatione Superiorū. 2. Non carpit zelū Christus, sed intempestivum vult prudentia temperari & maturescere. *Sinite,* ait, *utraque crescere.* Tum ut mali emendentur, & ex zizaniis fortè fiant cum Paulo electum triticum, tum ut boni per malos exerceantur; nam tolle tyrannos, & deerunt Martyres. In quo paternam Dei providentiam agnosce.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Anno 32. Julio ad mare Galil.

Christus parabola grani synapis & fermenti ostendit propagationem suæ Ecclesiæ. Matt. 13. Marc. 4. Luc. 13.

P*unct. I. Simile est regnum cælorũ grano synapis.* Consid. 1. Christum comparare hic Ecclesiam ac doctrinã suam cum grano synapis, in speciem quidem exiguo, sed quod posteà per Palęstinæ regiones in altitudinem arborum excrescit: ita & Ecclesiam ac doctrinam suam, specie primùm vili & abjecta, *Iudæis scandalum, gentibus autem stultitiam,* posteà per orbem universum extendendam. 1. Cor. 1. 23. 2. Sicut granum illud est natura igneũ & mordax, expellit humores, provocat spiritus & lachrymas: ita & doctrina Christi ad cælum excitat, mordet peccatores, expellit errores, provocat virtutes & lachrymas pœnitentiæ. 3. Etiam Christum esse granum synapis, ac nominatim in Ven. Eucharistia, satum in utero B. Virginis, acre contra peccatores, contritum in passione, exaltatum verò in resurrectione & ascensione: itaque & fideles omnes debere assimilari huic grano, ut parvi sint humilitate, magni ardore fidei & caritatis, contriti tribulatione, atque in cælum & proximum se extendant. 4. Quæ mundus æstimat vilia & abjecta, sæpè virtute & fructu esse magna & ampla: quare non mundi, sed Dei de iis judicium spectandum esse. 5. Mundus à magno incipit, & in nihilum desinit: contrà verò Christus ejusque doctrina, à paupertate, tribulatione, & cruce ad divitias, honores & gaudia: quare ne initia spectes, sed finem. 6. Noli parva negligere nec in virtutibus, nec in vitiis, cùm haustus etiam aquæ frigidæ mercedem operetur æternam, & parva scintilla magnum incendium.

Punct. II. Simile est regnum cælorum fermento. Consid. 1. Sicut fermentum, dum farinæ miscetur, eam calore & acore suo diffundit, elevat, & sapidam reddit: ita & doctrinam Christi se virtute sua dispergere, corda sursum excitare, ac Deo grata reddere. 2. Operatur illud etiam per tria sata seu farinæ modios: ita & hæc per tres orbis partes, per quas se extendit; tum etiam in quolibet homine occupare debet tres animæ potentias, ac triplicem appetitum, rationalem, concupiscibilem, & irascibilem, eosque virtute sua imbuere. 3. Sicut fermentum illud purum maximè utile est: ita impurum ac corruptum maximè noxium, & à Christo in Pharisæis sæpiùs damnatum, quo hæresis, ac doctrina falsa, superbia, hypocrisis, ac cetera vitia designantur; & quia de hoc etiam *modicum totam massam corrumpit,* ita & vitia primùm modica, posteà sæpè graviter nocent. 1. Cor. 5. 6.

Anno 34. Febr. iii Bethabora.

Monet Christus cooperandum gratiæ, parabola de operariis vocatis ad vineam. Matt. 20.

PUnct. I. *Simile est regnum cælorum homini patri-familias, qui exiit primo manè conducere operarios in vineam suam.* Consid. 1. Ecclesiam hodie auspicari tempus luctus, intermissis in sacro Canticis lętitię, ad recolendam Christi passionem, ideoque proponere nobis parabolam de operariis conductis ad excolendam vineam, qua monemur ad obsequendum Deo vocanti, & cooperandum gratiæ nobis per passionem promeritæ; nam *omnis arbor quæ non facit fructum bonum exscindetur.* 2. Comparari hîc à Christo Patrem cælestem patri-familias conducenti operarios mercede, in quo attende Dei liberalitatem; licet enim omnis opera nostra & obsequiū ipsi penitùs obstricta sint titulo & creationis, & redemptionis; tamen ad cōmunicandas nobis divitias bonitatis suæ, & addendum nobis acriorem stimulum, voluit insuper addicere nobis amplissimam mercedem cælestis gloriæ. 3. Operam à nobis desideratam aptè comparari operæ vinitorum, qui molestos labores & assiduas curas debent impendere in vinea putanda, purganda, alliganda, munienda, ac tandem vindemianda & torculari subjicienda, ut optatum fructum consequantur: ita etiam assiduè advigilandum culturæ animæ nostræ ac proximi. 4. Felicitatem eorum qui *primo manè*, in prima ætate à Deo vocati sunt: *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua*, siquidem annis laborū studiū fervoris adjunxerit.

Matt. 7. 19.
Thren. 3. 29.

Punct. II. Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro otiosos. Consid. 1. Paternam Dei solicitudinem in hominibus vocandis ad salutem, diversis mundi ætatibus per Adam, Noë, Abraham, Moysen, ac tandem per filium suum; ita & diversis ætatibus vitæ nostræ in adolescentia, juventute, virili ætate, senectute, ac vitæ fine: tu gratias Deo age de vocatione tua, & quidem eo fortè tempore, quo id minùs merebaris. 2. Non tamē vocari singulos omni hora: quare *hodie si vocē ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Quæretis me & non invenietis: clamabit, & non exaudiam.* 3. Reprehendi otiosos: *Quid hîc statis tota die otiosi?* Nam *multam malitia docuit otiositas.* De qua idem Sapiens: *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totū repleverant urticæ, & operuerant superficiem spinæ, & maceria lapidum destructa erat:* ita per neglectum animæ pullulare vitia, & sepimentum votorum everti.

Psal. 94. 8.
Ioan. 7. 34.
Prov. 21. 13.
Eccl. 33 29.
Prov. 24 30

Punct. III. Voca operarios, & redde illis mercedē. Consid. 1. Dari tantùm mercedē *cum serò factū esset*, nempe in fine vitæ, post labores cōstanter impēsos: quare frustrantur ea desides & incōstantes. 2. Mercedis amplitudinem: *Ego,* inquit Deus, *merces tua magna nimis. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futurā gloriam.* 3. Fore tamen beatos in gloria dispares pro ratione meritorū; nam *reddet unicuique secundùm opera ejus.* Et *qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus,* liberaliter, *de benedictionibus & metet.*

Gen. 15. 1.
Rom. 8. 18.
Matt. 22. 67
2. Cor. 6.

DO-

Anno 34. Febr. in Bethabora.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ. P. II.

De Operariis conductis ad vineam. Matt. 20.

PVnct. I. *Erunt novissimi primi.* Consid. 1. Sicut Christiani vocatione ad fidem posteriores Judæis, hos tamen in cælesti gloria ut plurimùm præcedent: ita & ex Christianis multos serò, sed seriò cùm latrone in cruce ad Deum conversos profunda humilitate ac fervore præcessuros alios se tempore priores in Dei obsequio. 2. Et erunt *primi novissimi*; nam sicut Judæi priores Christianis his postponentur, ita & ex his multos ab adolescentia ad Deum vocatos, sed fretos deinde prioris vitæ innocentia, nec vocationis suæ obligationem, nec naturæ fragilitatem, nec præmij amplitudinem, aut inconstantiæ pœnas, ut par est, ponderantes, sensim in segnitiem dilapsos aliis tardiùs ad Deum conversis postponendos: neque enim spectat Deus quantùm, sed ex quanto quis se impendat, nec prioritatem aut diuturnitatem temporis, sed fervorem & diligentiam; unde fervens *consummatus in brevi explevit tempora multa.* 3. Qui novissimi hîc sunt in æstimatione hominum, latentes sub veste vili, exiguis naturæ talentis instructi, nulla etiam sanctitatis specie conspicui, sua coram Deo virtute clari, non rarò præcedent alios dignitate, naturæ talentis, atque etiam externa sanctitatis specie fulgentes: quare neminem contemne aut judica, sed Deo *qui videt in abscondito,* & *scrutatur corda,* judiciũ relinque. 4. Hæc locũ habere potissimùm in sæcularibus respectu religiosorũ, licet enim illi opibus, potentia, ac vana felicitate videantur his præcellere, posteà tamen inversa scena his longè postponendos, vicissim tamen etiam sæculares ferventes, præponendos religiosis languidis. Sap. 4. 13. Matt. 6. 6. Rom. 8 27.

Punct. II. Multi enim sunt vocati. Ubi Consid. 1. Omnes à Deo vocari ad fidem & justitiam mediis congruis; nam *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* & Christus clamat: *Venite ad me omnes. Ecce sto ad ostium & pulso;* adeò ut nemo queri justè possit de sui neglectu: quare paternam hanc Dei benevolentiam suspice, & amplectere. 2. Etiam dæmonem, mundum, & carnem vocare & invitare ad obsequia sua in speciem minùs laboriosa, sed dispari mercede, interim tamen non paucos habere etiam ferventiùs obsequentes. 3. *Pauci verò electi;* quia eligi noluerunt, vel obsistentes divinæ vocationi, vel ab ea postmodum turpiùs deficientes; nam *qui perseveraverit usque in finẽ, hic salvus erit;* pro quo monet B. Petrus: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* 4. Cave sequi tritam & communem semitam imperfectorum; nam ut Bernardus: *Pauci sunt qui student æmulari, sive in virtute excellere.* & Cassianus: *Vive cùm paucis, ut cum paucis eligi & inveniri merearis in cælis,* juxta illud Christi: *Angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad cælum, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Ioan 1 9. Matt. 11. 28 Apoc. 3. 20. Matt. 10. 22. 2. Pet. 1. 10. Matt. 7. 14.

Anno 32. Julio ad mare Galil.

Christus parabola seminantis docet verbum suum vitio nostro fructum non facere. Luc. 8. Matt. 13. Marc. 4.

PUnct. I. *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Consid. 1. Christum turba plurima ad se undique confluente, navem conscendisse, & ex ea sedentem docuisse stantes in littore, proposita parabola seminantis; ubi non dedignatus est salutis nostræ caussa comparare se cum agricola, & verbum suum sapientia cælesti plenum cum vili semine; de quo gratias ei age, ac disce similiter etiam demittere te ad personas ac munia viliora pro salute tua ac proximi. 2. Ejus desiderium nobis benefaciendi, dum non tantum se paratum ostendit nos benignè excipere, nosque ad se invitat & vocat: sed & ipse è summo cælo in hanc terram egressus, abiit per civitates & castella laborans, ut in cordibus nostris seminaret verbum salutis æternæ.

Punct. II. Semen est verbum Dei. Consid. 1. Sicut semine opus est ad fructum è terra colligendum, quę sine eo nil nisi spinas & lolia profert: ita & ad fructum animæ colligendum, opus esse verbo Dei, sine quo non nisi vana & noxia proferet. 2. Verbum hoc Dei esse vel internum tantùm, ut sunt divinæ inspirationes; vel etiam externum, ut sunt concionatores, libri pij, salutaria monita, ac bona exempla, quæ seminantur in corde seu anima nostra ejusque potentiis; in memoria recordatio peccatorum, beneficiorum acceptorum, novissimorum, brevitatis vitæ, & præsentiæ Dei; in intellectu illustrationes, bona consilia & conscientiæ dictamina; in voluntate desideria pia, & affectus doloris, timoris & spei; qui velut scintillæ producunt ignem amoris & virtutum: rogabo proinde Christum, ut hæc sæpiùs seminet in anima mea, & ac fructus excrescere faciat. 3. Sicut semen ut crescat requirit præter terram aptam etiam Solem, pluviam, & ventos; ita & verbum Dei requirere cor nostrum subigendum rastro mortificationis, quò accedat deinde pro Sole gratia præveniens, illuminans, & inflammans; pro pluvia gratia conservans, rigans, & promovens; pro ventis verò tentationes & adversa.

Punct. III. Consid. 1. Christum hic & aliàs sæpiùs in doctrina sua uti parabolis seu similitudinibus corporeis, iisque vulgaribus & maximè obviis ad significandas res spirituales; idque *ut ex iis, quæ animus novit, surgat ad incognita quæ non novit, quatenùs exemplo rerum visibilium se ad invisibilia rapiat, & per ea quæ usu didicit, quasi confricatus incalescat:* in quo benignitatem ejus mirare. (Gregor.) 2. Apostolis proinde sensum eorum seorsum exquirentibus libenter annuit, quo & majorem ipsis eorumque successoribus in Ecclesia auctoritatem conciliaret. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* ubi expende etiam tuam felicitatem in arcanis Dei per tot media agnoscendis: *abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* (Matt. 11. 25.) Gratias age de spirituali lumine sæpiùs infuso, & juxta illud operare.

D O-

Anno 32. Julio ad mare Galil.

DOMINICA SEXAGESIMÆ. P. II.

Christus parabola seminantis docet verbum suum vitio nostro fructum non facere. Luc. 8. Matt. 13. Marc. 4.

P*Vnct. I.* Consid. 1. Christum in exponenda parabola seminantis ostendere, licet semen verbi sui maximè pretiosum & efficax rectè à se ac opportuno tempore seminetur, *quid est, quod ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci ei?* tamen tres ejus partes perire culpa fundi, seu cordis nostri variis vitiis infecti. *Perditio tua Israël: tantummodò in me auxilium tuum.* Quare examina cor tuum, & stude illud expurgare. 2. Igitur *aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud.* Hoc designantur homines incurij & negligentes, qui ad spiritualia parum attenti, in vanitates, otia, & peccandi occasiones ac pericula effunduntur, Christo interprete, *hi sunt qui audiunt verbum Dei, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* Quare cave à nimia effusione in exteriora. Isa. 5. 4. Osea 13. 9.

Punct. II. Aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Hoc designantur homines indurati prava peccandi consuetudine, quam non student superare; *cum gaudio suscipiunt verbum,* sed humilitatis & constantiæ *radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt,* occasione minima ex prava consuetudine relabentes. Ubi attende hanc animi duritiem præcipuum esse signum reprobationis & æternæ damnationis, quia *humanum est peccare, sed diabolicum in malo perseverare.* Bernard.

Punct. III. Aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. Hoc designantur ij qui curam temporalium & corporis præponunt curæ spiritualium & salutis animæ: quare nec eorum laboribus & curis Deus benedicit; nam *à solicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum:* & teste Apostolo, *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem;* qui autem mergitur, suffocatur, quia privatur divino spiritu quo vivit. 2. Consid. Curas illas mundanas rectè spinas vocari, eò quod mentem distrahant, vulnerent & crucient: esse etiam bona fallacia, *quæ nobiscum diu permanere non possunt, & mentis nostræ inopiam non explent.* 1. Tim. 6. 9. Gregor.

Punct. IV. Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum (aliud verò sexagesimum, aliud trigesimum) quo significantur ij *qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* Unde collige, sicut tria sunt genera cordis pravi, nempe effusi, indurati, & mundani; ita & tria esse genera cordis boni, perfectorum, proficientium, & incipientium, qui inæquali studio ad virtutem contendunt; omnes tamen in patientia & longanimitate mercedem reportant. Tu ad primam classem contende, sciens labori & fructui in hac vita responsurum deinde præmium in altera. Matt. sup.

Anno 34. Martio in via Jerosol.

Et Feria IV. post Dom. II. Quadrag. & de S. Cruce.

Christus prædicit Apostolis mortem suam. Luc. 18. Matt. 20. Marc. 10.

PVnct. I. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.* Consid. 1. Christum conscium futurorum, atque acerbissimæ mortis sibi Hierosolymis proximè inferendæ, eam, licet posset, minimè subterfugere; sed ultrò se eò conferre, & amore salutis nostræ magna animi alacritate anhelare: quare hunc tam ardentem & fortem Christi erga te amorem suspice, ac de eo gratias age. 2. Voluisse eum sic Apostolorum suorum ac nostrum etiam amorem vicissim excitare & provocare, ut exemplo ipsius non patienter tantū, sed & libenter pro salute nostra, ac gloria ipsius incommoda ac ludibria sustineremus, quibus ipsi magis assimilaremur. 3. Occurrere voluisse infirmæ fidei Apostolorum, quam noverat & prævidebat, ut quando hæc à se prædicta contingerent, ipsi in fide firmarentur.

Punct. II. Tradetur enim gentibus. 1. Is qui Judæos gentilium sævitia ac dira tyrannide sæpiùs misericorditer eripuerat, nunc huic ab illis tradetur plenius cruciandus. 2. *Et illudetur* sapientia Dei infinita, ac velut impostor publica auctoritate decernetur, velut stultus veste alba induetur, velut Rex fictitius purpura cum corona spinea, & sceptro arundineo, ac sannis & opprobriis excipietur: & tu de immodico studio existimationis ac famæ tuendæ nihil remittes? 3. *Et flagellabitur,* ipse agnus innocentissimus tanquam sceleratus & maleficus in tenero & Virgineo corpore sævissimis flagellis totus concidetur, sic ut *à planta pedis usque ad verticem capitis non sit in eo sanitas*: unde disce tu leviora pati incommoda. 4. *Et conspuetur,* suprema illa majestas Regia, cujus vultum cælestes Principes submissè venerantur, velut vilissimus scurra conspuetur a mancipiis diaboli, iis quos ipse omni honore præ aliis semper prævenerat. 5. *Et postquam flagellaverint, occident eum,* qui fons est omnis vitæ, eamque & plantis, & brutis, & hominibus omnibus, & Angelis communicaverat, quique venerat eos vita felicissima & æterna in cælesti gloria beare. 6. *Et tertio die resurget,* hoc addidit Christus, ut dolorem eorum, quando hæc contingerent, leniret, utque suæ etiam resurrectionis spe momentaneas vitæ hujus tribulationes alacriter superarent.

Isa. 1. 6.

Punct. III. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Consid. 1. Cognovisse quidem Apostolos obvium sensum verborum, sed non percepisse caussam aut fructum passionis, & resurrectionis Christi, nec potentiam ejus ad dæmonem, peccatum, & mortem sic evertenda, nec sapientiam ad homines sic sibi arctius obstringendos vinculis amoris. 2. Voluisse Christum uti subinde verbis minùs manifestis, tum ut eorū sensui indagando impensiùs studeremus, tum ut eorū intelligētiam enixiùs à Deo flagitaremus.

DOMI-

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ. P. II.

Anno 34. Martio ad Jericho.

Christus cæcum illuminat. Luc. 18.

PVnct. I. *Cæcus sedebat secus viam mendicans.* Conf. 1. Per cæcum hunc secundùm S. Gregoriũ designari *genus humanum, quod à parente primo paradisi gaudiis expulso claritatem supernæ felicitatis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur, sed per Redemptoris sui præsentiam illuminatur, ut internæ lucis gaudia videat, & in via vitæ boni operis gressus ponat;* nam qui non videt cælestia, in tenebris est, & errat. 2. *Secus viam* sedet, qui est extra fidem vel gratiam Dei per peccatum mortale, aut certè externis occupationibus ita distractus, ut seipsum negligat: quare ad se & ad Deum redeat necesse est, qui salutem exoptat. 3. Erat *mendicans.* Tales sunt omnes peccatores, vel qui pravis affectibus indulgent, pro quibus numquam satiandis expetunt à rebus terrenis divitias, voluptates, & honores, nec spectant cælestia, quos arguit Deus: *Nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Apoc. 3. 17.

Punct. II. Clamavit: Iesu fili David misere mei. Consid. 1. Hunc cæcum ad implorandam opem Christi excitatum à turba prætereunte ac Christum sequente: excitent etiam te exempla tot Sanctorum præcedentium. 2. Implorat misericordiam Christi vehementi affectu, qui per clamorem significatur, pro tollenda sibi miseria cæcitatis, de qua Tobias: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Iob 5. 12. Ubi attende longè graviùs malum esse cæcitatem spiritualem, seu, internam mentis. 3. *Et qui præibant, increpabant eum, ut taceret:* sic volentem servire Christo ridet mundus, turbat dæmon, caro increpat, avocat, & absterret: *At tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Ipse verò multo magis clamabat: Fili David miserere mei:* quare imitare hujus in oratione ac bono opere constantiam, & aliorum dicteria & obloquia sint tibi stimuli ad progressum, ac velut ventus ignem magis accendens.

Punct. III. Quid tibi vis faciam? 1. *Iesus jussit illum adduci ad se, & sic interrogavit*, non quòd ignoraret, sed ut ipse cæcitatem suam ejusque miseriam magis agnosceret, Christiq; opem ardentiùs efflagitaret. 2. Cons. hîc Dei munificentiam offerentis ut quæ vellet postularet. Salomon data sibi optione, præ omnibus expetiit sapientiam: 3. Reg. 3. 9. tu eam etiam pete, at non humanam, sed cælestem; non carnis, sed spiritus. 3. *At ille dixit: Domine ut videam.* Nihil ita homini secundùm naturam desiderabile, quàm visus corporeus; ita & secundùm spiritum esse debet internus visus mentis, atque unicè à Deo petendus, quo cognoscas & te, & Deũ, & mundi vanitatem, & carnis illecebras, & dæmonis in te odia, & peccatorũ turpitudinem ac supplicia, & virtutũ præstantiam ac prœmia. 4. *Et confestim vidit, & sequebatur illum, magnificans Deum.* Tu toties à Christo illuminatus, sequere eum per mortificationem passionum, gratias ei age de beneficiis acceptis, aliosque ad ipsum adjungere stude oratione, verbo, & exemplo.

De fuga voluptatum, ac propitiando Deo peccatis offenso.

PVnct. I. Consid. 1. Voluptates hujus mundi esse brevissimas & maximè fugaces, unde Job: *Laus impiorum brevis, & gaudium hypocritæ adinstar puncti*: & ipsi earum sectatores seriùs ex inferis plorantes agnoscunt: *Transierunt omnia tanquam umbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus, cùm præterierit, non est vestigium invenire, aut avis quæ transvolat in aëre, aut tanquam sagitta in locum destinatum.* 2. Eas facillimè everti morbo, fortuna adversa, æmulatione, &c. nam *spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est.* 3. Eas non posse affectum hominis satiare, prout agnoscere debent omnes earum sectatores, ac præ ceteris Rex Salomon post laxata concupiscentiis fræna: *Vidi cuncta quæ fiunt sub Sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus.* Cujus rationem addit S. Augustinus: *Creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* 4. Cons. Amarissimos earum fructus, continuū remorsum conscientiæ in hac vita, duram in morte separationem, atq; inde horrenda & ęterna supplicia, quæ tam brevi & incerta voluptate mercari, vide quāta insania sit.

Iob 20. 5. / Sap. 5. 9. / Sap. 5. 15. / Eccl. 1. 14.

Punct. II. Consid. 1. Peccata in hisce voluptatibus immodicè sectandis committi solita gravissimè Deo displicere. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Cujus odij gravitatem ostendit Deus non solùm in Angelis & hominibus peccatoribus, quos ob breve gaudium donis gratiæ suæ exutos æternis cruciatibus torquendos mancipavit, sed potissimùm in Filio suo unigenito, maximè dilecto, in hunc mūdum mittendo ad mortem acerbissimam subeundam pro peccatorum nostrorum expiatione. *Vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra.* 2. Tantum esse Deo etiam vel unius peccati mortalis odium, ut præ hoc præeligeret omnes atroces illos & immanes cruciatus iterum sustinere, & si opus esset ad illud expiandum, eò se promptè offerret. Unde Apostolus de peccatoribus: *Iterum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei & ostentui habentes.*

Sap. 4. 9. / Isa. 53. 52. / Heb. 6. 6.

Punct. III. Recedendum proinde à studiis improborum, & pro iis divinam justitiam, precibus piisque operibus placandam, exemplo Tobiæ, qui *cùm omnes irent ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israël, solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Hierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël.* 2. Cons. Singulariter semper Deo placuisse singularem & eminentem inter improbos pietatem, ut videre fuit in Abrahamo inter Chaldæos, Loth inter Sodomitas, Melchisedech inter Chananæos, Jobo inter Hussitas, Moyse ac Josepho inter Ægyptios, de quibus S. Gregorius: *Sicut gravioris culpæ est inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconij bonum etiam inter malos extitisse.* Atque hunc modum esse maledictiones ac debita supplicia à peccatoribus avertendi, sibique & aliis ampliores benedictiones impetrandi.

Tob. 1. 5.

FE-

FERIA IV. CINERUM.

Anno 32. Maio in monte Galilææ.

Christus commendat jejunium recta intentione assumendum. Matt. 6.

PUnct. I. *Cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes.* Consid. 1. Commendari hîc nobis à Christo jejunium tanquam opus bonum & mercede æterna à cælesti Patre remunerandum; ideoque eum per dies 40. arctissimum in se assumpsisse, ut nos exemplo suo permoveret ad illud longè mitius etiam assumendum. 2. Moysen & Eliam id nobis etiam exemplo suo commendasse per totidem dies sine ullo cibo aut potu, Deo per miraculum vires conservante. 3. Ab ipsa mundi origine datum jejunij mandatum à Deo primis nostris parentibus in paradiso, cùm jussi sunt à fructibus arboris vetitæ abstinere, adeò ut in jejunij observantia Deus constituerit salutem ipsorum, & omnium nostrûm.

Punct. II. Consid. 1. Commendari hîc potissimùm à Christo intentionem rectam in jejunio, ne velut hypocritæ tristitiam ac pallorem vultui obducentes, inanem gloriam inde ab hominibus aucupemur. 2. Præferendam proinde potiùs in jejunio vultûs hilaritatem, quam unctione capitis & lota facie Christus designat, qua mercedem à cælesti Patre, *qui videt in abscondito*, recipiamus. 3. Ungendum etiam caput adsperso cinere, quo Ecclesia memoriam mortis, tanquam efficax adversus peccata remediũ, inculcat, subdens: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 3. 19.

Punct. III. Consid. 1. Fructum hujus jejunij quotidie nobis sub Sacro per Quadragesimam ab Ecclesia proponi, cùm ad Deum dicitur: *Qui corporali jejunio vitia comprimis*; nam *caro*, quæ *concupiscit adversus spiritum*, per jejunium Gal. 5. 7. exarmatur, & spiritus roboratur, marcescunt quasi subtracto pabulo vitia septem in homine capitalia, imò & dæmon omnium auctor superatur, ac Deus placatur & reconciliatur, ut patuit in Ninivitis. 2. *Mentem elevas*, Ionæ 3. 10. nempe ad familiaritatem cum divina tua Majestate, ut patuit in Moyse, Exod. 34. 28. Elia, ac Daniele; nam sicut gula deprimit mentem ad terrena, ita jeju- 3. Reg. 19. 8. niũ elevat ad gustanda cælestia. 3. *Virtutem largiris & præmia.* nam ad ora- Dan. 10. 3. tionem, per quam virtutes omnes acquiruntur, mens per jejunium optimè disponitur, ac nominatim ad virtutes septem vitiis capitalibus oppositas consequendas: insuper ultra mercedem cælestis gloriæ, confert in hac vita sanitatem corporis, claritatem mentis, aptitudinem ad functiones, aliaque dona naturæ & gratiæ.

Punct. IV. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Consid. 1. Doceri nos hîc à Christo per jejunium divitias comparari, non terrenas, incertas, & fugaces: sed cælestes, certas, & æternas, hisque comparandis strenuè ac sine tædio insudandum, prout homines sęculares insudant terrenis. 2. Eò proinde mentem & affectum excitandum; *ubi enim*, inquit, *est thesaurus tuus, ibi est & cor tuũ*, significans id quod quis maximè æstimat & diligit, corde volui: quare examina te, & contemptis thesauris terrenis ad cælestes sectandos assurge.

Feria V. post Cineres, vide Dom. III. post Epiphan. Par. II.

Anno 52. Maio in monte Gal.

FERIA VI. POST CINERES.

Christus dat monita de dilectione proximi, & cavenda vana gloria. Matt. 5. & 6. Luc. 6.

PUnct. I. *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Consid. 1. Scribas docuisse per *proximum* intelligendos tantùm cognatos sanguine, vel etiam Judæos, unde inferebant gentiles omnes odio habendos: Christum verò hîc docere *proximum nostrum* esse omnes homines etiam extraneos & inimicos (quales soli dæmones, & damnati odio habendi & fugiendi) illosque omnes non tantùm animo, sed & lingua & opere esse diligendos, tanquam ab uno Deo Patre, & ex Adamo ad Dei similitudinem progenitos; ubi attende commendari peculiariter dilectionem inimicorum, illis condolendo, benefaciendo, & pro illis orando, quod summæ est gloriæ, animi generosi, excelsi & divini. 2. *Vt sitis Filij Patris vestri qui in cælis est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Hortatur nos eò ex similitudine cum Deo Patre, à quo tam nobili non deceat nos degenerare, qui effundit dona sua etiam in hostes, neque ea ob peccata eorũ & injurias subtrahit. 3. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quàm mercedem habebitis?* nullam, quia dilectio illa est naturæ, non gratiæ; quamquam si propter Deũ fiat, mercedem etiam suam ab eo obtinebit; peculiariter tamen Christus hîc commendat dilectionem & officia benevolentiæ erga immerentes, *honore invicem prævenientes*, ait Apostolus, & Chrysostomus: *Saluta prior, ut tu accipias coronam humilitatis, & triumphes de superbia inimici.* (Rom. 12. 10.)

Punct. II. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Consid. 1. Christum monere hîc de cavenda vana gloria in bonis operibus, idque motivo mercedis, quæ ab eo expectanda est, propter quem laboramus, si propter Deum à Deo, si etiam propter homines, ab illis: ubi expende discrimen inter mercedem humanam & divinam, illam vanam & fugacem, hanc verò solidam & æternam cum accumulatione omnis boni. 2. *Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt, ut honorificentur ab hominibus, receperunt, mercedem suam;* eam nempe quàm quærebant, congruam vanæ suæ intentioni, à Deo verò punitionem ob stultitiam quod humana præponerent divinis, ob fallaciam quod hominibus imponerent simulata virtute, & superbiam, quod laudem Deo debitam sibi arrogarent. 3. *Eleemosyna tua sit in abscondito*, atq; idem est de aliis bonis operibus, ne inde humanæ laudis mercedem quæras, *& pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi*, in extremo judicio, orbe toto inspectante & collaudante, mercedem amplissimam.

DOMI-

Sabbato post Cineres, vide Octavam SS. Petri & Pauli, 6. Julij.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Christi jejunium in deserto, tentatio, & victoria. Matt. 4. Marc. 1. Luc. 4. Anno 31. Januar. 7. in deserto Judææ.

PUnct. I. *Iesus ductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Consid. 1. Christum jam baptizatum à Joanne, insigni exemplo humilitatis, priùs se recipere ab hominum strepitu in solitudinem, ut ibi orationi ac jejunio vacet, quàm auspicetur munus prædicandi sibi à cælesti Patre demandatum, ut doceat te idem facere. 2. Permisisse Deum ut Christus in piis illis exercitiis à diabolo tentaretur, tum ad gloriam Christi, quem videbat de hoste suo triumphaturum, tum ut nos moneret etiam in piis exercitiis tentationes expectandas, ac simul modum doceret eas exemplo Christi fortiter superandi. 3. *Et cùm jejunasset 40. diebus, & 40. noctibus, posteà esuriit.* Ubi Consid. Christum assumpsisse hoc quadragesimale jejunium adeò rigidum, ut nos exemplo suo invitaret ad mitius suscipiendum, tanquam armaturam contra dæmonem.

Punct. II. Si Filius Dei es, dic ut lapides illi panes fiant. Consid. 1. Hanc primam hîc proponi tentationem Christi à diabolo, eamque ad gulam, ut esuriens cibum appeteret modo illicito; unde docemur diabolum hoc vitio primùm appetere eos, qui Christi vestigia sequuntur, & hoc proinde ante cetera domandum. 2. Respondit Christus: *Scriptum est: non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit, de ore Dei,* significans non deesse Deo media vitam humanā conservandi, ut fecit populo Israëlitico in deserto per manna, aliisq; deinde sanctis: quare in eo fiduciā collocandam. Deut. 6. 3. Deut. 8. 3.

Punct. III. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem Hierusalem, *& statuit eum super pinnaculum,* seu fastigium *templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Consid. 1. Hanc alteram esse Christi tentationem, ad superbiam, ut per miraculum in lapsu præservatus omnibus esset admirationi, atque inde animos per superbiam erigeret: unde disce hoc vitio appeti potissimùm eos, qui in altiori gradu virtutis, muneris, aut status positi sunt. 2. Retorquet Christus: *Non tentabis Dominum Deum tuum;* nam ubi humana suppetunt effugia, non esse petenda miracula. Deut. 6. 16.

Punct. IV. Iterum assumpsit eū diabolus in montē excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, fallaci specie in aëre formata, *& gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Consid. 1. Hanc tertiam Christi tentationem esse ad avaritiā, qua sperabat diabolus se de Christo triumphaturū; sed *non est sapientia, non est prudentia, non est consiliū contra Dominū:* cave tu ne pro toto mūdo oblato peccatū aliquod admittas. 2. Reponit Christus: *Vade Sathana, scriptū est enim: Dominū Deū tuū adorabis,* ut supremū omniū Dominū, *& illi soli servies;* mandata ejus super omnia observando. 3. *Tunc reliquit eū diabolus,* nam *resistite diabolo & fugiet à vobis. Et ecce Angeli accesserūt, & ministrabāt ei,* cibū, & potū, & obsequia deferentes, ac victoriā gratulātes, atq; hîc exitus fuit lętissimus hujus trini certaminis, à cælesti Patre intentus. Prov. 21. 30. Deut. 6. 13. Iac. 4. 7.

F E-

FERIA II. POST DOM. I. QVADRAG.

Anno 34. Mart. 22. in monte Olivarum.

Christus proponit extremum judicium. Matt. 25.

P*Unct. I. Cùm venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes.* Consid. 1. Christum hîc proponere ideam extremi judicij, ut omnes excitet ad vitæ puritatem & studium bonorum operum: Majestas autem ejus elucebit tunc in clangore tubarum, comitatu omnium Angelorum cum speciosis & splendidis corporibus, corpore ipsius præ ceteris glorioso, in throno è nube lucida, consessu in proximo Deiparę aliorumque Sanctorum, nominatim Apostolorum, eorumq; vitam sectantium, ac signo crucis velut labaro præfulgente. 2. *Et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis.* Vivunt hîc boni permixti malis, & hi sæpè loco digniori: ibi vices mutabuntur, *& statuet* illos velut *oves* innocentes, patientes, morigeras, in aëre *à dextris suis* tanquam signo felicitatis, glorię, triumphi; malos autem velut *hœdos* & hircos immundos, asperos, avia & devia sectantes, in terra *à sinistris* tanquam signo infelicitatis, opprobrij, & servitutis. Expende hîc utrorumque sensus & expectationem. 3. Ibi aperientur omnium libri, seu conscientiæ; *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium,* omnibus inspicienda.

Dan. 7. 10. 1. Cor. 4. 5.

Punct. II. Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt. Consid. 1. Christū priùs benigno vultu se conversurum ad justos, eisque sententiam dicturum, ut reprobi acriùs doleant videntes quid amiserint. 2. *Venite* vos, qui à me vocati venistis post me, mihique fideliter & constanter adhæsistis, nunc quò toties anhelastis, de labore ad requiem, de bello ad pacem, de morte ad vitam; *benedicti* non à patre aut rege terreno in bonis terrenis & perituris, sed à meo ac vestro Patre cælesti, in cælestibus & æternis; *possidete* jure hereditario vobis ut filiis debitum, *regnum* non portionis terræ, sed totius universi, & cum eo omnes honores, divitias, voluptates, sine ullo metu umquam amittendi; *paratum vobis*, per tot beneficia generalia & particularia, ab æterno destinata, & in tempore collata, ac per laborem vestrum, & studium bonorum operum.

Punct. III. Tunc dicet & his qui à sinistris erunt. Consid. 1. Reprobos attonitos & perculsos sententia justorum, pavidos & trementes expectaturos condemnationem suam: *Discedite à me.* Ecce pœnam damni, vos qui noluistis venire post me, sæpiùs vocati. *A me* Deo, & Redemptore vestro, fonte omnis boni, à visione divina, à gloria cælesti, consortio Sanctorum & Angelorum, *maledicti*, non à me aut Patre cælesti, sed prava vestra voluntate, in corpore, & anima, potentiis, sensibus, membris, loco, sociis, & omnibus; *in ignem:* ecce pœnam sensus, qui exuret intima animæ & corporis, *æternū*, sine fine, quàm diu erit Deus. 2. *Esurivi enim* &c. exprobrat prætermissa opera misericordiæ, unde ad graviora descendet, superbiam, gulam, luxuriam, &c.

FE-

FERIA III. POST DOM. I. QVADRAG.

Anno 34. Martij 21. Jerosol.

Christus sub ultimum Pascha ejicit vendentes è templo. Matt. 21. Marc. 11. Luc. 19.

PUnct. I. *Intravit Iesus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas evertit: & dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Consid. 1. Christum post applausum populi sibi factum die Palmarum ingressum Jerosolymam, ante omnia adire templum, ut ibi gloriam omnem & laudem tribueret Patri cælesti; unde disce etiam in laudibus humanis non evanescere, sed eas mox ad Deum referre. 2. Ardentem zelum Christi pro reverentia loci sacri, arcere eum inde quidquid ab eo alienum est, ac potissimùm omnem injustitiam erga pauperes & peregrinos: unde collige majorem longè reverentiam habendam templis nostris, ubi Christus in Eucharistia præsens est cum multitudine Angelorum; ac proinde abstinendum ibi à fabulis, risu, & omni levitate. 3. Placere quidem Deo orationem quocumque loco profusam. *In omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.* tamen de templo speciatim eum dixisse: *Erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* 4. Cave ne animam tuam, templum Dei profanes peccatis, & fac cor tuum domum orationis.

Psal. 102. 22. 3. Reg. 9. 3.

Punct. II. Et accesserunt ad eum, cæci & claudi in templo, & sanavit eos. Consid. 1. Christum hæc miracula patrasse paucis diebus ante mortem, ut iis probaret suam divinitatem, ac doceret nos etiam sub vitæ vel officij finem non desistere à bonis operibus, sed iis tunc magis insistere; deinde se in templis nostris etiam sanaturum cæcos & claudos spiritu: quare ejus opem ibi confidenter implora. 2. *Videntes autem Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna Filio David; indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicant?* Ubi Consid. eos invidia excæcatos, manifestis argumentis magis obstinari in malo, & remedia maximè salutaria convertere in venenum: quare cave in peccatis animum consuetudine obdurare, sed ex iis stude quamprimùm resurgere. 3. *Iesus autem dixit eis: Vtique, numquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?* Monet eos de officio laudis & plausus ab ipsis Messiæ debito ac prætermisso, hîc suppleto & expresso per pueros innocentes, atque deinde gloriam suam celebrandam ab humilibus, simplicibus, & innocentibus: Tu stude in hoc partibus tuis satisfacere, & Christo, cujus dignitatem optimè nosti, & beneficia amplissima expertus es, laudem, gloriam & gratias puro ac humili corde frequenter & constanter deferre. Psal. 8. 3.

Anno 33. Julio Capernai.

Pharisæi petentes signũ à Christo redarguuntur. Matt. 12. Mar. 3. Luc. 11.

PVnct. 1. *Magister, volumus à te signum videre.* Conf. 1. Christum innumera & maximè stupenda ac illustria signa miraculorũ sæpissimè palàm omnibus maximè eo loco fecisse, nec proinde ignota hisce Scribis & Pharisæis, sed eos novum hîc petere studio curiositatis, & cavillandi: tu attende signa benevolentiæ tibi à Christo toties exhibita ad salutem corporis & animæ, examina gratitudinem tuam, & quo fine traharis ad nova petenda. 2. *Qui respondens ait illis: Generatio mala & adultera,* quia à majorum pietate, & fide Deo per circumcisionem obstricta defecerat, *signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Renuit Christus dare eis signum ad credendum, post plura eis frustrà data; sed daturum se promittit signum luculentum, quod non quærebant, nempe resurrectionis suæ per Jonam præfiguratę, qui sicut emerserat post triduum è ventre ceti, & impœnitentibus post 40. dies prædixit interitum; ita & se post triduum à morte è terra redivivum, post annos 40. in obstinatis ulturum mortem & injurias sibi illatas.

Ionæ 2. 1. *Punct. II. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam,* exemplo suo, *quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plusquam Ionas hîc,* sive hoc loco. Conf. 1. Christum hîc illis repudiantibus signa benevolentiæ, clariùs proponere signum timoris de extremo judicio, ad quod ipse per Angelos signo tubarum undique omnes convocabit, ac se palàm Messiam ostendet, eosq; redarguet incredulitatis exemplo Ninivitarum, qui gentiles homini ignoto credentes, ad Deum conversi sunt; ipsi verò sibi inter illos doctrina ac miraculis claro fidem derogent. 2. Ita & *Regina Austri,* sive Æthiopię, *quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plusquam Salomon hîc.* Etiam illa gentilis excita fama humanæ sapientiæ Salomonis, longum ac molestum iter aggressa est, ut cõsilia ejus

1. Reg. 10. 1. exciperet; ipsi verò sapientiam divinam Filij Dei ad salutem eorum ultrò oblatam rejiciunt: ubi attende his duobus exemplis ostendi unumquemque pro mensura gratiarum & beneficiorum à Deo acceptorũ judicandum, infideles fidelibus, & laicos Ecclesiasticis insultaturos de neglecta gratia, atque hos proinde acriùs castigandos. *Cùm enim augentur dona,*

Gregor. *rationes etiam crescuut donorum.* 3. Alteram addit comminationem ex similitudine energumeni, qui à dæmone liberatus, ac deinde sua ignavia iterum illi fenestram aperiens, multò graviùs torquetur, *& fiunt novissima hominis illius pejora prioribus;* ita & illis futurum post desertam viam salutis.

Punct. III. Loquente eo ad turbas, dicit ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te. At ipse extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei; quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est: docens cognationem spiritualem præstare carnali.

FE-

FERIA V. POST DOM. I. QVADRAG.

Anno 33. Maio in Phœnicia.

Christus liberat filiam mulieris Chananææ à dæmonio. Matt. 15. Marc. 7.

PVnct. I. *Secessit Iesus in partes Tyri & Sidonis, & ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine Fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Conf. 1. Christū hîc excurrisse in provinciam Phœniciæ Judæis conterminam, & gentilem è posteris Chanaan, ut illis doctrinam ac miracula sua à Judæis repudiata inciperet impendere: tu cave ne ob ingratitudinem tuam dona tibi destinata ad alios transferantur. 2. Mulierem ibi cognito Christi adventu, statim se ad domum ejus contulisse, ac filiæ energumenæ opem suppliciter implorasse. *Procidit ad pedes ejus*, indéque non exauditam Christum abeuntem iusecutam, ac clamore suo vehementiam affectûs & fidei expressisse. 3. *Qui non respondit ei verbum*, idque ut ejus fidem, spem, humilitatem, & constantiam augeret, & aliis manifestaret, ac imitandam proponeret, atque ut beneficium eò gratius deinde accideret, quò magis dilatum. 4. Conf. filiam nostram, ut ait S. Hieronymus, esse animam nostram à dæmone per peccatum superatam, vel eò inclinatam, à quo ut liberetur, misericordiam Christi implorare nos oportet, cum virtutibus hujus mulieris. Marc. sup.

Punct. II. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israël. Consid. 1. Importunas preces esse efficaces, maximè si accesserint patrocinia Sanctorum: hos autem esse maximè pronos ad nos juvandos, jam potissimùm in cælo, dum de sua salute securi, tantùm de nostra sunt soliciti. 2. Conf. Christi fidelitatem in præstandis promissis de Judaica gente ante ceteras juvanda, & misericordiam in juvandis inter eos peculiariter peccatoribus; unde ait: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Quare & tu supplex ad eum accede, & dic: *Erravi sicut ovis quæ periit.* Matt. 19. 13. Psal. 118. ult.

Punct. III. At illa venit & adoravit eum, dicens: Domine adjuva me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Consid. 1. Christum hîc longa tergiversatione & probroso nomine canis, exercere virtutes hujus mulieris, ut eas omnibus testatas faciat. 2. *At illa dixit: Etiam Domine; nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* Consid. hîc exemplar perfectæ orationis, in qua elucet humilitas qua se canem agnoscit, fides qua Christum Messiam, resignationem qua malū proponit, fiduciam licet esset gentilis, reverentiam quia flexis genibus, prudentiam qua Christum in verbis suis comprehendit, ardentem caritatem pro filia, & perseverantiam. 3. *Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier! magna est fides tua,* quæ excitat omnes affectus perfectæ orationis; *fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora. Quoniam in me speravit liberabo eum. Ego Dominus, super quo non confundetur, qui expectat eum.* Quare & nos dicamus: Psal. 90. 14. Is. 49. 23. Psal. 122. 2.
Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Anno 32. April. 16. Jerosol.

Christus sanat paralyticum ad piscinam. Ioan. 5.

P*Vnct.I.* Consid.1. Jerosolymæ piscinam, in qua victimæ Deo immolandę priùs abluebantur, cōtinuo miraculo à Deo fuisse illustratam, ut post motum aquæ ejus ab Angelo, is qui prior ingrederetur, sanus fieret, *à quacumque detinebatur infirmitate:* quare in quinque porticibus circumquaque, *jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.* ubi attende piscinam hanc figuram fuisse Sacramenti baptismi & pœnitentiæ, ubi anima Deo consecranda priùs expianda est; & infirmitates omnes tolluntur, prioritate verò ingressus diligentia commendatur in Sacramento obeundo. 2. *Erat autem homo ibi* 38. *annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus jacentem dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Hominem non habeo,*&c. Ubi Conf. per hunc paralyticum designari voluntatem nostram vitiis & pravis affectibus lāguentem, sed nullum esse malum tam inveteratū, cui Christus & Ecclesia non medeatur, siquis seriò & efficaciter velit; ad id proinde quod ab hoc exquirit, *Vis sanus fieri?* reponere non possumus: *Hominem non habeo*; cùm Christus homo simul & Deus semper paratus & promptus sit ad nos juvandos.

Punct. II. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum & ambulavit. Conf. 1. Christi benignitatem & potentiam, dum paralytico non solùm subitò sanitatem, sed & vires pristinas ac robur solo imperio restituit, sic ut lectum portatilem tollere possit: in quo etiam observa fructum obedientiæ, cùm jussus surgere, mox sanus & validus surrexit. 2. Grabatum, seu lectum nostrum esse terrenas commoditates, quibus cùm inhæremus, signum est ægritudinis; cùm renunciamus, signum sanitatis; ambulamus verò, cùm cooperantes acceptæ gratiæ progredimur in operibus virtutum. 3. Hunc reprehensum à Judæis, quod in Sabbato lectum tolleret, nihil aliud reponere, nisi se sic jussum: atque ita etiam volenti progredi in virtute objici mox impedimenta, sed obediendum Deo: *Ille mihi dixit.*

Punct. III. Postea invenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Consid. 1. Christum docere hîc eū propter peccata, quæ citò patrantur, punitum fuisse tam diuturno morbo; qui tamen quid est ad æternitatem? jam verò à peccato & malo liberum debere sibi cavere à recidiva, quæ sicut in morbo corporali maximè periculosa est, ita & in spirituali. 2. Disce etiam ab hoc post accepta beneficia à Deo conferre te ad templū, ibiq; ei gratias agere, addere firmū propositum emendationis, & cavendi peccata priora, & attende ad minas à Christo appositas, *ne deterius tibi aliquid contingat*; ne scilicet propter ingratitudinem in statu peccati subitò præoccuperis. Ablutus es, noli te iterum contaminare: liberatus à servitute dæmonis, noli te iterum servituti ejus subjicere.

DOMI-

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Christus transfiguratur. Matt. 17. Marc. 9. Luc. 9.

Anno 33. Augusti 6. in monte Thabor.

P*Vnct. I. Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut Sol.* Consid. 1. Splendorem hunc emanasse à divina essentia in animam Christi sibi unitam, tanquam connaturaliter debitum, & miraculo suppressum; ab anima verò in corpus, & ab hoc in vestitum; nam *& vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix, & splendentia:* datum autem à Christo hoc specimen corporis gloriosi, velut radium cælestis gloriæ, cujus spe nos provocaret ad crucem & adversa fortiter toleranda. 2. Id factum in monte Galilææ Thabor, ut doceret nos mentem à terrenis ad cælestia erigere, & perfectionem virtutum in hac vita, & claram Dei visionem in altera non obtineri, nisi per molestias & arduos labores in scandendo monte necessarios. 3. Factum *cùm oraret,* imò noctem totam in oratione transegisse, ut appareret fructus orationis, per quam & nos, dum in ea persistimus, transformamur & illuminamur; unde Sapiens: *Melior est finis orationis, quàm principium.* Marc. sup. Luc. sup. Eccl 7. 9.

Punct. II. Et ecce apparuerunt illis Moses & Elias cum eo loquentes. Consid. 1. Caussam apparitionis horum fuisse, ut testarentur umbras & promissa legis veteris jam in Christo esse completa, & Apostolis commendaretur mansuetudo Moysis ac zelus Eliæ. 2. Petrum gaudio plenum ex tam glorioso spectaculo, cùm videret eos velle discedere, rogare eorum mansionem, & offerre suam ac sociorum operam: *Domine bonum est nos hîc esse: si vis, faciamus hîc tria tabernacula.* In quo, ut addit S. Marcus & Lucas, *non sciebat quid diceret,* cùm beatitudo non cõsistat in visione corporis Christi, sed divinæ essentiæ, eaque omnibus destinata, per mortem Christi priùs esset paranda. 3. Bonum quidem fuisse Apostolis, esse in hoc monte spectatores gloriæ Christi; sed longè optimum esse, in monte cælesti spectare gloriam divinitatis, eoque anhelandum.

Punct. III. Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos. Consid. 1. Gloriam hanc nube discussam, ut significaretur, omnem gloriam hujus vitæ, etiam quantumvis piam, brevem esse, & instar fumi ac floris dissipari; unde Bernardus: *Rara hora, brevis mora:* cælestem verò gloriam esse perpetuam, & coronam immarcescibilem: 2. *Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Testimonium hoc est Patris cælestis de Filio datum etiam antè in baptismo, hunc sibi in natura divina consubstantialem & humanæ unitum, esse præ ceteris singulariter dilectum, ac fontem omnis complacentiæ, cùm meruerit nobis decorem gratiæ, qua Deo placemus, & in filios ac heredes regni assumimur. Matt 3 17.

Anno 33.
Octob. 7.
Jerosol.

FERIA II. POST DOM. II. QVADRAG.

Christus arguit Scribas & Pharisæos incredulos. Ioan. 8.

PVnct. I. *Ego vado, & quæretis me; & in peccato vestro moriemini.* Consid. 1. Christum significare hîc se ire ad Patrem cælestem per mortem sponte & voluntariè à se suscipiendam, ac se deinde ab illis quærendum, non desiderio, sed odio; non amando, sed persequendo, ac sæviendo in membris suis: tu Christum quære affectu doloris & amoris, & quidem nunc cùm tempus datur. *Quærite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est.* (Isa. 55. 6.) Ne posteà seriùs & frustra eum quæras cum virginibus fatuis, quando *clausa est janua, Domine Domine aperi nobis.* (Matt. 25. 11.) 2. Prædicit eis obstinationem in peccato, in quo vivere triste est, sed longè acerbius in eo mori. Acerba est ægro sententia decretoria medici; *Dispone domui tuæ, quia morieris, & non vives*: (Isa 28. 1.) sed hæc sententia mortis æternæ longè est acerbissima. Quare qui in peccato mori non vult, ne in eo vivat. 3. *Quò ego vado, vos non potestis venire.* Nempe ad gloriam cælestem per humilitatem & viam virtutum; vos autem per viam vitiorum tenditis ad terminum planè oppositum; nempe abyssum inferni; *non potestis* autem, quia non vultis: tu Christum hîc sequere, ut & posteà illi jungaris in cælo.

Punct. II. Vos de deorsum estis, ego de supernis sum: vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Consid. 1. Christum arguere hîc Pharisæos, quòd sicut corpore è terra originem ducebant, ita & affectu non nisi terrena velut serpentes sectarentur; nempe caduca hujus mundi bona, divitias, honores, & voluptates: se verò sicut à Patre cælesti genitum, ita & cælestia, divina, ac æterna sectari, in quo & nos ab eodem Patre per baptismum renati, ipsum sequamur, *quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* (Col. 3. 1.) 2. Rogatus deinde ab eis: *Tu quis es? Dixit eis: Principium, qui & loquor vobis.* Significans se esse omnium Creatorem ac Dominum, & Messiam tot sæculis desideratum: ideoque sicut à centro circuli velut principio omnes lineæ ducuntur, & in ipso coëunt, ita & actiones omnes nostras à Christo inchoandas esse, & ad ejus gloriam reducendas.

Punct. III. Multa habeo de vobis loqui & judicare; sed qui me misit, verax est. Consid. 1. Christum hîc indicare se in multis posse ipsos arguere, ac secundùm ea pro meritis punire, sed relinquere se id Patri cælesti, à quo missus sit ad mūdum non perdendum, sed salvandum, ipsum fidelem esse in vindicandis injuriis Filio suo illatis. *Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.* (Psal. 36. 5.) 2. *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Prædicit se ab ipsis in crucem agendum, & tunc ex signis & portentis à multis agnoscendum, qui *revertebantur percutientes pectora sua.* (Luc. 23 48.) & Centurio: *Verè hic homo Filius Dei erat.* (Marc. 15. 39.) 3. *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Consid. hîc absolutum exemplar perfectionis, ac stude etiam in omnibus actionibus tuis Deo super omnia placere.

FERIA III. POST DOM. II. QVADRAG.

Anno 34. Martij 21. Jerosol.

Christus monet Scribarum doctrinam sequendam esse, non opera.

Matt. 23. Marc. 12. Luc. 20.

PVnct. I. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite.* Consid. 1. Christum hîc ostendere superioribus etiam improbis esse morem gerendũ, dum monet obtemperandum Scribis & Pharisæis, hominibus superbis, & totis in externa specie sanctitatis; quos utrosque plerumq; Sacerdotes ait sedisse *super cathedram Moysi*, eò quòd locum & auctoritatem docendi ac explicandi legem, regendi & judicandi populum obtinerent; unde subdit: *Omnia ergo* eorũ præcepta, quę divinę legi non manifestè repugnarent, servanda ad meritum, obedientiæ, & reverentiam Sacerdotij ac dignitatis. 2. *Secundùm opera verò eorũ nolite facere. Nam carpe vuã, sed spinam cave*, ait S. Augustinus. *Dicunt enim & non faciunt*, atque hoc primum est eorum vitiũ, legis observantiam docere verbo, & dissuadere exemplo. 3. *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Ecce alterum vitium: onerant populum ac penè opprimunt multitudine & gravitate præceptorum ac traditionum ex rigida legis interpretatione, ipsi laxi in se: tu stude, ut opera tua cum statu & doctrina consentiant, & cum Apostolo dicere possis: *Imitatores mei estote.* Phil. 3. 17.

Punct. II. Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus. Consid. 1. Hîc tertium eorum vitiũ, nempe superbiam ac studium gloriæ humanæ, quò opera sua omnia dirigunt, non verò ad gloriam & cultũ Dei. *Dilatant enim phylacteria sua*, seu membranas legem Dei continentes, brachio & fronti alligatas ad ostentationem observantiæ, *& magnificant fimbrias* coloris hyacinthini seu cælestis, ut videantur præ ceteris cælestem vitam agere. 2. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*, seu Magister. Ecce quartum vitium, in omnibus quærunt primum locum, & honorari ab aliis, quæ omnia directè adversantur doctrinæ Christi, nec ducunt ad cælum, sed ad infernum.

Punct. III. Vos autem nolite vocari Rabbi. Consid. 1. Christum hîc monere suos, ne ex arrogantia, ut Scribæ illi & Pharisæi, affectent titulos honoris, sive Magistri, sive Patris; *unus est enim Pater vester, qui in cælis est*, qui solus est auctor & conservator vitæ corporis & animæ, pascit, & fovet, ac donat hereditate cælesti, *& Magister vester unus est Christus*, qui solus habet auctoritatem docendi à se cum scientia infallibili. 2. *Qui major est vester, erit minister vester: qui autem se exaltaverit, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Docet viam ad veros ac summos honores, nempe humilitatem, per quam magni sint in hac vita apud Deum & Sanctos, ac posteà in cælo exaltentur: per superbiam verò deprimendos, quia gloria sequitur fugientes, & sequentes fugit.

FE-

Feria IV. post Dom. II. Quadrag. Vide Dom. Quinquagesimæ.

Anno 33. Decembri in Bethabora.

FERIA V. POST DOM. II. QVADRAG.

De divite epulone, & paupere Lazaro. Luc. 16.

PVnct. I. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* Consid. 1. Deum variè distribuisse hominum sortes ex abysso paternæ suæ providentiæ, ut quisque ea rectè uteretur ad salutem, alios divites nasci, alios pauperes, alios aliis naturæ & gratiæ talentis dotatos, & quemque pro eorum usu mercedem accepturum. 2. Divitem hunc divitiis suis, quibus beatitudinem lucrari debebat & poterat, malè abusum velut instrumentis peccandi; nam & purpura ejus superbiam denotat, byssus mollitiem, epulæ gulam, neglectus pauperis avaritiam: unde collige pericula divitiarum, & verum esse quod docuit S. Ignatius, dæmones hoc agere, *ut homines primùm trahant ad cupiditatem divitiarum, unde postea facilius in mundani honoris ambitionem, ac demum in superbiæ barathrum deturbari queant, ex quibus in alia vitiorum genera præceps fit decursus.* (Lib. Exerc.)

Punct. II. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mēsa divitis, & nemo illi dabat. Consid. 1. Pauperis hujus nomen hîc exprimi ad ejus honorem & gloriam; reticeri verò nomen divitis, ne augeatur infamia, atque ut nos doceamur in vitiis etiam parcere famæ proximi. 2. Hunc pauperem optimè usum sua paupertate velut scalis ad omnem virtutem & beatitudinem: unde collige commoda paupertatis, & disce ex S. Ignatio, Christum modo opposito *primùm allicere quemlibet ad spiritualem affectum paupertatis, deinde ad opprobrij contemptusq; desiderium, unde humilitatis virtus enascatur, ac virtutes omnes statim introducantur.*

Punct. III. Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Consid. 1. Pauperem hunc statim à morte accepisse fructum paupertatis suæ ceterarumq; virtutum, cùm ab Angelis deductus est in limbū SS. Patrum, dictum *sinum Abrahæ*; quia locū quietis, ac destinatum posteris Abrahæ, fidem ejus ac virtutes imitantibus, dum cælestis gloria per Christum reseraretur. 2. *Mortuus est autem dives, & sepultus est in inferno.* Hîc finis voluptatum, & vitiorum. *Extrema gaudij luctus occupat.* (Prov. 14. 13.) *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* (Apoc. 18. 7.)

Punct. IV. Consid. 1. Divitem è flammis implorare misericordiam Abrahæ: *Mitte Lazarum ut intingat extremū digiti sui in aquā, ut refrigeret linguā meā, quia crucior in hac flamma.* Sed frustrà: *Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua,* mercedem bonorū operū, si quę feceris, *& Lazarus similiter mala,* & corporis incommoda, quibus leviores culpas expiavit; *nunc verò hîc consolatur,* affluit solatiis & certâ spe cælestis gloriæ, *tu verò cruciaris*: versa vice nunc habes pro palatio infernū, pro purpura flammas, pro sociis dæmones, &c. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* (Isa. 33. 14.)

FE.

FERIA VI. POST DOM. II. QVADRAG.

Anno 34. Mart. 22. Jerosol.

Christus parabola de vinitoribus homicidis prædicit Iudæis excidium, & suam gloriam. Matt. 21. Marc. 11. Luc. 20.

PVnct. I. *Homo erat pater-familias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim.* Consf. 1. Hoc patrefamilias significari Deum, vinea vero ab ipso plantata Ecclesiam Judaicam, ac deinde etiam Christianam, & animam cujusque, quæ debet fructum ferre virtutum & bonorũ operum, ad hoc subministrasse Deum cõmoda & auxilia, spiritualia & corporalia, *quid debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* ubi expende beneficia tibi collata, generalia & particularia. 2. Tria hîc peculiariter exprimi, per *sepem*, intellige tutelam divinæ providentiæ per se & Angelos custodes, *urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus & antemurale:* per *torcular*, divinam legem, prementem singulos ut succũ edant pietatis, item tolerantiam tribulationum, & mortificationem affectuum: per *turrim*, verò templum, orationem, sacramenta, & cultum Dei. *Turris fortissima nomen Domini.* 3. *Et locavit eam agricolis*, per hos designantur primates & Magistratus Judæorum, aliique omnes quibus cura salutis aliorum à Deo commissa est. 4. *Et peregrè profectus est*, quo significatur longanimitas Dei, sic se gerentis, ac si abesset; unde fit ut servi pigri otio indulgeant, & officiũ negligãt: tu vide ut Deũ tibi semper præsentem & intentũ statuas.

Isa. 5. 4.

Isa. 26. 1.

Prov. 18. 10

Punct. II. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas ut acciperent fructus ejus; & agricolæ apprehensis servis alium ceciderunt, alium occiderunt. Consid. 1. Infinitam Dei misericordiam diversis temporibus excitasse, Prophetas qui urgerent Magistratus & populum ad producendos fructus virtutum, sed eos plurimos à suis pessimè acceptos & iniquè interfectos fuisse, sic ut crescente Dei misericordia, pariter cresceret eorũ malignitas. Tu bonis operibus constanter insuda, & cave ingratitudinem. 2. *Novissimè misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum*, docet eos Christus quid facere eos oporteat, at illi: *Videntes filium, dixerunt intra se: Hic est heres; venite occidamus eum:* ostendit se conscium conspirationis illorum, in necem suam, illosque satis scire se esse Filium Dei; sed nolle agnoscere excæcatos invidia, & stimulatos avaritia, *habebimus hereditatem ejus*, eò quòd sperarent se occiso Christo munus suum & emolumenta retenturos, quibus aliàs essent exuendi.

Punct. III. Cum ergo venerit Dominus vineæ quid faciet agricolis illis? aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis. Consid. 1. Ipsos hîc inductos hac parabola à Christo, ut sententiam contra se dicerent, & se suo ore damnarent. 2. Ipse etiam Christus illis parabolam applicat, dum subdit: *Auferetur à vobis regnum Dei*, non habendos ampliùs pro populo & Ecclesia Dei, ac donis omnibus spoliandos.

Anno 33. Decembri in Bethabora trans Jord.

Christus parabola filij prodigi invitat ad pœnitentiam. Luc. 15.

PVnct. I. *Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Consid. 1. Duobus hisce filiis designari populum Judaicum & gentilem, tum etiam justum, & peccatorem. Ausus est hic postulare à patre portionem substantiæ, tanquam sibi debitam, & quam ipse per se sciret meliùs administrare: ecce præsumptionem & superbiam. 2. *Et non post multos dies peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè.* Regio longinqua est vita peccatoris, remota à Deo & virtute, seu oblivio Dei & sui. Psal. 72. 72. *Ecce qui elongant se à te, peribunt.* Expende hîc quanta bona, quam vili pretio brevissimæ voluptatis dissipet peccator.

Punct. II. Postquam omnia consummasset, cœpit egere. Consid. 1. Damna & incommoda recedentis à patre, subtrahuntur auxilia & solatia non tantùm spiritualia, sed & corporalia, Sap. 11. 16. *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Et factus diabolo vile mancipium, missus ab eo est, *ut pasceret porcos*, pravas cupiditates rerum terrenarum, *& cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat*, siliquæ, sunt involucra leguminum, quæ ventrem non pascunt, sed implent ita nec mentem terrenæ voluptates. 2. *In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus! Ego autem hîc fame pereo.* Consid. initium conversionis esse agnitionem miseriæ propriæ, & divinæ misericordiæ; unde S. Augustinus: *Noverim me, noverim te.* Interroget se peccator, quod Deus Adamum, Gen. 3. 9. *Vbi es?* & statum suum conferat cum statu justorum. 3. *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Surgat peccator seria voluntate emendationis, qui jacet in cœno vitiorũ, & eat cũ humilitate & fiducia ad patrẽ à quo recessit, à creaturis ad Creatorẽ.

Punct. III. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. Consid. 1. Hos amplexus & oscula signum esse promptæ benevolentiæ & clementiæ Psal. 10. 17. Dei erga peccatores resipiscentes. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* 2. *Dixitq; ei filius: Pater peccavi in cælum*, cælites omnès quos ad vindictam provocavi, *& coram te* cæli Rege, cujus oculos non evasi. *Iam non sum dignus vocari filius tuus*, exui reverentiam & amorem filij, sed non tu clementiam Heb. 4. 16. & viscera patris. *Adeamus ergo cum fiducia thronum gratiæ.* 3. Jubet ei Pater restitui stolam gratiæ virtutibus supernaturalibus exornatam, dari pro annulo pignus reconciliationis, & desponsationis cum Spiritu S. pro calceamento gratias prævenientes & cooperantes, pro vitulo saginato pascit pretiosa carne sua & sanguine, gaudentibus Angelis, *quia*, inquit, *hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat & inventus est*: attende hîc etiam hujus peccatoris conversi solida gaudia, ac firmum propositum perpetuò remanendi cùm tam benigno patre.

DOMI-

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Anno 32. Julio Capharnai.

Christus ejicit dæmonium mutum & cæcum, ac calumniatores refellit.

Luc. 11. Matt. 12. Marc. 13.

PVnct.I. *Erat Iesus ejiciens dæmonũ, & illud erat mutum, & cæcũ,* ut habet Matthæus, *& admiratæ sunt turbæ.* Conf.1. Diabolum in hoc misero homine obstruxisse utramq; viam qua salutem consequi potuisset, nempe loquelam & visum, ut ita in miseriis eum detineret, id quod in anima communiter facit. 2. Proprium hoc esse diabolo, ut impediat homines ne lumen veritatis aspiciant, ac ne Dei laudes, & peccata sua confiteantur, de quo S. Bernardus: *Si pudor tibi est uni homini & peccatori peccata tua exponere, quid facturus es in die judicij, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit?*

Punct.II. In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Horresce hîc ad immanem blasphemiam, & Conf.1. maligni & invidi esse ingenij optimè facta ab aliis, & quæ à piis ac probis laudantur, malè interpretari vel extenuare; ita ut sicut *diligentibus Deum omnia* etiam pessima *cooperantur in bonum,* ita malevolis omnia etiam optima in malum, & unde illi ut apes mel sugunt, hos ut araneas venenum colligere. 2. Christum non reddere hîc maledictum pro maledicto; sed quia honor Dei impetebatur, eum modestè ac nervosè tueri, ut discas idem facere, siquid verò contra tuam personam dicatur, cum Christo patienter ferre. Rom. 8. 28.

Punct.III. Consid. Christum duobus potissimùm manifestis & convincentibus rationibus falsitatem eorum arguere, 1. Ex concordi contentione dæmonum in hominibus lædendis, adeoque hos non pellere invicem, sed in hoc juvare: unde disce tu concordiam & consensionem in bono, ac damna discordiæ; nam *omne regnum,* inquit Christus, *in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* 2. Ex eò quòd ipse Christus fortior dæmone hostiliter cum eo agat, in spoliis animarum amplissimis ei detrahendis; ubi attende dæmonem magis apparere fortem, quam sit, ut leonem se gerere erga tepidos, ut muscam verò erga ferventes.

Punct.IV. Conf.1. Christum exponere deinde hisce Scribis & Phariseis gravitatem mali in quo versantur, cum post acceptum rectæ fidei lumen per legem & Prophetas, novis criminibus novũ ac pleniorem locũ diabolo cedunt, qui deinde reversus inquit Christus, *assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* 2. Magis hoc locum habere in Christianis iisque Ecclesiasticis post clariorem lucem acceptam in vitia plolapsis, unde difficillimũ sit resurgere, quam difficultatem exponens Apostolus ait: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donũ cæleste, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam,* quæ difficultas oritur ex minori gratia Dei ob ingratitudinem, & majori potentia dęmonis, ideoq; studiosè cavendum ne novus ei per peccatum locus detur. Hebr. 6. 4.

Anno 32. Julio in Nazareth. *Christus à suis Nazarethi cõtemnitur & ejicitur.* Luc.4. Matt.13. Mar.6.

PVnct.I. Consid. 1. Christum ingressum Nazareth, ibique Synagogam, cum ex tradito sibi libro Isaiæ prælegisset signa & opera Messiæ: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me &c.* exorsum dicere ad eos oculis
Isa.61.1. ac auribus omnes in se intentis: *Hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris*, atque inde evidenter eis ostendisse hæc signa sibi competere. Ubi attende Christi benignitatem in se illis manifestando, & eorum ingratitudinem in fide illi deroganda, atque hæc tibi applica respectu divinarũ inspirationum. 2. *Et omnes testimonium illi dabant*, quia convicti splendore veritatis, *& mirabantur in verbis gratiæ* ad persuadendum efficacibus, *quæ procedebant de ore ipsius*, quibus quantum capiebantur, tantum & magis avertebantur ob externam speciem paupertatis, *nónne hic est Faber, & Fabri filius, & scandalizabantur in eo*: tu verò Christum adeò propter te humiliatum majori reverentia & amore amplectere.

Punct.II. Conf. 1. Christum ad has tum externas, tum internas eorum obmurmurationes nervosè respondere: *Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: medice cura teipsum*, tuorum concivium infirmitates cura, & necessitatibus miraculo succurre, *quanta audivimus facta in Caphernaum, fac & hîc in patria tua. Ait autem: Nemo Propheta acceptus est in patria sua, & non est sine honore*, nisi ibi. Ratio est, quia familiaritas contemptum parit, & invidia suscitat ne concives sibi patiantur præferri. Hinc disce affectum erga patriam & consanguineos moderari, ac tuis infirmitatibus animi prius medendum, quam alienis. 2. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere*, idque propter incredulitatem & invidiam, *aspernator enim Dominus invidorum est*, ait Ambros. *& ab iis qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ potestatis avertit.*

Punct.III. Consid 1. Christum confirmare dictum suum exemplo Eliæ & Elisæi Prophetarum, qui etiam non fecerunt miracula apud suos propter eorum incredulitatem, sed apud exteros gentiles magis credulos, il-
3.Reg.17.9. le viduæ in Sidonia tempore famis victum curando, hîc verò Naamum
4.Reg.5.14. Syrum à lepra mundando: ita & se ob eamdem caussam illis prætermissis benefacere Caphernaitis, ac deinde etiam Euangelium ac reliqua beneficia translaturũ à Judæis ad gentes: ubi attende quibus divina beneficia tribuantur, non incredulis, invidis, & ex usu contemnentibus, sed fidelibus, caritate conjunctis, & eorũ præstantiam æstimantibus. 2. *Et repleti sunt omnes ira hæc audientes*, quod ut increduli arguerentur, *& ejecerunt illum extra civitatem*, tanquam indignũ patria sua: tu Christum ad te invita, reverenter animo excipe, & cave ne per peccatum ejicias. 3. *Et duxerunt illum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum: ipse autem transiens per mediũ illorum ibat*, sedato gradu securus, nec præcipitans illos quod pro merito poterat, sed memor se mansuetudinis Magistrum, hanc nos exemplo doceat.

FE-

FERIA III. POST DOM. III. QVADRAG. Anno 33. Aug. Capharnai.

Christus hortatur ad correctionem & caritatem fraternam. Matt. 18.

PVnct. I. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* Consid. 1. Christum monere, hîc ut siquis offensus ab alio fuerit, vel peccatum ejus occultum cognoverit, studeat eum corrigere amica, prudenti, & secreta monitione, non ex odio, iracundia, aut fastu, consulendo saluti ejus, & simul, ubi fieri potest honori, ac proinde abstinendum à privata vindicta, & omni detractione. *Vnicuique Deus mandavit de proximo suo.* Eccli 17. 12. Hinc disce hoc caritatis medicamentum alteri, ut dictum est, impendere, tempore, loco, & modo opportuno, ac vicissim ab altero benignè admittere. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula diligentis.* Prov. 27. 6. 4. *Si te audierit, lucratus ejus fratrem tuum.* Subdit fructũ huius correctionis, lucrum non auri, vel argenti; sed animæ ipsius longè præstantioris, ac simul sibi meritum vitæ æternæ.

Punct. II. Consid. 1. Addere hîc Christum, siquis nec proximum amice monentem, nec etiam alios audierit, illum deferendum ad superiorem ejus Ecclesiasticum, *dic Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam non audierit,* persistens in contumacia, *sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Jubet eum præscindi à communitate fidelium, velut noxium, contagiosum, insanabilem, & membrũ putridum, adeoque à talium consortio penitùs abstinendum. 2. Cons. in pluribus religionibus hunc ordinem caritatis propter majus bonum privatum & publicum frequenter non servari, sed defectus immediatè denunciari posse superiori tanquam utriusque patri; atque etiam debere, potissimùm graviores, & ubi à superiore fuerit, ita præscriptum aut interrogatum ad majorem Dei gloriam: quare cave ne hoc tam salutare remedium averseris.

Punct. III. Si duo ex vobis consenserunt super terram, de omni re, quacumq; petierint, ea qua par est fide, spe, humilitate, & perseverantia, *fiet illis, à Patre meo, qui in cælis est.* Quo hortatur omnes ad caritatem fraternam, eaq; inter se unitis spondet efficaciam orationis. 2. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ.* Nam *factus est in pace locus ejus*, atq; hoc alterũ promittit præmiũ caritatis, se illis peculiari favore ad futurũ, non solùm ut Psal. 75. 3. preces eorũ velut Advocatus Patri offerat, sed & eos velut Sol inter planetas medius illuminet, velut Rex in regno gubernet, ut paterfamilias pascat, dux exercitus defendat, ac navarchus dirigat ad portum æternæ beatitudinis. 3. *Tunc accedens Petrus ad eũ, dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittã ei, usque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Cons. hîc longanimitatem & latitudinem caritatis Christi, qua & ipse paratus est delicta nostra remittere, & nos etiam vult vicissim remittere aliis offensas privatas, non certo aliquo numero, sed innumeris vicibus, quoties continget aliquem peccare, & cũ serio proposito emendationis veniam petere.

Anno 33. Aprili in Galilæa.

FERIA IV. POST DOM. III. QVADRAG.

Christus docet munditiem non manuum, sed cordis sectandam.

Matt. 15. Marc. 7. Ioan. 7.

P*Vnct. I. Accesserunt ad Iesum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisæi dicentes: quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant.* Conf. 1. Scribas illos & Pharisæos invidia erga Christum plenos, eò quòd doctrina & miraculis inclaresceret, cum nihil possent in eo reprehendere contrarium legi divinæ, accusare hîc ipsum in discipulis, tanquam violatæ traditionis humanæ, nuper ab illis inductæ, de crebra lotione manuum & calicum: tu cave à carpendis actis aliorum ac minoribus defectibus, dum ipse sæpè gravioribus laboras. 2. *Qui respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* Arguit eos Christus quod suas privatas, adinventiones nullius pietatis aut utilitatis præponant legi divinæ, atque ita soliciti sint de externa tantùm & inani munditie, intus pleni sordibus. *Omnis gloria filiæ regis ab intus.* Cave etiam tu ne propter dicta hominū transgrediaris leges Dei aut religionis.

Psal 44. 14.

Punct. II. Conf. 1. Christum hîc nominatim eos arguere in præcepto de honorandis & colendis parentibus, à cujus observantia alios abducebant perversa interpretatione ad oblationes potiùs faciendas victimarum pro parentibus, idque in propriam utilitatem: hinc cave etiam leges Dei ac religionis torquere in alium sensum ad propria commoda. 2. *Hypocritæ bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Nam verbis prætendebant cultum Dei in excitandis aliis ad sacrificia, corde autem intenti erant in propria lucra, & à Deo alieni. *Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo.*: quare licet homines decipere quis possit, Deum tamen scrutatorem cordium non poterit.

Isa. 29. 13. Psal. 77. 36.

Punct. III. Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Conf. 1. Christū ostendere hîc in quo consistat vera animæ mundities & immundities, non inquinari eam rebus externis, cibis aut carnibus etiam vetitis, sed inobedientia & intemperantia, quæ illarū esu & usu cōmittitur, sicut in pomo Adami. *Quæ autem procedunt de ore* liberè prolata, *de corde exeunt, & ea,* si mala fuerint, *coinquinant* hominem, ut sunt peccata omnia cordis, oris, ac operis, *hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Quare *omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* 2. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Significat eos licet in rectitudine à Deo plantatos, tamen quia maligna voluntate perversos ac spiritu Dei destitutos, exscindendos esse & in ignem mittendos. 3. *Sinite illos,* dicit ad discipulos, *cæci sunt,* quia pertinacia sua excæcati, *& duces cæcorum,* cumque ipsi deberent ducem admittere, ipsi se aliis duces constituunt, quos secum perdunt. *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt,* seriùs oculos aperturi in flammis.

Prov. 4. 23.

FERIA V. POST DOM. III. QVADRAG.

Anno 32. Febr. Capharnai.

Sabb. 4. Temp. Pentec. & pro vitanda mortalitate.

Christus sanat à febri socrum Petri. Luc. 4. Matt. 8. Marc. 1.

P*Vnct. I. Iesus intravit in domum Simonis, socrus autem ejus tenebatur magnis febribus.* Consf. 1. Socrum hanc Petri nomine Perpetuam, hic proponi laborantem gravi febri; ubi comparationem institue inter febrim corporalem & spiritualem, illa est humor noxius calori naturali, hæc prava concupiscentia, ac quodlibet vitium, ut ait S. Ambrosius, noxium amori Dei, illa inflammat caput & ex frigore procedit, hæc animum & ex torpore oritur, illa solvit temperiem humorum, hæc affectuum, illa dignoscitur ex pulsu inordinato, hæc ex curis & vana solicitudine, illa non finit hominem quiescere, nec hæc animum, debilitat illa corpus & deturpat vultum, hæc animum, sitim illa acuit, hæc sitim temporalium, vitiat illa gustum, hęc affectum, ac plures sępè ex utroque morbi gignuntur. Peculiariter autem febri lenta laborat acediosus, quotidiana gulosus, tertiana inconstans: quare expende febris hujus spiritualis gravitatem, damna & incommoda. 2. *Et rogaverunt illum pro ea.* Disce quomodo salus animæ obtinenda sit, nempe excipiendo Christum in S. Communione domo animæ tuæ, & adhibendo patrocinia Sanctorum. 3. *Et stans super illam, imperavit febri, & dimisit illam.* S. Marcus addit, *& apprehensa manu ejus.* Ubi Consid. Christi potentiam, non lentè per medicinas, ut faciunt medici, sed imperio sanantis. 4. *Et continuò surgens ministrabat illis.* Ubi Consid. opus Christi esse perfectum, sicut non sanitatem tantum, sed & simul vires pristinas restituat, pro quibus illa se mox gratam exhibet ministrando Christo: tu similiter à peccatis liber, vires tuas non ampliùs vitiis, sed in obsequium ejus impende.

Punct. II. Cum Sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Iesum, & ille singulis manus imponens, curabat eos. Marcus: *Erat omnis civitas congregata ad januam.* Matthæus: *Ejiciebat spiritus verbo, & omnes malè habentes curavit.* Ubi attende 1. Christi potentiam & promptitudinem in ægris curandis, sed hæc fieri in domo Petri, qua designatur Ecclesia, ut constet ibi tantùm tolli morbos spirituales, & corporales per miracula. 2. *Exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia, quia tu es Filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui.* Consid. Christum hîc docere nos nihil habere commune cum diabolo, qui quò magis videtur commodis nostris favere, hoc magis insidiatur saluti.

Punct. III. Ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & detinebant illum, ne discederet ab eis. Consid. 1. Christum docere hîc nos etiam fugere laudes humanas, siquid rectè egerimus; & in secessu Deo, qui vires dedit, gratias agere. 2. Stude etiam Christum tecum detinere piis affectibus, & observantia divinæ ejus voluntatis.

FE-

Anno 32. Januario in Samaria.

FERIA VI. POST DOM. III. QVADRAG.

Christus Samaritanam mulierem convertit. Ioan. 4.

PUnct. I. Conf. 1. Christũ proficiscentẽ cum Apostolis per Samariam, dimissis iis in urbem Sichar, fatigatum conquievisse in suburbio ad fontem, ibique à muliere veniente haurire aquam, petiisse: *Da mihi bibere;* atque illi cunctanti & miranti, mox addidisse: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Ubi attende Christum cum Apostolis vicos & oppida pedibus obeuntem etiam ad defatigationem, pro animarum conversione, ut hoc exemplo suo illos ac viros Apostolicos eòdem excitaret: petere hîc potum à muliere peccatrice, ut inde occasionem captet eam reficiendi aqua cælestis gratiæ. 2. Quomodo Christus sitiens salutem hujus animæ peccatricis eam expectet, & ultro gratiam suam ei offerat, ac proinde promptiorem fore ad dandam eam petentibus: petit & ille à te bibere, dum petit conatum liberæ voluntatis ad opera bona. 3. *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Consid. aqua hujus mundi significari bona transitoria, quę animum non implent, & ex defectu sitim cum cruciatu accendunt: aqua verò Christi significari cælestem gratiam, quæ animam verè implet & reficit, ac temporalium sitim extinguit, cælestium verò sitim non ex defectu, sed satietate
Eccli. 24. 29 cùm gaudio excitat; atque ita alibi dicit: *Qui bibunt me, adhuc sitient.* 4. *Sed aqua quàm ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quo significat, sicut aqua fontis ascendit ad altitudinem principij unde emanat; ita & hac aqua spirituali gratiæ suæ nos ascensuros ad supremum fontem bonorum omnium Deum.

Punct. II. Consid. 1. Christum, cum monuisset mulierem de vita impura, quam ipsa humiliter & sincerè fatebatur, eam pleniùs instruxisse, sic ut cum diceret illa: *Scio quia Messias venit;* ipse mox reponeret: *Ego sum, qui loquor tecum.* Ubi attende promptitudinem & benevolentiam Christi in peccatoribus sibi conciliandis. 2. Conf. eam relicta hydria festinasse in civitatem, ibique omnibus passim Christum annunciasse, qui deinde eò rogatus adveniens plurimos convertit, dicentes: *Scimus quia hîc est verè Salvator mundi.* Sic & tu ad Christũ cõversus, stude etiam alios ad ipsum adducere.

Punct. III. Conf. 1. Discipulis ex urbe reversis, cibumq; Christo offerentibus, eum respondisse: *Ego cibũ habeo manducare, quem vos nescitis; meus cibus est, ut faciam volũtatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus;* nempe in procuranda hominũ salute, quo significat obedientiam & zelum sibi tam gratum esse, sicut cibus est esurienti, atque animũ nostrum virtutibus illis roborari, recreari, & crescere. 2. Quomodo Christus hîc à cibo corporali, sicut & supra à potu, ascendat ad spiritualem, docens nos etiam ex creaturis ascendere ad Creatorem, & sermonem cum aliis de terrenis bonis deducere ad cælestia.

SAB-

SABBATO POST DOM. III. QVADRAG.

Anno 33. Octob. 7. Jerosol.

Christus mulierem in adulterio deprehensam liberat. Ioan. 8.

PUnct. I. *Adducunt Scribæ & Pharisæi* ad Jesum in templo docentem *mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio; in lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare: tu ergo quid dicis?* Lev. 20. 10. Deut. 22. 22. Consf. 1. Mulierem hanc sisti hîc Christo & accusari statim à peccato commisso, ab iis qui vitiis suis ipsi immersi hærebant: tu vide qua celeritate te Christo sistas ut peccata tua accuses; velox est Deus ad remittenda peccata, tu esto velox ad ea confitenda. 2. *Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum*, vel violatæ legis, si diceret dimittendam, vel arguere non servatæ mansuetudinis, si prætendam: tu intentionem tuam examina in actionibus, ac nominatim in zelo erga proximum.

Punct. II. *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra,* seu pulvere pavimenti. Consid. 1. Christum hîc obvertere dorsum Scribis accusantibus, ut ostendat se non agere hîc judicem ac damnatorem peccatorum, sed medicum ac salvatorem, atque ipsos gravius peccare sua pertinacia & persecutione. *Dorsum & non faciem ostendam eis, in die perditionis eorum.* Ier. 18. 17. 2. Scribebat verba aut sensum eorum quæ mox subjiciebat, simul significans ea scriptione etiam ipsos sectantes bona terrena neglectis cælestibus, velut suppresso pede extinguendos, *recedentes à te in terra scribetur,* Ier. 17. 13. & dissipandos instar pulveris *quem projicit ventus à facie terræ.* Psal. 1. 5. 3. *Et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Consf. hîc prudentiam responsi Christi, clementiam, & benignitatem, admittit legem implendā, sed non à prævaricatoribus legis; quo & monet eum qui vitia aliena vult carpere, debere inspicere conscientiam suam, num ibi graviora lateant; ponit illis peccata ob oculos, sed non dicunt cum Davide, *Peccavi*: tu expone Deo 2. Reg. 12. 13. peccata tua cum serio dolore, non aliena, cum desiderio vindictæ.

Punct. III. *Et remansit solus Iesus, & mulier in medio stans,* solus cum Apostolis & turba, digressis Scribis. Ubi Consid. 1. stetisse ibi fontem gratiæ cum peccatrice, quæ quem non quæsiverat hîc invenit, & quidem per Scribas & Pharisæos: sic Deus variis viis ac modis homines ducit ad salutē. 2. *Et dixit ei: Mulier ubi sunt qui te accusabant? nemo te cōdemnavit? quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo:* vult Christus illam agnoscere beneficium sibi præstitum, & inspirat illi gratiam contritionis, qua elicita absolvit eam coram Deo & hominibus: tu sic vive & lapsus corrige, ut cōscientia tua te non condemnet, imò licet omnes te condemnaverint, si hæc & Christus te liberum declarent, nihil esse metuendū. 3. *Vade, & jam amplius noli peccare.* quia misericors est, peccata dimittit, & quia justus, monet ne relabatur, velut *canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* 2. Pet. 2. 22. *Dulcis & rectus Dominus,* Psal. 24. 8. amandus ob dulcedinem misericordiæ, sed & timendus ob rectitudinem justitiæ.

Anno 33. Martio in deserto Bethsaidæ.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Christus pascit 5. millia virorum 5. panibus, & 2. piscibus. Ioan. 6. Matt. 14. Marc. 6. Luc. 9.

PVnct. I. Consid. 1. Christum Apostolos ab exercitio Apostolico revertentes invitare ad aliquam quietem, ut alacriores deinde redeant, ad novos labores: *Venite*, inquit, *seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.* (Marc. sup.) 2. Transfretantem proinde cum Apostolis suis navigio mare Galilææ, *sequebatur eum* per vicinum pontem *multitudo magna*, quæ de vicinis civitatibus eò confluxerat, *quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.* Attende fervorem & diligentiam populi Christum sequentis, ac signa ejus in te patrata expende.

Punct. II. Dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut manducent hi? Cons. 1. Paternam hîc Christi de suis solicitudinem, priùs tamen media humana tentanda, quàm ad divina & supernaturalia recurratur, quæ differt ut probet eorum fiduciam & constantiam. 2. *Est puer unus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces.* Hæc suggessit Andreas, unde collige nec Apostolis, nec turbæ curam fuisse de victu, sed hanc omnem insigni fiducia Christo, quem sequebantur, reliquisse. 3. Et subdit: *Sed quid hæc inter tantos?* cave divinam omnipotentiam, cui nihil impossibile, metiri tua imbecillitate: aptiùs autem hoc dixeris de bonis caducis, quę quantūvis multa, animū tamen hominis satiare non possunt, non magis quam umbra.

Punct. III. Cons. 1. Jussos deinde discumbere ad quinque millia virorū, præter mulieres ac pueros, idque per dispositos ordines super fœno; adisce hîc à Christo præcepta accumbendi mensæ, ac primū modestiam, & humilitatem, ex memoria infirmæ carnis; *nam omnis caro fœnum.* (Isa. 40. 6.) 2. Temperantiam, nam nulla hîc superfluitas, nihil præter panes & pisces, ut acquiescas oblatis, nec de defectu fortè obmurmures. 3. *Respexit in cælum*, (Luc sup.) docens omne donum inde à cælesti Patre provenire, eoque inspectore cibum sumendum. 4. *Gratias egit.* Si ipse Filius cælesti Patri de paucis panibus ac piscibus gratias egerit, quid nos omni beneficio indigno facere æquum est? certè nihil tam exiguum, de quo non sint Deo gratiæ agendæ. 5. *Et benedixit*, invocando Patris potentiam ad exigui hujus cibi multiplicationem, utque cederet illis in augmentum virium, ad Dei obsequium. 6. *Fregit & distribuit.* Attende hîc Dei omnipotentiam, vicinum aërem in panes & pisces convertentis, providentiam in tempore opportuno, & liberalitatem; nam acceperunt *quantum volebant, & impleti sunt.* Præambulum hoc fuit panis convertendi deinde in corpus Christi, idq; omnibus distribuendi, numquam defecturum, usque ad mundi finem. 7. Denique *collegerunt & compleverunt* 12. *cophinos fragmentorum.* Disce hinc bona corporalia & spiritualia nobis à Deo donata, non minui, quando proximo ex caritate communicantur, sed augeri, ac copiosè non tantùm in altera, sed etiam in hac vita compensari.

FE-

FERIA II. POST DOM. IV. QUADRAG.

Anno 31. Martii 28. Jerosol.

Christus primo Paschate ejicit vendentes è templo. Ioan. 1.

P*Venct. I. Ascendit Iesus Ierosolymam, & invenit in templo vendentes boves & oves, & columbas, & nummularios sedentes, & cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves, & nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit.* Consid. 1. Christum inspecta templi profanatione, accensum ardenti zelo pro reverentia loci sacri evertere omnia eò non spectantia, iisque occupatos flagello ejicere, sic ut de eo rectè intellexerint discipuli illud Davidis: *Zelus domus tuæ comedit me*, totumque occupavit: quare indue etiam zelum pro cultu Dei promovendo, & contrariis ei impediendis. Psal. 68. 10. 2. *Et dixit illis: Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Ubi Cons. Si in templo Christus ita castigaverit committentes aliena atque indecentia, quanto magis castigationi obnoxij sint committentes etiam absolutè illicita in templis nostris longè illo sanctioribus; ubi ipse jam gloriosus in Eucharistia præsens semper est cum multitudine Angelorum: quare disce reverentiam tribuere templis, & fac ex iis domos negotiationis spiritualis, eme ibi dona Dei absque argento, auxilium ejus per orationem, remissionem peccatorum per confessionem, emendationem morū audiendis concionibus, robur animæ usu Eucharistiæ. 3. Sicut Christus cœpit hîc prędicationem suam & animorum conversionem à domo Dei ac divino cultu: ita & tu incipe emendationem vitæ ab anima tua & cultu Dei ibi restaurando; *templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*: & arrepto flagello pœnitentiæ ejice inde affectus animales ac vitia. *Domum tuam decet sanctitudo Domine.* 1. Cor. 3. 17. Psal. 95. 5.

Punct. II. Consid. 1. Christum Judæis interrogantibus qua auctoritate hæc faceret, insinuare illis, sed obscurè, auctoritatem suam supremam & divinam posteà declarandam in resurrectione: *Solvite*, inquit, *templū hoc* (*dicebat autem de templo corporis sui*, seipsum designans manu pectori admota) *& in tribus diebus excitabo illud*, ostensurus eo signo se Dominum esse, non tantùm templi, sed totius universi: ubi attende quoties & tu templum Dei, animam tuam peccando destruxeris, & ille per gratiam resuscitaverit. 2. Cons. discipulos solùm post resurrectionem Christi significationem illam percepisse: unde disce divina mysteria, licet minùs subinde capias, tamen reverenter amplecti, posteà opportuno tempore manifestanda.

Punct. III. Cons. 1. Christum hîc non aperire iis arcana mysteria, eò quòd sciret eorum infirmitatem & incōstantiam; *ipse enim sciebat quid esset in homine*, atque hanc esse caussam cur minùs à Deo illuminemur: quare stude te magis ei probare solidis virtutibus, ad ampliora dona ab eo obtinenda. 2. Magis notā esse Deo infirmitatem nostrā, quàm nobis; unde S. August. *Melius novit artifex quid vitij aut virtutis sit in opere suo, quam ipsummet opus*: quare cave altiora de te præsumere, & inspecta infirmitate tua & aliorum, tibi diffide, & in humilitate te contine.

Anno,33. Octob.2. Jerosol.

Christus docet in templo. Ioan.7.

PVnct.I. *Ascendit Iesus in templum, & docebat, & mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Consid.1. Christum ubi primum cœpit Jerosolymæ se ostendore, ante omnia adiisse templum, idemque nos docuisse exemplo suo: ascendendũ autem in templum & loca sacra mente & moribus, ut ibi cũ Deo altissimo de rebus cælestibus agamus. 2. Cons. Miratos fuisse Judæos, & meritò solidam ac sublimem Christi doctrinam, sed odio excæcatos veritatem respuisse. 3. Hoc ipsum illis declarat, dicens: *Mea doctrina,* quàm vobis trado, *non est mea,* meo studio acquisita, *sed ejus qui misit me,* à cælesti Patre infusa. Sic quisque studiosus humilitatis

Psal.113.9. opera sua laude digna Deo tribuit: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo*

Dan.4.27. *da gloriam.* Superbus verò omnia sibi tribuit cum Nabuchodonosore: *Nónne hæc est Babylon magna quam ego ædificavi in robore fortitudinis meæ? & in gloriam decoris mei?* 4. Viam ostendit eis cognoscendi claritatem doctrinæ suę, & ad experientiam provocat: *Si quis voluerit volũtatem ejus facere, cognoscet de doctrina utrũ ex Deo sit,* ut nẽpe deposito odio & pravo affectu amplectatur studiũ

Sap.1.4. virtutis, ac Dei voluntatem; nam *in malevolam animam non introibit sapientia.*

Punct.II. Cons.1. Christum inspecta maligna eorum voluntate, eos arguere: *Quid me quæritis interficere?* atque ita etiamnum expostulare adversus

Heb.6.6. peccatores, *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei* per nova peccata. *Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes, quis te quærit interficere?* Cons. & imitare insignem Christi mansuetudinem ad enorme convicium, cui non verbum reponit, sed eadem animi & vocis tranquillitate cœptum sermonem pro-

Ioan.5.8. sequitur. 2. *Vnum opus feci, quod omnes miramini.* Ostendit eos malè carpere curationem paralytici à se factam in Sabbato, quasi hujus violationem, cum tamen ipsi passim Sabbatis filios circumciderent, *& mihi indignamini, quia totum hominem,* secundum animam & corpus, *sanum feci in Sabbato,* idque solo imperio? 3. Hinc subdit: *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate,* quo monet eos, ne propter externam speciem paupertatis suæ temerarium de se judiciũ ferant, quod & nobis cavendum in aliis, ab illis verò si nobis fiat, parum laborandum cum in judiciis suis sæpè aberrent.

Punct.III. Hunc scimus unde sit, Christus autem cum venerit nemo scit unde sit; quod

Isa.53.8. hauserant ex erronea interpretatione Scripturæ: *Generationem ejus qui enarrabit?* nempe quoad naturam divinam, ac proinde disce hinc opinionibus tuis etiam sæpè erroneis non firmius adhærere. 2. *Clamabat ergo Iesus in templo, docens: Et me scitis, & unde sim scitis,* nempe quoad externam speciem naturæ humanæ, imò etiam quoad divinam ex operibus & doctrina scire poterant, nisi vitiis fuissent excæcati. 3. *Quærebant ergo eum apprehendere, sed nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.* Disce hinc omnia subjecta esse divinæ providentiæ, & ab ea omnia gubernari, ideoque illi te totum committe.

FERIA IV. POST DOM. IV. QVADRAG. Anno 33. Octob.7. Jerosol.

Christus cæco nato visum restituit. Ioan. 9.

P*Unct.I. Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à nativitate, & interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Consid. 1. Licet peccatum originale origo sit omnium malorum generalium, & peccata actualia sæpissimè caussæ sint particularium afflictionũ; sæpè tamen etiam harũ caussam esse aliam, ut nempe per eas electorum constantia, Jobi, Tobiæ, Susannæ, aliorumque, velut per ignem aurum magis resplendeat, ac Dei gloria in eisdem conservandis, protegendis, & liberandis: atque ita hunc cæcum cæcitate afflictum, ut Christi in eo sanando misericordia eluceret. 2. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.* Consid. hic propensam Christi voluntatem & ardens desiderium laborandi in salute nostra, ac gloria Patris cælestis promovenda, dum tempus meritis hujus vitæ præstitutum conceditur, per mortem deinde velut per noctem subtrahendum, quo & nos exẽplo suo hortatur: quare *quodcumq; facere potest manus tua, instãter operare.* Eccli.9.10.

Punct.II. Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus, & dixit ei: Vade lava in natatoria Siloë; abiit, lavit, & venit videns. Cons. 1. Cum lutum naturaliter magis excęcet, Christum ostendere voluisse se hîc supernaturalem virtutem adhibere; fontem autem Siloë figuram esse baptismi, in quo, ut ait S. Augustinus, genus humanum excæcatum accipit lumen fidei: ubi attende omnes fugere cæcitatem corporis, non verò animi, quia illa sentitur, non hæc. 2. *Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos ejus.* Cons. Christum plurimas curationes fecisse Sabbatis, ut doceret nos se in nova lege gratiæ maximè curaturum morbos nostros spirituales Dominicis Festisque diebus, per verbum Dei & administrationem Sacramentorum, tum etiam in quiete mentis, dum animus liber à curis reliquis vacat rebus divinis. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Osea 2.14. 3. Cons. hunc cæcum sanatum adduci ad Pharisæos, & ab iis variè tentari & divexari, atque ita etiam sanatum spiritu debere animum comparare ad novam tentationem: sed sicut hic constanter profitetur veritatem, ita & nobis cavendum ne metu aliquo humano animũ dejiciamus. *Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate,* ait S. Bernardus.

Punct. II. Cons. 1. Duritiem Pharisæorum, qui tam manifesto signo probato per ipsum cæcum curatum, & parentes ejus examinatos, tamen flecti ad credendum noluerunt: veritatem autem, quò magis oppugnata est, hoc magis eluxisse. 2. Ipsi volenti illos Christo conciliare: *Numquid & vos vultis discipuli ejus fieri? maledixerunt, & dixerunt: Tu discipulus illius sis.* Ubi Consid. justorum esse maledici ab improbis, sed Deum eorum maledictionem convertere in benedictionem.

Anno 34. Martio in Bethania.

FERIA VI. POST DOM. IV. QVADRAG.

Christus Lazarum suscitat à morte. Ioan. 11.

PVnct. I. *Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororis ejus.* Consid. 1. Mariam Magdalenam & Martham sorores Lazari, eo gravi infirmitate correpto, post accepta à Christo plura beneficia & benevolentiæ argumenta, de eadem confidentes, novum hîc artificiosè postulare, misso ad eum trans Jordanem nuncio, brevi quidem, sed pleno prudentia, modestia, fide, humilitate, & resignatione: *Ecce quem amas, infirmatur.* Non petunt ut veniat, nec ut sanet eum; malunt expectare quid Christus velit, quam imprudenter petere quod ipse fortè nolit: disce hinc modum orandi. 2. Respondit Jesus: *Infirmitas hæc non est ad mortem,* permanentem, *sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam,* in suscitando eo à morte. Quis nolit pro gloria Christi illustranda etiam afflictionem aliquam libenter subire? *Invoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me.* Psal 49.15.

Punct. II. Dixit Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus. Conf. 1. Martham Christo advenienti occurrere, & alternantes edere motus naturæ & gratiæ, fidei & diffidentiæ, spei & desperationis de fratre suscitando: Christum verò distulisse venire, ut rebus desperatis opem ferret; unde S. Augustinus: *Distulit sanare, ut posset resuscitare.* 2. *Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio & vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* Significans mortuos omnes per se resurrecturos, ac viventes vivere, & justos æternùm victuros, idque ut Martham instruat de sua divinitate, unde & hæc mox subjecit: *Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.*

Punct. III. Iesus ut vidit Mariam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea, infremuit spiritu, & turbavit seipsum. Conf. 1. Christum commotum lachrymis ac dolore sororum, excitasse in se affectum commiserationis, ac simul justæ indignationis contra incredulitatem Judæorum præsentium. *Omnibus omnia fa-* 1. Cor. 9.22.
ctus est, *ut omnes faceret salvos,* & nos exemplo suo idem doceret; *flere cum flentibus,* ac potissimùm deflere peccata nostra & proximi. 2. *Venit ad monumentū, & ait: Tollite lapidem. Dicit ei Martha: Domine jam fœtet, quatriduanus est enim.* Rom. 12.15.
Conf. hoc mortuo quatriduano adumbrari peccatorem mortuum spiritu, & inveteratum primùm delectatione peccati, inde consensu, tum opere externo, denique peccandi consuetudine, qua velut lapide premitur ne resurgat. 3. Christus actis gratiis æterno Patri de miraculo præstando, *voce magna clamavit: Lazare veni foras.* Clamor hic designat imperium & potentiam Christi in mortuos, ac simul magno impulsu gratiæ opus esse ad peccatorem inveteratum revocandum in vitam gratiæ. 4. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus.* Conf. hîc stuporem præsentium, multorū conversionem ad fidem, aliorum obstinatam animi duritiem; Lazarum verò ad Christi pedes provolutum gratias ei egisse de tanto beneficio, vitamque suam reliquam Christo dicasse.

SAB-

SABBATO POST DOM. IV. QVADRAG. Anno.33. Octob.7. Jerosol.

Christus docet se lucem esse mundi. Ioan.8.

P*Unct.I. Ego sum lux mundi.* Conf.1.Sicut lux corporea gratissima est oculis corporis, eaque carere summa est miseria; unde verè Tobias: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* ita & lucem Tob.5.12. spiritualem fidei & gratię multò jucũdiorem & utiliorem esse animæ nostræ,eamque à Christo velut Sole in omnes latissimè diffundi:*illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non Judæos tantùm, sed & gentiles, Ioan 1.9. parvulos per baptismum, adultos verò libera voluntate ad se accedentes,neminem ex parte sua destituens:quam Christi erga omnes benevolentiam ama & imitare. 2. Sicut lux corporea inter qualitates naturales est nobilissima,purissima,& efficacissima,adfert splendorem, calorem,& vigorem cũctis viventibus: ita & hac luce spirituali mentes hominum illuminari,ad amorem accendi,ac suscitari fervorẽ in bonis actibus: quare cave ne hanc lucem tibi oblatam umquam excludas. 3. Licet lux corporea Solis nos quotidie in occasu destituat, ejusque absentiam lux ignis supplere possit, lucem hanc, nisi ipsi excludamus, numquàm à nobis defecturam: unde S. Augustinus: *Si non ab illo facis casum, numquam à te ipse facit occasum;* neque hunc occasum suppleri aliunde posse.

Punct.II. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Conf.1. Christum hîc invitare omnes ad sequendam doctrinam suam & exempla, quæ velut faces lucidissimas nobis præfert exteriùs, intus verò addit lumen fidei & gratiæ, ut abducat nos à tenebris errorum, & præcipitiis vitiorum, ac per viam salutis & actus virtutum deducat rectà ad lucem cælestis gloriæ,vitamque immortalem. 2.Conf.infelicitatem eorum,qui relicta hac luce Christi,sequuntur lucem fallacem diaboli,mundi,& carnis,qua deducuntur per tenebras errorum & præcipitia vitiorum, in tenebras æternas inferorum; *velut si avis festinet ad laqueum, & nescit quod de pretio animæ illius agitur.* Prov.7.23. *Lux venit in mundũ, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucẽ.* Ioan 3.19. *Melius erat illis non cognoscere lumen justitiæ, quam post agnitionẽ retrorsum cõverti.* 2.Pet.2.21.

Punct.III. Dixerunt ei Pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Conf 1. Testimonium de se ex communi hominum judicio non haberi fide dignum, propter philautiam seu amorem sui, qui hominem excæcat, de quo S. Gregorius: *Vehementer claudit oculum cordis amor privatus.* 2.Laudem etiam in ore proprio sordescere. *Laudet te alienus, non os tuum.* Prov.27.2. *Non glorietur sapiens in sapientia sua.* Ier.9.23. *Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* 2.Cor.10.18. 3. Ostendit tamen Christus verum esse suum de se testimonium, eò quòd venerit missus legatus à prima Veritate, quæ nec falli possit, nec fallere, *& in lege scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est:* Deut.17.6. hinc disce & tu hæc testimonia revereri, nec moveri judiciis humanis, sæpè erroneis: *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 1.Reg.16.7.

DOMI-

Anno 33. Octob. 7. Ierosol.

DOMINICA PASSIONIS.

Christus inter docendum conviciis appetitus patientia sua Passioni præludit. Ioan. 8.

PVnct. I. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Consid. 1. Insignem innocentiam Christi, qua confisus non veretur etiam juratis hostibus suis judicium de se committere, ut siquid scirent, proferrent: tu attende quam necessaria sit hæc vitæ innocentia iis potissimum, qui in salutem proximorum incumbunt, quàm longè inde absis, & quam in multis argui possis. 2. Licet Christi vita esset innocentissima, & doctrina verissima, tamen Judeos noluisse illi credere, cujus caussam assignat: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ecce manifestum signum salutis & filiationis Dei, libenter audire & obedire verbo Dei: cave igitur ne in te locum habeat illud quod subdit: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo nō estis,* & consequenter ex diabolo, cujus suggestiones auditis, & impulsus sequimini. Exquire deinde in particulari quid te impediat, quò minus credas & obedias verbo Dei.

Punct. II. Responderunt ei Iudæi: Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Cons. 1. Gravissimam hanc fuisse utramque cōtumeliam; nam Samaritani legem Mosaïcam novo errore gentilitatis adsperserant, diabolus verò Dei gloriam sibi iniquè arrogaverat, quod utrumq; Christo hic impingitur: qui primum silentio modestè dissimulat, nam Samaritano Custos significatur, quod Christo competit: alterum verò simpliciter negat, non regerendo convicium, *responsio mollis frangit iram, & sermo durus suscitat furorem.* 2. Hanc Christi mansuetudinem à Moyse & Davide adumbratam, Christianis quidem omnibus, sed maximè Ecclesiasticis esse imitandam, nam illa Christo proximè assimilamur. 3. Ostendit Christus signa se habere spiritus non maligni sed sancti, nam inquit: *Honorifico Patrem meum,* ex Deo genitus, & ab eo missus, ad honorem ejus omnia dirigo. *Non quæro gloriam meam* in vindicandis potissimùm contumeliis vestris. *Est qui quærat & judicet* cælestis Pater, suo tempore ulturus. Disce & tu etiam illi curam honoris tui committere.

Prov. 15. 1.

Punct. III. Siquis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternū. Cons. 1. Non desistere hic Christum benefacere ingratis, ac pro contumeliis reponere beneficia, & antidotum contra mortem æternam, nempe observantiam doctrinæ suæ: non igitur audientibus tantùm, sed servantibus doctrinam suam Christus vitam æternam promittit. 2. Ostendit etiam vanitatem gloriæ humanæ, quæ ab hominibus quæritur: *Si ego,* inquit, *glorifico meipsum, gloria mea nihil est,* non magis ac si à pueris vel statuis quæreretur, seu solida cum Christo à Deo petenda est: *Est Pater meus qui glorificat me,* cui placuisse tibi sufficiat. 3. Clariùs insinuat se esse Filium Dei & Messiam: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit & gavisus est.* Attende quantum nobis gaudendum sit, qui adventu Christi nunc fruimur, & anhelandum ut in cælesti gloria ipse nos excipiat.

FERIA II. POST DOM. PASSIONIS. Anno 33. Octob. 7.

Missi ad Christum capiendum, convertuntur. Ioan.7. Jerosol.

PVnct. I. *Miserunt Principes & Pharisæi ministros ut apprehenderent Iesum, qui dixit eis: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui misit me.* Consid. 1. Christum hîc ostendere, vanos fore eorum conatus ad se capiendū ante tempus à cælesti Patre constitutum, sed modicum anni medij superesse, ac tunc illis permittendam executionem odij sui & malignæ voluntatis; interim se in prædicatione sua ac miraculis perrecturū: hinc disce etiam æquanimitatem, & fiduciam in Deo. 2. Addit seipsum tunc etiam ultrò oblaturum illis ad mortem, idq; libenter, cùm per illam transiturus esset ad Patrem, donandus ab eo corona gloriæ. 3. *Quæretis me, & non invenietis*, postquam in cælos ascendero, alij iterum ad mortem, alij etiam ad salutem, sed vana pœnitentia cum Antiocho, qui *orabat scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* (2. Mach. 9. 13.) 4. *Et ubi ego sum, vos non potestis venire.* Rationem addit cur frustra ab iis quærendus sit, eò quòd quamdiu vitiis suis inhærerent, numquam essent perventuri ad gloriam cælestem, ubi ipse esset futurus.

Punct. II. In novissimo autem die magno festivitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens: Siquis sitit, veniat ad me, & bibat. Consid. 1. Hoc octavo & ultimo ac celeberrimo die festi Tabernaculorum Christum ardentiori affectu omnes invitare & excitare ad doctrinam suam capessendam: siquis sitit, seu desiderat doctrinam cælestem, gratiam, dona, fructus Spiritus sancti, divitias, honores, voluptates veras, atque æternam beatitudinem, veniat ad me fontem aquæ vivæ, hauriat ex me credendo, bibat sperando, delicietur amando. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite absque argento.* (Isa. 55. 1.) *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* (Isa. 12. 3.) 2. *Qui credit in me* viva fide, *sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* (Ioel 2. 28.) Tanta copia replebitur donorū cęlestiū, ut & per virtutum actus ea sit amplè testaturus, & in alios derivaturus. (Psal. 44. 3.) *Quā magna multitudo dulcedinis tuæ Domine!* (Psal. 30. 20.) 3. Cons. quanto ardore & studio mūdani homines sitiant bona transitoria hujus vitæ. *Venter impiorum insaturabilis.* (Prov. 13. 25.) *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* (Ier. 2. 18.)

Punct. III. Consid. 1. Ministros ad Christum capiendum missos, solis verbis ejus, nullo miraculo viso, ita permotos fuisse, ut ipsi capti ad salutem fuerint, & re infecta ad suos redeuntes, responderint: *Numquam sic locutus est homo:* nec Moyses, nec David, nec Salomon cum tanta confidentia, majestate, gratia, potestate cordium, tradidit doctrinam adeò solidam, sublimem, certam, claram, & convincentem: tu Chistum roga ut & sic loquatur ad cor tuum. 2. Consid. fortitudinem animi eorum, qua deposito omni respectu & timore humano, sensum suum illis clarè exponunt: hanc & tu imitare in virtutis studio prosequendo.

Anno 33. Septemb. in Galilæa.

FERIA III. POST DOM. PASSIONIS.

Christus vadit clam Ierosolymam ad Scenopegia. Ioan. 7.

P*Unct. I. Erat in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia.* Consid. 1. Festum hoc Tabernaculorum, quæ sub dio tunc passim struebantur ex ramis arborum, institutum fuisse per octiduum servandum in memoriam vitæ sic olim traductæ in deserto à majoribus petentibus terram promissam: unde & tu disce accepta à Deo beneficia grato animo recolere, atque etiam esse te in hoc mundo velut peregrinum, nec proinde affigendum animũ
Heb. 13. 14. rebus transitoriis. *Non habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* 2. Et hortabantur Jesum cognati ac propinqui, ut occasione festi conferret se Jerosolymam, *ut & discipuli tui videant opera tua quæ facis, nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palàm esse, si hæc facis, manifesta teipsum mundo;* ut nempe ibi in omnium concursu editis miraculis innotesceret, ac pro Messia declararetur, in quo ipsi proprium honorem ac promotionem spectabant: tu cave in operibus tuis, similes sinistras intentiones.

Punct. II. Dicit eis Iesus: Tempus meum nondum advenit: tempus autem vestrum semper est paratum. Consid. 1. Christum, cum sciret Jerosolymæ strui sibi insidias ad necem, ejusq; tempus à Patre constitutum necdum adesse, nolle se palàm eò conferre, ut & nos doceret declinare prudenter pericula corporis & animæ, ac solari nos tempus gloriæ & gaudij nostri etiam necdũ advenisse, sed futurum posteà: amatores verò mundi nunc deliciis & honoribus affluere, posteà tormentis & opprobriis affligendos. 2. Rationem
Sap. 2. 12. allegat cur Judæis & mundo exosus sit: *Quia*, inquit, *ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt. Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris:* ubi attende si & tu propter virtutem ab aliis pa-
Ioan. 15. 20. tiaris, te in hoc assimilari Christo. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si*
Matt. 10. 25 *patrem-familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?*

Punct. III. Vt autem ascenderunt fratres ejus, sive cognati, *tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.* Consid. 1. Christum deinde subsecutum suos Jerosolymam, ibique cum priùs latuisset, palàm comparuisse, ut interim & ira malevolorum defervesceret, & piorum ad se desiderium accresceret, eosque tunc aliis expeditos haberet magis attentos. 2. *Et Iudæi quærebant eum, in die festo, & murmur multum erat in turba de eo; quidam enim dicebant: quia bonus est; alij autem dicebant: non, sed seducit turbas.* Consid. eos in die festo quo debuissent Christũ quærere ad salutem suam, & doctrinam ejus audiendam, quærere ipsum ad necem, atque ita etiam multos festis diebus cultum Deo debitum convertere in cultum diaboli per peccata. 3. Disce hinc exemplo Christi sequentes eum non evasuros etiam varia hominum de se judicia, fore semper qui probent rectè dicta ac facta, alios
1. Cor. 4. 3. etiam qui improbent. *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer aut ab humano die, qui*
Isa. 5. 20. *autem iudicat me Dominus est. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.*

FERIA IV. POST DOM. PASSIONIS.

Anno 33. Decemb. 7. Jerosol.

Christus die encœniorum profitetur se Messiam. Ioan. 10.

P*Unct. I. Facta sunt encœnia in Ierosolymis.* Consid. 1 Encœnia hæc annuè celebrata in memoriam dedicationis templi factæ per Ducem Judam Machabæorum, cum illud ab Antiocho Rege profanatum ipse triennio post ex purgatum iterum Deo dicasset, ejusque annuam memoriam servandam statuisset: unde & tu disce etiam memoriam servare & colere dedicationis animæ tuæ per baptismum, ac religionis vota Deo factæ: *Templum Dei sanctum est, quid estis vos:* ideoq; cave ne illud umquam per peccatum mortale profanetur, & committatur diabolo spoliandū auro caritatis. 2. Et ambulante Jesu in templi atrio sub porticu Salomonis, *circumdederunt eum Iudæi, dicentes: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palàm.* Consf. hîc malignum studium Judæorum, quo conantur Christum inducere ut palàm se profiteatur Messiam, unde ipsum de affectato regno possint accusare: ita increduli & superbi vitia sua derivant in Christum, sed sapientia infinita scrutans corda falli non potest. 1. Mach. 4. 42. 1. Cor. 3. 17.

Punct. II. Respondit eis Iesus: Loquor vobis, & non creditis, opera quæ ego facio in nomine Patris mei testimonium perhibent de me. Consf. 1. Hîc insigne documentum, aliàs sæpiùs à Christo allegatum pro muneris sui veritate comprobanda, & ad instructionem nostram, si Christianus es, religiosus, Ecclesiasticus, sapiens, nobilis, Ecclesię Doctor, non verbis id jacta, sed opere pręsta, fructus probant de arbore qualis sit, lapis lydius de auro, sic opera de homine. *Non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hîc beatus in facto suo erit.* 2. *Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis: oves meæ vocem meā audiunt.* Ecce verum signū justorum, obedientiam: peccatores verò velut hœdi obsurdescunt ad vocem Christi, instar Pharaonis, & *cor suum ut adamantem posuerunt*, sed obedire cogentur aliquando extremæ voci Christi ad eos: *Discedite à me maledicti.* 3. Addit solatium fidelibus suis in obedientia perseverantibus, *& ego cognosco eas*, notitia peculiari approbationis & beneplaciti, *& sequuntur me* per observantiam mandatorum in gloriam cælestem. Nam *& ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Iac. 1. 25. Exod. 7. Zach. 7. 12. Matt. 25. 41.

Punct. III. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, ut lapidarent eum, qui respondit eis: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, sive per ejus potentiam, in curādis ægris, pascendis famelicis, &c. *propter quod eorum opus me lapidatis? Hæccine reddis Domino, popule stulte & insipiens?* 2. *Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deū.* Hinc collige ipsos ex verbis Christi satis cognovisse illum se profiteri Messiam, sed avertisse oculos ne agnoscerent veritatem. 3. *Si non facio opera Patris mei*, quæ solus ipse facere potest, & per me facit, *nolite credere: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Ubi Consf. Christū sæpiùs ad opera sua appellare, tanquam argumenta convincentia; unde & tu ei totum te cum perfecta fide & obedientia submitte. Deut. 32. 6.

Feria V. post Dominicam Passionis, vide festum S. Mariæ Magdalenæ, 22. Julij.

Anno 34. Martio Jerosolymæ.

FERIA VI. POST DOM. PASSIONIS.

Concilium Iudæorum de perdendo Christo. Ioan. 11.

PVnct. I. *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Conf. 1. Principes Sacerdotum & Pharisæos, auditis & perspectis pluribus illustribus miraculis à Christo editis, quibus convinci debebant ad eum agnoscendum Messiam, odio tamen & invidia excæcatos animũ indurasse, & anxios se urgere quorsum differant

Sap. 2. 12. eum de medio tollere. *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris.* Disce hîc etiam in rebus gravibus deliberandis non mundum aut carnem consulere, sed Deum, ejusque lucem implorare. 2. Exstimulatos ad hoc fuisse ab inordinato metu perdendi temporalia. *Venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem,* eò quòd alium nobis Regem præter Cæsarem designemus. Ubi Conf. cæcum amorem, quo salu-

August. tem æternam postponunt temporali. *Plus perditi homines cogitabant, quomodo nocerent ut perderent, quàm quomodo sibi consulerent, ne perirent. Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt.*

Punct. II. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam; nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit. Conf. 1. Caipham Concilij Præsidem, auditis aliorum sententiis de Christo perdendo, iisq; superbè discussis, arguere eos, quasi nihil congruum suggesserint, cumque ipsi potissimùm incumberet justitiam tueri, ipsum prætextu publicæ utilitatis aliis iniquitate antecelluisse. Attende hîc majorem rationem exigendam ab eis, qui cum aliorum peccata ratione officij compescere debuissent, ea ipsi fovent. 2. Spiritum sanctum voluisse hîc uti Caipha, quia Pontifice anni illius, tanquam instrumento ad prophetiã: intendebat quidem ille, expedire mortem Christo inferendam, ut mortem temporalem evaderet populus Judaicus; at Spiritus S. ut Christus mortẽ subiret, & sic totus orbis evaderet mortem æternam. Disce hîc etiam Spiritũ S. peculiariter regere Ecclesiã, sed potissimùm novã, ejusq; caput Pontificẽ, aliosq; superiores, licet improbos.

Punct. III. Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eũ. Conf. 1. Eos hîc communi decreto quasi Senatusconsulto firmasse occisionem Christi, eoque pondus præcipuum addidisse suscitationem Lazari, sic ut beneficiis quibus emolliendi fuissent, magis fuerint indurati. Tu agnosce peccata tua

2. Reg 24. 17. Christo caussam mortis fuisse: *Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi.* 2. *Iesus ergo jam non in palàm ambulabat.* Ubi Conf. Christum subduxisse se ad breve tempus, quod superer at à Patre constitutum, & recepisse se cum discipulis in civitatem Ephrem, id est, fructiferam, ut ibi oratione solitaria animaret se & armaret ad instantem mortem, & arduum duellum cum Judæis & dæmonibus ineundum.

D O.

DOMINICA PALMARVM,

Et pridie Sabbato.

Anno 34. Mart.20. in via Jerosol.

Christus asinæ insidens Hierosolymam honorificè ingreditur. Matt.21. Marc.11. Luc.19. Ioan.12.

P*Vnct.I.*Conſ.1.Chriſtū ad radicem montis Oliveti non longè Hieroſolymis, mittere duos è diſcipulis ad conquirendā ſibi è vico vicino aſinam cum pullo,in quo argumentum edebat & divinitatis ſuæ in prædicendis abſentibus ac futuris, & ſupremi in res omnes dominij. *Dicite,* inquit,*quia Dominus his opus habet.*Tu examina te,num quid poſſideas quod Chriſto petenti velles recuſare, atque omnia illi ſubjice cum vero affectu paupertatis. 2.Conſ. promptam & cæcam horum diſcipulorum obedientiam, qua mandatum Chriſti mox feliciter ſine ulla moleſtia executi ſunt. 3. Voluiſſe Chriſtum hac ſpecie triumphi intrare Hieroſolymam, ut exemplum nobis daret contemnendi omnem mundi hujus pompam, atque hoc contemptu parandi triumphum in Hieroſolymam cæleſtem.4.Aſinam ad hoc aſſumi,quia tranquillitatis & pacis amicam, ac laboris maximè patientem, ut oſtendat regnum ſuum hîc eſſe humile, pacificum & mite: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*, nunc ut agnus in commodum tuum, venturus poſteà ut leo adverſus rebelles. Zach.9.9.

Punct.II. Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via; alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Conſid.1. Hæc facta à turbis in ſignum reverentiæ & obſervantiæ tanquam Meſſiæ ſuo tot ſæculis deſiderato: tu illum excipe affectibus virtutum, ſubſterne paupertatem in contemptu veſtium,palmas victoriæ de pravis affectibus, ac frondes olivarum pacis cum proximo ſervandæ. 2. Inſtitutum hunc triumphum diſponente Chriſto,quia aggreſſurus erat acre certamen adverſus diabolum,peccatum,& infernū;& certus de palma victoriæ,atque inde pacem conciliaturus Deū inter & homines, ſic triumpho ſuo præludere voluit.

Punct.III. Et clamabant,dicentes: Hoſanna Filio David. Conſid.1. Fauſtis his acclamationibus turbas gratulari Chriſto, ac fauſta precari, Salus ſit & proſperitas Filio David,ac per illum in nos deſcendat. Et tu Chriſto gratulare gloriam non terrenam,ſed cæleſtem,omneſque ſuas perfectiones, humanas ac divinas,& precare ut eū omnes agnoſcant, diligant, & imitentur. 2.Et addunt:*Benedictus qui venit in nomine Domini.* Beatum prædicant, quia miſſum à Deo ad regnum Iſraëliticum jam collapſum feliciùs reſtituendū;cujus ut & tu particeps fias,benedictionē ejus implora. 3. Quàm grata Chriſto acciderunt hæc præconia & obſequia, tam & acerba fuit, quàm prævidit poſt paucos dies futuram, turpiſſima inconſtantia; hîc enim honorant illum veſtibus ſuis, tunc eum propriis ſpoliaturi, & illuſuri veſte aliena: nunc colunt frondibus & floribus,tunc ſpinis & flagellis cruciaturi: nunc clamant *Hoſanna* & plauſus,tunc *crucifigatur* & opprobria.

Anno 34. Mart. 9 Bethaniæ.

Christus Bethaniæ cœnans, ungitur à Magdalena. Ioan. 12. Matt. 26. Marc. 14.

PVnct. I. *Ante sex dies Paschæ venit Iesus Bethaniam, & fecerunt ei cœnam ibi in domo Simonis Leprosi, & Martha ministrabat.* Conſ. 1. Christum instante morte divertisse Bethaniam, quæ significat domum obedientiæ, ut inde se ad passionem conferret, nosque exemplo suo doceret etiam ardua aggredi ex affectu virtutis obedientiæ: *Vir obediens loquetur victorias.* 2. Illum ibi benignè exceptum convivio à Simone dicto Leproso, qui à lepra per Christum sanatus, hoc grati animi obsequium exhibere illi voluit, quod & fecit Martha ministrando, & Magdalena ungendo pro fratre Lazaro suscitato, hic etiam simul recumbens laudes Christi palàm eloquendo: tu expende beneficia à Christo accepta, & ad gratitudinem te excita: *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.*

Prov. 21. 28. Psal. 102. 2.

Punct. II. Conſ. 1. Magdalenam eò venisse instructam theca alabastrina cùm eximio unguento expresso è nardo selecta & spicata, sive ex ipsis spicis, quo designabat internam charitatem è puro corde, & affectum humilitatis solidæ ac medullatæ; unctis verò pedibus Christi reliquum *effudit super caput ipsius recumbentis.* 2. *Et domus impleta est ex odore unguenti,* & Ecclesia ex fama virtutis; tu stude proximum bono exemplo sic ædificare, ut dicere possis: *Christi bonus odor sumus.*

Matt. sup. 2. Cor. 2. 15.

Punct. III. Dixit unus ex discipulis ejus Iudas Iscariotes: Vt quid perditio hæc? potuit enim istud venumdari multò, & dari & pauperibus. Conſ. 1. Opus hoc Magdalenæ quantumvis pium & optimum, non tamen evasisse obtrectationem Judæ, & aliorum discipulorum: unde disce etiam animum comparare ad ferendas obtrectationes in bonis operibus: cave autem tu aliorum facta arguere, argue te cum tempus inutiliter perdis. *Vt quid perditio hæc?* 2. *Dixit autem hoc quia fur erat.* Ubi Conſ. Judam avaritiam suam & crimen furti voluisse palliare prætextu succurrendi pauperibus, sed non potuisse illudere sapientiæ Christi.

Matt. sup.

Punct. IV. Dixit Iesus: Quid molesti estis huic mulieri? Sinite illam, opus enim bonum operata est in me. Conſ. 1. Christum hîc suscipere caussam Magdalenæ, eamque defendere contra omnes multò potentiùs quam ipsa per se potuisset: unde disce in injuriis illatis etiam illi caussam tuam committere. 2. Reddere illum etiam dicti sui rationem, *pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis, & prævenit ungere corpus meum in sepulturam;* nam quia mortuũ ungere posteà non poterit, prævenit vivum: quo & nos docemur captare occasiones virtutum. 3. Christum hanc obtrectationem Magdalenæ convertisse in summam ejus gloriam, quando hoc opus ejus per totam Ecclesiam ad finem usq; mundi celebratur; ita honorat Christus suos benefactores.

Matt. sup.

F E-

Feria III. majoris hebdomadæ, vide II. de Paſſ. Domini, de oratione in horto.

FERIA IV. MAIORIS HEBDOMADÆ.

Anno 34. Mart. 25. Jeroſol.

Chriſtus flagellatur, & coronatur. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

PUnct. I. Conſ. 1. Chriſtum poſt duriſſimas exagitationes nocte tota, falſas accuſationes, & illuſiones, tradi à Pilato flagellandum, ut ſatisfaciat furori Judæorum, licet jam aliquoties agnoviſſet & pronunciaſſet innocentem: confer cum Chriſto innocentiã tuam, & cave ne cum Pilato ex reſpectu humano contra cõſcientiam tuã pecces. 2. Hanc ſententiam Pilati proinde iniquam fuiſſe, quia ſciebat innocentem, ignominioſam, quia ad ſuppliciũ ſervorũ, crudelem quia atrocius excipiendã juſſit, ut vel ſic Judæorũ animis ad miſerationem flexis, cũ morti ſubduceret.

Punct. II. Conſ. 1. Chriſtum coram ingenti hominum multitudine veſtibus omnibus nudatum, & columnæ alligatum, quanta confuſione? idque ad tegendam nuditatem tuam veſte gratiæ & gloriæ: quanta benevolentia! ad luenda delicta tua: *Quoniam ego*, inquit, *in flagella paratus ſum. Quæ non rapui tunc exſolvebam.* Pſal. 37. 18. Pſal 68. 5. 2. Quàm acerba fuerit Chriſto hæc flagellatio, tũ ab inſtrumentis quæ feruntur fuiſſe triplicia, virgæ ſpinoſæ, nervi durati, & catenæ ferreæ: tum ex corporis exhauſti tenerrima, complexione, tum à tortorum ſibi ſuccedentiũ e tota cohorte ſævitia, & diaboli ſuggeſtione ad exprimendã impatientiam: tum à plagarum multitudine, quæ modu omnem exceſſerũt; unde *à planta pedis uſq; ad verticẽ capitis nõ erat in eo ſanitas.* Iſa 1. 6.

Punct. III. Et exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei. Conſ. 1. Chriſtum vix reſumptis veſtibus iterum exutum, eaſq; plagis recentibus adhærentes cum acerrimo dolore revulſas, & injectam illi chlamydem coccineam ſeu purpuream, ut quod aliis honoris inſigne eſſet, cederet illi in irriſionem & contumeliam. 2. *Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus*, non erat ſatis amori Chriſti pati communia & uſitata, novis ſuppliciis caſtigare in ſe voluit nova ſtudia noſtra in ſectandis pravis cupiditatibus. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum Mater ſua*, gens Judaïca. Cant. 3. 11.

Punct. IV. Et poſuerunt arundinem in dextra ejus, idque pro ſceptro in ſignum regni ejus vani & ludicri, *& genuflexo ante eum illudebant ei, dicentes: Ave Rex Iudæorum.* Hîc ille Rex regum eſt, quem reverenter adorant, & coram quo tremunt omnes Principes cæleſtes. 2. Quem ut vanum Regem irriſerant, ut vile mancipium indignè tractant, *expuentes in eum, percutiebant caput ejus arundine, & dabant ei alapas.* Chriſtus verò humiliter & patienter ferebat omnia, nemine compatiente. 3. Conſ. Chriſtum ſic miſerrimè deformatum produci à Pilato foras populo oſtentandum: *Ecce homo*, Pſal. 44. 3. ille *ſpecioſus forma præ filiis hominum*, jam non habet ſpeciem hominis: *Vidimus eum, & non erat aſpectus.* Iſa. 53. 2. Non tamen hiſce mota ſunt indurata corda Judæorum: quare tu ſaltem Chriſto ab omnibus deſerto compatere.

FE-

Anno 34.
Mar. 24.
Jerosol.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

Christus lavat pedes Apostolorum. Ioan. 13.

PVnct. I. Consid. 1. Christum instante extremo vitæ suæ fine, voluisse nobis relinquere duo singularia ardentissimi & constantis sui erga nos amoris argumenta, quæ expressit in lavandis suorum pedibus, adumbrans se esse qui sordes animæ ablueret, & in institutione Eucharistiæ. O quanto nobilior est amor Christi amore mundi, qui serò inchoat, citò deficit, parum donat! tu sic age, ut amor tuus erga Christum in finem usque perseveret. 2. Quare *cœna facta, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*, imperium, salutem, & redemptionem orbis, *& quia à Deo exivit*, ut filius naturalis, *& ad Deum vadit*, peracturus scenam ultimam, in qua maximè ostenderet, quo esset in Patrem amore ac zelo gloriæ ejus promovendæ. Consi. hîc supremi Domini tui majestatem. 3. Hîc tantus *surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se: deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Attende quomodo Christus se prosternat ad pedes vilium piscatorum, etiam Judæ, ac disce cum eo alacriter obire humilia obsequia, & cōdonationem injuriæ.

Punct. II. Venit ergo ad Simonem Petrum, qui dicit ei: Domine, tu mihi lavas pedes? Deus homini, Dominus servo, Rex regum mancipio, sanctissimus peccatori? Et tu consid. distantiam inter supremam illam majestatem, & vilitatem tuam. 2. Christus monet Petrum latere hîc mysterium, nempe puritatis requisitæ ad sumptionem Eucharistiæ, & exemplum humilitatis & caritatis: *Quod ego facio, tu nescis modo:* & adhuc repugnantem ex studio reverentiæ & humilitatis permovet interminatione separationis à se: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Scias virtutes omnes obedientiæ contrarias, minimè Deo placere. 3. Unde perculsus Petrus, *Non tantùm pedes*, inquit, *sed & manus & caput.* Disce & tu nihil magis horrere quàm separationem à Christo; atque imitare hanc Petri obedientiam promptam cognita Christi voluntate, & cæcam, cùm mysterium ignoraret.

Punct. III. Consid. 1. Christum lotis pedibus Apostolorum, & ad mensam cum iis reversum, pro explicatione mysterij, commendare & inculcare illis obsequia humilitatis & caritatis exemplo suo: *Si*, inquit, *ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes*; ostendens non decere servum aut discipulum, ut dedignetur opus, quod videt Principem ac Magistrum suum facientem. 2. Detecto mysterio stimulum addit: *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Hoc nobis dedit morti proximus, ut altiùs inhæreret, atque ad omnis virtutis exercitium excitamento esse posset. 3. Subdit denique: *Non est servus major Domino suo, neque Apostolus major est eo, qui misit illum. Si hæc scitis,*
Luc. 12. 47. *beati eritis, si feceritis ea:* secus verò infelices; nam *servus sciens & non faciens voluntatem domini sui, plagis vapulabit multis.*

FERIA VI. MAIORIS HEBDOMADÆ.

Anno 34. Mart.25. in monte Calvar.

Christus crucē bajulat, illiq́ affigitur. Matt.27. Mar.15. Luc.23. Ioan.19.

P*Vnct.I.* Consid.1. Pilatum iterum victum humano metu Judæorum, sicut damnaverat Christum innocentem ad flagellationem, ita & deinde damnare ad mortem crucis, quam sententiam hic humiliter acceptavit: vide tu quo animo injurias sustineas, & scias te frustra cum Pilato innocentiam externam ostentare, nisi intus conscientiam laveris. 2. *Et bajulans sibi crucem exivit.* Cons. gravissimam trabem crucis humeris Christi jam exhaustis impositam, id quod nulli latroni fieri solet, quamquam maximè in ea gravabant peccata nostra: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* *Isa.53.6.*

Punct.II. Consid.1. Christo sub onere succumbente, Simonem Cyrenæum iussum *portare crucem post Iesum,* ut scias etiam tibi crucem aliquam ferendam, eaque te sublevandum à Deo in tempore opportuno. 2. Convertit se ad piam turbam sequentem ac plangentem, monens: *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Non prohibet lacrymas commiserationis, sed præfert compunctionis, quibus & propria, & aliena peccata eluantur, ac prædicit imminentia illis supplicia: *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

Punct.III. Consid. 1. Christum, ubi pervenit ad montem Calvariæ, iterum vestibus omnibus exutum, atque ita renovatis cum gravissimo dolore vulneribus sacro sanguine suo reliquo contectum. 2. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum,* dum ipse nobis propinat suum sanguinem, & vinum convivij cælestis. 3. *Et ibi crucifixerunt eum*; in loco suppliciis infami, ad majorem ignominiam & horrorem, locatur super lignum crucis, velut alter Isaac, sed non subducendus morti, extendit obedienter manus innocentes, quæ sicut & pedes nervis pleniores, clavis configuntur *foderunt,* *Psal.21.17.*
inquit, *manus meas & pedes meos.* O Jesu *quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me,* à populo Iudaico mihi præ ceteris dilecto, imo & nunc à Christianis, longe dilectissimis. *Zach 13.6.*

Punct.IV. Cons.1. Crucem in altum elevatam novo ejus dolore ac ignominia, cum plausu malignorum, & planctu piorum, ubi expende tribus clavis confixum, qui *appendit tribus digitis molem terræ,* qui à Seraphinis velata facie proclamatur *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* qui sacerdos est Magnus, Doctor veritatis, & Dux fortissimus. 2. Inter latrones ipse medius pendet, ut doceat humilitatem: nudus ut paupertatem: clavis confixus, ut constantiam: extensis brachiis, ut te amplectatur: inclinato capite, ut det osculum pacis. 3. Inter subsannationes & blasphemias orat pro illis, ut & tu injurias condones: latronem donat beatitudine, ne quis desperet: Matri afflictissimæ Ioannem in filium substituit, & nos omnes in illo: Tandem in cruce moritur, ut moneat te perseverandum usque in finem. *Isa.40.12.* *Isa.6.3.*

SAB-

Anno 34. Mart. 26. Jerosol.

De dolore B. Mariæ Virginis in Paßione Domini.

PVnct. I. Conſ. 1. B. Virginem Mariam uberrimè in ſe expertam vaticinium Simeonis olim ſibi aſſertum: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, quando tum ex occurſu Filij crucem bajulantis jam penitùs deformati, tum deinde ex ejuſdem in crucem ſublati, cui proxima adſtabat, diuturniori ſpectaculo, tum denique ex mortui & laceri ejus corporis in materno ſinu ſuo recumbentis complexu, acerbiſſimos animo dolores excepit. 2. Si ſanctos deinde aliquos ſpectaculo abſentes ſola recordatio Paſſionis Chriſti per commiſerationem ita affecerit, ut de ea ſine graviſſimo doloris ſenſu nec loqui, nec audire, nec cogitare poſſent, quid de Matre ejus cenſendum eſt, præ omnibus impenſiùs Filium amante? 3. Voluit Deus illam Filio ſuo tam acerbo dolore etiam aſſimilari, ut ne quis fortè ſperaret in hac vita ſe ab afflictione immunem fore, conſtaretque eam viam omnibus eſſe calcandam. 4. Manſit tamen Virgo ſemper animo erecta, ſic ut & Filij cruciatus, & dolores ſuos ardenti amore offerret æterno Patri pro ſalute noſtra, etiam ampliores oblatura, ſi opus eſſet.

Luc. 2. 35.

Punct. II. Quantus fuerit Virginis dolor colligе ex amore quo in Filiũ ferebatur, eoque triplici, 1. *Naturali*, quia in unigenitum ſuum, forma ſpecioſum, indole amabilem, ſenſu tenerum, moribus & vitæ integritate eximium, ac Regni heredem. 2. *Ex amore ejus acquiſito* per uſum 30. annorum, conſtanti ſub uno tecto contubernio, una menſa, congreſſu, & conſuetudine, ſuaviſſimis alloquiis, & tot myſteriorum communicatione, in quibus paternas ſimul in amando vices & ipſa explebat, & ipſe mutuis amoris argumentis. 3. *Ex amore ſupernaturali*, cum ſciret Deum ſimul eſſe & hominem, fontem gratiarum & omnis boni, mundi redemptorem, ac de omnibus ſemper optimè meritum. Unde S. Auguſtinus: *Tantùm neceſſe eſt urat dolor, quantùm hæſerat amor.* 4. Accendebat dolorem intima cognitio de cruciatuum atrocitate, opprobriorum acerbitate, ac populi ſui poſt tot accepta ab eo beneficia ingratitudine, adeò ut quot inde Filius doloris ſenſus, totidem ipſa doloris gladios animo exciperet, ideoque & *Regina Martyrum* ab Eccleſia meritò appelletur.

Punct. III. Conſid. 1. Apoſtolos undecim profugos & Magiſtri ſui morte perculſos ex Dei inſtinctu ſe ad hanc Virginem, velut unicam ſalutis anchoram recepiſſe, veniam deprecatos fugæ ſuæ, ac nominatim Petrum de ſua immani negatione, quos omnes illa velut benigna Mater, ac gallina pullos ſub alarum ſuarum protectione excepit. 2. Roboravit omnes in fide reſurrectionis, ut quem jam in crucem actum & mortuum cognoſcebant, ſicut illis prædixerat; ita etiam proximè redivivum ſimiliter crederent ac ſperarent, juxta ejuſdem promiſſum.

IN

IN DIE PASCHÆ.

Anno 34. Martij 27. ad sepulch. Domini.

De Resurrectione Domini. Marc. 16. Matt. 28. Luc. 24. Ioan. 20.

PVnct. I. *Maria Magdalene, & Maria Iosephi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum.* Conſ. 1. Has pias mulieres poſtridie Sabbati Paſchalis ſummo manè emptis aromatibus contuliſſe ſe ad ungendū corpus Chriſti mortuum, de more Judæorum: in quo attende ardentem amorem erga Chriſtum jam mortuum, obedientiam legis in ſervandâ quiete Sabbati, diligentiam, & conſtantiam; tu etiam Chriſtum unge unguento dictarum virtutum. 2. *Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Ubi Conſid. fortitudinem amoris, qui nec lapidis mole, nec militum cuſtodia abſterrebatur: quare etiam, ubi eò advenerunt, *viderunt revolutum lapidem*; ita Deus pro viribus laborantes & in ſe confidentes ipſe ſublevat. *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, inquit Apoſtolus. 1. Cor. 15. 10

Punct. II. Conſ. 1. Animam Chriſti poſt exhibitum Patribus in Limbo deſideratiſſimum tot ſæculis ſui ac divinæ eſſentiæ conſpectum, cum inexplicabili gaudio beatitudinem conſequente, ſimul etiam animabus è Purgatorio, Paſſionis ſuæ merito perpurgatis, veniſſe cum duplici hoc lætiſſimo comitatu, die tertiò à morte ſua, ſub ortum Solis ad locū ſepulchri, ibiq; corpus ſuum vulneribus deformatum, quod illis oſtendebat, mox aſſumptum diffuſione gloriæ ſuæ recreaſſe, quidquid in eo lacerum erat, ſervatis tamen 5. vulneribus, reſtauraſſe, & quidquid ſordidum deterſiſſe, cōmunicando ei ſimul dotes glorioſas, *impoſſibilitatis*, qua ab omni corruptione deinceps liberū eſſet, *claritatis*, qua Solis etiam radios ſuperaret, *agilitatis*, qua in partes omnes moveri ſubitò poſſet, & *ſubtilitatis*, qua ſine ullo obſtaculo quidvis penetraret: Expende hîc quanta, in eo à triduo, cum in cruce penderet, commutatio. 2. Conſ. Chriſtum corpore jam glorioſo lapidem ſepulchri penetraſſe, & cū duabus his turmis velut alterum Jacobum gaudio exultantem, Angelorum inſuper multitudine accedente, ante omnia Matri ſuæ ſe videndum exhibuiſſe, quod & acerbior ejus dolor, certior fides, firmior ſpes, & ardentior amor, ac viciſſim Filij in illam poſtulabat. Expende hîc quæ gaudia animum Matris ſubitò occuparint, ut dicere poſſet: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam*; quæ inter Matrem & Filiū colloquia. 3. Conſid. Cauſſam reſurrectionis Chriſti fuiſſe, ut nobis ejuſdem ſpem conferret, nam *quo præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis.* 1. Cor. 15. 14 Gen. 32. 10. Pſal. 93. 19. S. Leo.

Punct. III. Conſ. Mox poſt Chriſti reſurrectionem veniſſe Angelum, qui cùm ingenti motu ad excitandos cuſtodes lapidem ſepulchralem revolvit, *erat autē aſpectus ejus ſicut fulgur, veſtimēta autem ejus ſicut nix.* Unde cuſtodes territi fugerūt, mulieres verò piȩ recreatæ ſunt: *Nolite expaveſcere.* Timeant qui Chriſtū perſequuntur, non vos, qui *Ieſum quæritis Nazarenū crucifixū, ſurrexit non eſt hîc.* Tu ſic in poſterū vive, ut dici de te poſſit: *Surrexit non eſt hîc* in vitiis, in quibus ante fuit. Matt. ſup.

FERIA II. POST PASCHA.

Christus apparet discipulis euntibus in Emaus. Luc. 24.

Anno 34. die Resurr. in via Emaus.

PUnct. I. *Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes?* Consi. 1. Duobus discipulis ipso die resurrectionis adhuc afflictis de morte Magistri sui, ideoque ad levandum dolorem Hierosolyma egressis, de ambulantibus versus Emaus Castellum Judeę, Christum se socium jungere aliena specie, eorumque sermones suaviter qui sint, exquirere, tum ut afflictos soletur, tum potissimùm ut ostendat pia colloquia sibi placere, seque iis libenter interesse, sicut diabolus delectatur & adest colloquiis pravis. 2. Mirantes illi Christum quasi peregrinum & ignarum eorum quæ contigerant, reponunt: *de Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo;* talis & tu esse stude, ut exemplo & verbo proximū doceas, Deo & hominibus comprobantibus. 3. *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël,* à servitute gentilium Romanorum, regnumque in pristinam vel majorem dignitatem redacturus, quam spem indicant jam collapsam: tu cave ne umquam spem abjicias, quæ in anima velut sanguis vitæ est, & anchora qua Deo adhæreas.

Punct. II. O stulti & tardi corde ad credendum! Consid. 1. Reprehendi hîc à Christo ut Magistro eorum inscitiam & tarditatem in credenda sua resurrectione, tam illustribus testimoniis per Prophetas prædicta, eoque ut se erigant acrioribus verbis stimulari: tu ne ægrè feras superiorū & aliorum monita: *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis.* (Prov. 27. 6.) 2. Rationem adfert passionis & mortis suæ: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Si oportuerit Christum ex decreto Patris cælestis ea via pervenire in gloriam suam sibi alioqui debitam, quanto magis nos oportebit eadem via in gloriam intrare alienam? quare & nos stulti & tardi corde sumus, si in tribulatione deficimus: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* (Act. 14. 21.) 3. *Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Consi. hîc & imitare operam & studiū Christi pro duabus hisce ovibus errantibus reducendis.

Punct. III. Et appropinquaverunt Castello, quò ibant, & ipse finxit se longius ire. Consid. 1. Christum præ se tulisse & composuisse se ad ulteriorem profectionem, ut excitaret eos ad virtutem hospitalitatis, & sic digni fierent ipsum agnoscere; vult quidem ipse esse nobiscum, sed & rogari vult. 2. *Dū recumberet, aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis,* quem panem credibile est juxta sanctos Patres fuisse Eucharisticum, eoq; illuminatos, ut significaretur vis Eucharistiæ mentem spiritualiter illuminandi. (August. Chrysost. Hieron.) 3. Disparente deinde Christo, *dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Consid. Christum sic loqui exteriùs, ut etiam intus corda divino amore succendat, tu sic age cum proximo, ut idem de te dicere possit.

FERIA III. POST PASCHA.

Anno 34. die Resurr. Jerosolym.

Christus apparet Apostolis absente Thoma, palpandum se iis exhibet, & confert intelligentiam Scripturæ sacræ. Luc. 24. Marc. 16. Ioan. 20.

PVnct. I. *Stetit Iesus in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis.* Consid. 1. Christum Apostolis jam accepto nuncio de sua resurrectione, ac pavidis tum ob dubiam ejus præsentiam, tum ob culpam infidelitatis, tum ob insolentiam Iudæorum, benignè apparere medium inter illos, ut comprobet veritatem dicti sui: *Vbi sunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matt. 18. 20. 2. *Serò* venit illis jam *recumbentibus*, ut interim eorum desideria accenderet: Ioan. Mar. sup. *si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit.* 3. *Cum fores essent clausæ*, ut ostenderet se corpus habere gloriosum, quo sine obstaculo penetrare quidvis posset, ac se libenter etiam accedere eos qui clausas habent januas mentis, nempe quinque sensus, atque ita exclusis mundi curis & vanitatibus, intus cum Deo collecti sunt. 4. *Dicit eis: Pax vobis.* Communi salutandi formula, qua prosperitatem, & omne bonum iis precatur: roga eum ut & te beare velit pace hîc cum Deo per orationem, cum proximo per caritatem, ac tecum per mortificationem affectuum, eoq; collabora. Habac. 2. 3.

Punct. II. Conturbatis adhuc Apostolis de improvisa hac Christi præsentia, & anxiis num ipse etiam esset, an forte Spiritus, palpandum se iis exhibet, dicens: *Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habent.* Vbi Consid. 1. Christi benignitatem in Apostolis incredulis in fide firmandis, ut si visui etiam suo non crederent, certiori tactu veritatem explorarent, quæ conjuncta cum promissis Christi, ejusque miraculis, & prophetiis, resurrectionem ejus reddebant infallibilem. 2. Ad augendam eorum fidem & gaudium petit cibum, *& cum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis.* Non dedignatur pro eis lucrandis hanc manducationem, statui suo glorioso non convenientem: ut & tu de statu & jure tuo nõ dedigneris remittere pro salute proximi. 3. Reservasse Christũ quinq; sacra vulnera non solum ut certa essent signa ejusdem corporis redivivi, sed ut in cælo apud Patrem essent trophæa victoriæ de morte, peccato, & dæmone, ac pretia nostræ libertatis, quibus quidvis pro nobis impetraret: apud nos vero excitamẽta remanerent mutui amoris & gratiarum actionis, ac loca refugij: Judæis denique & omnibus peccatoribus extremo die ingratitudinis argumenta.

Punct. III. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Consid. 1. Christũ hîc illuminasse mentem Apostolorum pro assequendo genuino ac vero sensu Scripturarum, ac potissimùm de morte sua & resurrectione, quod donum etiam aliis deinde specialiter communicatum est: unde collige Scripturam sacram non esse per se adeò manifestam, quin altiori lumine indigeat. 2. Si discipulorum euntium in Emaus cor arserit divino amore ex verbis Christi, non minùs hîc existimandũ est de Apostolis

Anno 34. Aprili ad mare Gal.

Christus apparet septem discipulis piscantibus. Ioan. 21.

PVnct. I. *Manifestavit se iterum Iesus discipulis ad mare Tyberiadis.* Cons. 1. Christum apparere hîc discipulis piscantibus ad vitandum otium & victum sibi comparandum, ut ostendat se adesse non otiantibus, sed laborantibus: per mare autem significari præsens sæculum, plenum fluctibus tentationum & tribulationum, per littus verò in quo ipse stans apparet, soliditatem quietis æternæ, quàm ipse jam securus ab omni tribulatione & carnis corruptione, sed de nobis solicitus occupabat. 2. *Et in illa nocte nihil prendiderunt*; ut discerent omnem fructum piscationis animarum ad quam destinabantur pendere à Christo, ab eo dirigendam & benedicendam: *Sine me nihil potestis facere.* (Ioan. 15. 5.) *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* (Psal. 126. 1.)

Punct. II. Manè autem facto stetit Iesus in littore, non tamen cognoverunt discipuli, quia Iesus est. Consid. 1. Christum hîc manè apparere, ideoque nos debere tunc maximè eum in oratione expectare. *Manè exaudies vocem meam.* (Psal. 5. 4.) *Manè adstabo tibi & videbo. Repleti sumus manè misericordia tua.* (Psal. 89. 14.) 2. Petit ab eis: *Pueri numquid pulmentarium habetis?* sive obsonium, sciebat eos nihil accepisse, petit, tamen ut cogat eos cognoscere suam egestatem, & occasionem det auxilij implorandi. 3. *Dicit eis: Mittite in dextram navigij rete, & invenietis. Miserunt ergo, & jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Ecce fructum obedientiæ, *vir obediens loquetur victorias.* (Prov. 21. 28.) Per dextram verò significatur intentio recta maximè necessaria viris Apostolicis, & studium rerum spiritualium, per sinistram intentio prava, & studium temporalium. *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* (Matt. 6. 33.)

Punct. III. Dixit discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Consid. 1. S. Joannem hîc & aliàs sæpè se hoc nomine appellare, ut ostendat se gloriari in favore non humano, sed divino. *Solus autem Virgo Virginem agnovit.* (Hieronym.) *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* (Matt. 5. 8.) & sicut erat castissimus, ita & erat Christi amantissimus. Hinc collige quò quis Deo virtute similior, & oratione est familior, eò magis ipsum ejusque perfectiones agnoscere & penetrare. 2. *Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se, & misit se in mare*; ut moræ impatiens citiùs Christo adnataret contemptis periculis: ubi Consid. per Joannem significari lumen vitæ contemplarivæ perspicacis ad agnoscendum Deum, per Petrum fervorem vitæ activæ properantis ad Christum. 3. Invitat deinde Christus etiam alios discipulos ad prandium à se miraculosè paratum, tum ut confirmet veritatem suæ resurrectionis, tum ut doceat se nobis etiam post labores hujus vitæ paraturum prandium in cælis, ubi cum eo epulemur.

FERIA VI. POST PASCHA.

Christus apparet Magdalenæ, & deinde in via aliis mulieribus. Ioan. 20. Matt. 28. Marc. 16.

Anno 34. die Resurr. ad sepulch. Domini.

PVnct. I. *Maria stabat ad monumentum foris plorans.* Consid. 1. Magdalenam cum aliis piis mulieribus post nunciatum Apostolis abesse corpus Christi, cum iisdem pariter ad sepulchrum reversam, eisque iterum inde sine solatio digressis, perstitisse anxiam & solicitam omnia circũspiciendo. *Flebat inquirendo, & amoris sui igne succensa, ejus quem ablatum credidit, ardebat desiderio* 2. *Dum inclinavit se, vidit duos Angelos in albis sedentes. Amanti semel aspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis, perseveravit ut quæreret, unde & contigit, ut inveniret, factumq; est ut desideria dilata crescerent, & crescentia caperent quod invenissent.* 3. *Dicunt ei illi mulier: Quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.* Non Angelos quærit, sed Angelorum Dominum, quem plorat sublatum, vitam animæ suæ. Examina & tu causas affectuum tuorum; felices lacrymæ ob Deum amissum per peccatum, vel etiam substractum justis ad exercitium.

Gregor.

Gregor.

Punct. II. Et conversa retrorsum, vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Consid. 1. Magdalenam non agnovisse Christum ob fidem adhuc imperfectam, & quia solet Deus sæpè sensim & per gradus se fidelium mentibus exhibere. 2. *Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? illa existimans quia hortulanus esset. Dicit ei: Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* Vbi S. Ambrosius: *Ploras, quia non vides Christum, crede & videbis, non lacrymis opus est, sed fide.* Hortulani speciem assumit Christus, quia ipse agrũ Ecclesiæ & animæ nostræ irrigaverat sanguine suo, evellit spinas vitiorũ & sentes tristitiæ, atque inserit semina virtutum, & gaudia. Conf. in Magdalena animi magnitudinem cum dicit: *Ego eum tollam,* etiamsi fuerit in atrio Sacerdotum, vel in domo Pilati, omnia vincit amor, & sibi possibilia imò & facilia reputat. 3. *Dicit ei Iesus: Maria. Conversa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur Magister. Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Vocat eam Christus sono vocis consueto, & statim conversus est dolor in gaudium, & lacrymæ doloris in lacrymas gaudij & amoris! hîc fructus est perseverantiæ.

Punct. III. Conf. 1. Magdalenam abeuntem assecutam in via alias pias socias præcedentes, accendisse eas desiderio vidẽdi Christũ narratione apparitionis sibi factæ, nec voluisse Christum has præsentia sua frustrare, tum ob sedulitatem in adeundo sepulchro, tum ob constantiam qua sibi in cruce adhæserant: quare *occurrit illis dicens: Avete,* sive pax vobis, gaudete, ac simul eas pedibus suis advolutas implevit gaudio & spe similis resurrectionis. 2. *Et ait illis nolite timere, ite nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Confirmat Christus dictum Angelorum, & jubet suos ire in Galilæam, qua transmigratio significatur, nempè à vitiis & tumultu, ubi Christus se ostendit.

Feriæ VI. post Pascha, vide Dom. SS. Trinitatis.

Anno 34. die Resurr. ad sepulch. Domini.

SABBATO IN ALBIS.

SS. Petrus & Ioannes currunt ad sepulchrum Christi. Ioan. 20. Matt. 28. Marc. 16. Luc. 24.

P*Unct. I.* Consf. 1. Mariam Magdalenam cum aliis piis mulieribus viso sepulchro Christi sine corpore, & cognita ex Angelis ejus resurrectione, quam discipulis ac nominatim Petro nunciare jubebantur, venisse festinanter in urbem ad eos *cum timore* ob stupenda quæ viderant, *& gaudio magno*, ob lætum nuncium quem acceperant & deferebant, quo etiam priorem tristitiam plurimùm mitigarunt. 2. *Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis*: tam ægrè avellitur homo à sensibus, cùm tamen illi toties audivissent Christum prædicentem suam mortem & resurrectionem, & illam jam scirent præcessisse, ac Lazarū & alios plures ab eo ad vitam revocatos, ac tot miracula patrata, hærent nihilominùs, ut nos ex eorum hæsitatione pleniùs in fide roboremur: attende hîc cavendam & levitatem in credendo, & duritiem, adeoque signa prudenter investiganda.

Luc. sup.

Punct. II. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, cum Joanne, *currebant autem duo simul.* Consid. 1. Utrumque hunc Apostolum accepto hoc nuncio tanquam ceteris ferventiores statim se contulisse ad Christi sepulchrum, nec retardatos timore militum, quos sciebant ibi ad custodiam constitutos; *præ ceteris cucurrerunt qui præ ceteris amaverunt*, inquit S. Gregorius. 2. *Et ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro*, quia ætate juvenili agilior, & cupidior videndi corpus Christi, quod viderat in cruce deformatum: Petrus verò & senio, & timore offensæ retardatus. *Ille autem non introivit*, correptus sacro horrore corporis sacri, & ut Petro seniori ac digniori reverentiā deferret: sic & tu aliis potissimùm dignioribus libenter cede. 3. *Venit Simon Petrus sequens eū & introivit.* Et omnia accuratè inspiciens cōfirmabatur in fide de Christi resurrectione. *Tunc introivit & ille discipulus*: Sic fidem sequitur charitas, & utraque roboratur resurrectione Christi.

Punct. III. Consid. 1. S. Petro cum Joanne à sepulchro redeunti, & solitario, cum esset *secum mirans quod factum fuerat*, Christum peculiari favore apparuisse: unde collige magnis peccatoribus ob magnum fervorem conversionis peculiaria etiam divini favoris signa non rarò exhiberi, cum primùm ex mulieribus post matrem apparuit Magdalenæ, & ex viris Petro, ut *ubi abundavit delictum*, superabundaret & *gratia*, & hinc discant peccatores in divina misericordia confidere, si seriò resipiscant. 2. Petrū confusione plenum supplicem procidisse Christo, qui illum suavissimis verbis est solatus, & animavit, & jussit ceteros Apostolos in fide resurrectionis confirmare, quod & præstitit, sic ut non ampliùs eam pro deliramento haberent, sed asseveranter dicerent quia *surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.*

Rom. 5. 20.

DOMI-

DOMINICA IN ALBIS. P. I.

Anno 34. die Paschæ Jerosol.

Christus octavo die resurrectionis apparet iterum Apostolis, præsente Thoma. Ioan.20. Marc.16. Luc.24.

PUnct.I. *Cùm serò esset, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis: Pax vobis.* Consf.1. Venire Christum velut columbam pacificam post diluvium Passionis suæ cum ramo olivæ apprecantem pacem, non terrenam, sed cælestem, ac perpetuam: tu etiam cum Deo pacem ini, quàm numquam violes. 2. *Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino,* & confirmati tam manifestis indiciis ex viso & palpato ejus corpore: tu gaude etiam in hac vita de Deo ac Christo, non verò in rebus terrenis & fluxis, *memor fui Dei, & delectatus sum.* Psal.76.4. 3. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Simili nempe potestate mihi data, licet non pari, mitto vos ut Legatos Regios, Episcopos, & orbis Doctores, simili amore, ut per multos labores & dolores munus legationis obeatis, simili modo, ut doctrinam meam ac vestram vitæ probitate, ac miraculis etiam confirmetis, fine deniq; eodem ad fidem & salutem omnium hominum quaquersum promovendam; tu etiam sic te missum intellige.

Punct.II. Hæc cùm dixisset insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sicut. Consid.1. Hoc spiraculo voluisse Christum ostendere naturam Spiritus sancti, eumque a se etiam procedere, ac per eum conferri vitam supernaturalem animæ nostræ, sicut Adamus vitam naturalem spiraculo à se acceperat. 2. Communicari hîc Apostolis potestatem divinam, nam ejus est injurias remittere, cui illatæ sunt, quam neque Angelis, neque Sacerdotibus in lege veteri, communicaverat. 3. Sicut potestas hæc remittendi peccata effectum sortitur infallibilem in ritè dispositis; ita & potestas retinendi in non ritè dispositis, sic ut maneant peccata ea coram Deo debitis suppliciis obnoxia, quæ Sacerdos sibi reservavit.

Punct.III. Conf. Infinitam in hoc Christi bonitatem, qua non contentus instituisse Sacramentum Baptismi ad peccatorum omnium ablutionem, quæ ante eum commissa essent: verùm prætereà conscius fragilitatis nostræ providere hîc nobis voluit de remedio adversus relapsus, quod instituit 1. *tam amplum*, ut ad peccata quotcumque & quantacumq; quorumvis fidelium ad finem usque mundi delenda sufficeret. 2. *Tam efficax*, ut sine mora temporis, in instanti per verba Sacerdotis certò & infallibiliter in ritè dispositis peccata omnia tollerentur. 3. *Tam facile*, ut nō uni, sed cuivis Sacerdoti eam potestatem communicaverit, neque à nobis requirat nisi humilem cum debito dolore commissorum confessionem. 4. *Fructum* hujus Sacramenti esse non solùm remissionem culparum, sed etiam pœnæ æternæ, ac sæpè temporalis, insuper incrementum gratiæ habitualis & actualis, progressum in virtute, & animæ quietem ac pacem.

Anno 34. Oct. Paschæ Jerosol.

Christus sanat incredulitatem Thomæ. Ioan. 20.

PVnct.I. *Thomas unus ex duodecim, non erat cum eis quando venit Iesus.* Consid. 1 Thomam non fruitum fuisse jucundissimo conspectu Christi cum ceteris Apostolis, ipso die resurrectionis, eò quod se ab eorum consortio separasset: unde disce quam noxiū sit se à bonis separare. 2. Ubi ab aliis relatum illi est se Christum vidisse, reposuit ille: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorū, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Quibus verbis peccavit graviter incredulitate, pertinaciâ, & superbia. Hinc collige humanam fragilitatem, & quam quisque cautè ac circumspectè incedere debeat, ne & sic labatur. 3. Vide num major sit incredulitas tua, dum post plura Christi & Ecclesiæ testimonia non credis practicè bona cælestia digniora esse terrenis, virtutes scientiis, & gratiam Dei gratiâ hominum: unde erubesce dum hæc illis anteponis.

Punct.II. Post dies 8. præsente cum ceteris Thoma, iterum *venit Iesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis.* Ubi Consid. 1. Christum se iterum ostendisse discipulis in gratiam Thomæ, ut errantem reduceret, & quidē januis clausis, ut etiam illum doceret se frui privilegio corporis gloriosi, eodemque se de sepulchro resurrexisse: in quo attende Christi benignitatem, eamque imitare erga eos qui te offenderunt. 2. Non tantùm adit eum Christus, sed & prior alloquitur, jubetque se tangere, ut illi & nobis certiora relinquat argumenta suæ resurrectionis, unde Gregorius: *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit, quia dum ille per fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita, in fide solidatur.* 3. Collige vulnus lateris Christi amplum fuisse, in quod ille jubetur manum inserere, ut per omnia Christus votis ejus obsecundet. 4. Subjicit illi Christus: *Et noli esse incredulus, sed fidelis.* Quæ verba sunt suavis & paternæ monitionis, qualia etiam intus sæpè ad cor nostrum loquitur.

Punct.III. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Ubi Consi.1. Thomam tam manifestis & validis argumentis convictum, intimè de peccato suo pœnitentem ex magno affectu fidei, spei, & caritatis inclamasse: *Dominus meus,* qui me morte tua redemisti, iterumque perditum, & singulari amore quæsitum invenisti. *Et Deus meus* fons omnis boni, qui me creasti & conservas, te veneror, & super omnia diligo. Idem & tu pari affectu cum Thoma repete, vel cum S. Francisco: *Deus meus & omnia.* 2. Laudat hîc quidem Christus Thomam à fide, *quia vidisti me Thoma, credidisti,* at beatos appellat eos qui evidentia illa non adjuti, tamen crediderunt, id quod nobis debet esse solatio, nam ut rectè Gregorius: *Ibi fides majus habet meritum, ubi humano ratio non præbet experimentum. Ille autem verè credit, qui exercet operando quod credit.*

DOMI-

DOMINICA II. POST PASCHA.

Anno 33. Octobri in Judæa.

Christus ostendit sibi competere proprietates boni Pastoris. Ioan. 10.

P*Vnct. I. Ego sum Pastor bonus.* Conf. 1. Christum non dedignari nomen pastoris ovium, quod munus olim per plerosque Patriarchas typos suos expresserat, quo suavius nos ad se attraheret, ideoque sicut pastores solent ovium suarum exuvias quandoque assumere, ita & ipsum naturam nostram, qua magis nobis assimilaretur, assumpsisse, de quo amore gratias ei age. 2. Ostendit duas præcipuas proprietates pastoris boni sibi competere, quæ sunt avertere ab ovibus noxia, etiam cum incommodo suo, imò & vitæ jactura, ac providere iis de alimento ceterisque necessariis. Priorem hîc exposuit, dicens: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Ubi Consid. Christum ut nos velut oves suas à morte æterna liberaret, & contra infernalem lupum diabolum defenderet, non solùm acerbissima subiisse, sed & vitam suam pretiosissimam, morti minimè obnoxiam objecisse: pondera hunc tantum Christi amorem, & quid tuum sit pro eo reponere, expende. 3. Distinguit Pastorem bonum à *mercenario*, qui propriis tantùm intentus commodis, non verò saluti ovium, *videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oves.* Ubi Conf. tales mercenarios esse qui circa fidelium animas curæ suæ commissas spectant tantùm privatum honorem, gloriam, & commoda, atque occurrente aliqua difficultate, se subducunt, quibus meritò minatur Deus: *Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos.* Ezech. 22. 30.

Punct. II. Et cognosco oves meas. Conf. 1. Hanc alteram proprietatem boni Pastoris etiam Christo competere, dum oves suas cognoscit notitia non simplici aut merè speculativa, quâ cognoscit creata omnia, sed approbationis & practica, eas amando, curando, ac liberaliter providendo de bonis pascuis, ceterisque necessariis. 2. Vocat meritò oves *suas*, quia ejus sunt creatione, redemptione, singulari amore & cura. 3. *Et cognoscunt me meæ*, notitia etiam practica, oculis fidei, spei, & caritatis, eum sequentes, ac diligentes, sic ut ab ejus amore divelli nequeant. 4. Consid. Quemlibet etiam esse pastorem respectu suarum facultatum animæ, & sensuum corporis, quos ipse velut oves pastor regere tenetur.

Punct. III. Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili. Consid. 1. Per has oves designari infideles, qui non erant de ovili Judæorũ, sed postea per Apostolos eorumq; successores inducti sunt in ovile Christi: ubi gratias age de tua vocatione, non tantùm ad ovile Ecclesiæ, sed etiam singulare religionis, & expende quomodo te vocaverit, expectaverit, errantem adduxerit, defendat & foveat. 2. *Et fiet unum ovile*, nempe Ecclesia Catholica, in qua oporteat omnes esse una fide & caritate conjunctos. *Et unus Pastor*, supremus nempe Christus, qui pascit in omnibus superioribus, quibus proinde ut Christo obedientia exhibenda est; nam *qui vos*, inquit, *audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. 16.

Anno 34. Mart. 24 in cœnaculo.

Christus in sermone ultimo post cœnam Apostolos tristes de suo discessu solatur brevitate absentiæ suæ, & gaudij perpetuitate. Ioan. 16.

P*Unct. I. Modicum, & jam non videbitis me.* Conf. 1. Christum conscium mortis sibi imminentis, ac futuræ mox resurrectionis, præmonere hîc & consolari Apostolos suos brevitate absentiæ suæ humanæ per mortem, post quam, inquit, *iterum modicum* 40. dierum post meam resurrectionem, *& videbitis me* redivivum ac gloriosum horis singulis absentiæ meæ, liberaliter totidem diebus præsentiæ compensatis. 2. Conf. Etiam modicum hoc prius juxta S. Augustinū rectè intelligi de 40. illis diebus post Christi resurrectionem, post quos ipsum non ampliùs in hac vita essent visuri: sed iterum modicum fore tempus vitæ hujus mortalis, post quod eum essent conspecturi in cælesti gloria; qua verborum ambiguitate Christus studio acuere voluit eorum desideria ad sensum exquirendum. 3. Rationem addit brevis temporis, quo hîc in terra post resurrectionem cùm illis esset mansurus; *quia*, inquit, *vado ad Patrem*, in gloriam cælestem, ad bonum vestrum, inde enim experiemini quis, qualis, & quantus sim, & quàm benè vobis velim.

Etiam de Communi Martyrum VIII.

Punct. II. Plorabitis & flebitis vos. Conf. 1. Præmoneri eos de luctu ac tristitia, quam percepturi essent tum ex Passione & morte Christi imminente, tum ex persecutionibus & tribulationibus reliquo vitæ tempore subeundis. 2. *Mundus autem gaudebit*, nempe Judæi in morte Christi, ac deinde gentiles & peccatores in mundi vanitatibus ac piorum persecutione. Ubi disce sortem piorum esse affligi in hac vita adversis, impiorum verò exultare in prosperis: contra autem pios gavisuros in morte & æternitate, atq; impios ibi affligendos. Nam 3. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quod erit solidum & amplum, exsuperans longè omnia gaudia terrena, idque primùm cum me videbitis à morte redivivum, sed potissimùm cum; posteà me videbitis in cælesti gloria, gaudio exultabundi. 4.

Punct. III. Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus. Conf. 1. Christum dolorem Apostolorum hîc comparare cùm doloribus mulieris parturientis, qui licet acerbi sint, & periculosi, tamen breves sunt, & cito gaudio deterguntur. 2. Si gaudent matres post enixum infantem aliquando moriturum, quem sperant sibi fore in vivis auxilio & solatio, ac in morte successorem: quantò potiori ratione gaudendum est Apostolis & justis de Christo per resurrectionem quasi nativitatem redivivo, nec ampliùs morituro, semper intento ad auxilium nostrum, defensionem, & gloriæ palmam conferendam. 3. Gaudium illud, non sicut in hac vita, adversis aut à malevolis hominibus impediendum, sed *nemo tollet à vobis.*

DOMI-

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Anno 34. Mart. 24. in cœnaculo.

Christus in sermone ultimo post cœnam Apostolos tristes de suo discessu solatur promisso adventu Spiritus sancti. Ioan. 16.

PUnct. I. *Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* Consid. 1. Christum hîc monere Apostolos suas de minori cura fructus spiritualis nasciturі ex morte sua, & ascensu in cælos ad Patrem, unde fiebat ut nemo peteret quò, qua & quorsum Christus abiret: tu teipsum subinde interroga: *Quò vadis?* examinando actiones tuas num ad Deum tendant. 2. Arguere eos de majori cura & affectu humani solatij ex corporali sua præsentia, cujus absentiam inordinatè dolebant: tu disce non dolere nisi de damno spirituali; nam sicut Christus hîc illis dicit: *Expedit vobis ut ego vadam;* ita etiam sæpè ad salutem nostram expedit, humana solatia subtrahi, & tribulatione vexari. 3. *Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos,* qui replebit vos omni abundantia gratiarum, & faciet ex discipulis Magistros atque orbis Doctores: hinc disce divina solatia non priùs communicanda, quàm te humanis abdicaveris.

Punct. II. Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. Docet Christus mundanos homines tam gentiles, quàm Judæos incredulos solidè à Spiritu sancto, convincendos trium potissimùm errorum, ac 1. *de peccato,* tam originali quàm actuali, sed nominatim incredulitatis, quo tamen nolunt nunc agnoscere se infectos. Tu peccata tua humiliter & dolenter agnosce. 2. *De Iustitia,* quàm merè legalem in observantia cæremoniarum non sufficere Judæis Spiritus sanctus ostendet, neque gentilibus moralem; sed veram & ad salutem necessariam consistere in fide & cultu Christi jam in cælos abituri, ejusque doctrinæ observantia: tu attende quomodo te huic impendas. 3. *Et de Iudicio.* Cum ostendet judicium mundi de Christo ejusque doctrina esse falsum, verum autem judicium à Christo instituendum, quo omnes suos adversarios exacta singulorum accurata ratione, condemnabit: tu contemne vanum mundi judicium, & justum Dei reverere.

Punct. III. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Consf. 1. Christum non dedisse Apostolis à principio omnem cognitionem mysteriorum fidei, sed posteà per Spiritum sanctum, neque tunc etiam omnem simul, sed sensim & successivè, nam *justorũ semita quasi lux splendens procedit & crescit,* ut discas dona etiam cælestia non impatienter appetere, sed cum desiderio & spe patienter expectare. 2. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* ad Ecclesiæ regimen necessariam; ubi attende diabolum spiritum falsitatis & patrem mendacij non docere nisi falsitatem & errores: quare ausculta Spiritum veritatis, qui non fallet. Prov. 4. 18.

Anno 34. Mart. 24. in cœnaculo.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Christus in sermone ultimo post cœnam Apostolos tristes de suo discessu solatur dono ac fructu orationis. Ioan. 16.

P*Unct. I. Siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Consid. 1. Christũ à suis proximè avellendum relinquere eis clavem thesauri cælestis, nempè orationem, cujus fructum iis spondet amplissimum, sicut quæcumque voluerint, per eam possint obtinere. 2. Cum generatim id Christus spondeat, esse ita intelligendum, modo nobis salutare sit, Deoque honorificum; nam quæ noxia sunt ad salutem, ut sæpè sunt bona terrena ac temporalia, hîc minimè comprehenduntur. 3. Cum significat rogandum Patrem cælestem, nobis intimè præsentem, simul insinuat modum quo rogãdus est, nẽpè qui filios talis potissimùm Patris decet, humiliter, amanter, & confidenter. 4. Vt hanc fiduciam iis adaugeat & firmet, docet rogandũ *in nomine suo*, per sua nempè merita totius vitę & acerbissimę passionis. 5. Significat se iis in locũ suũ substituere cælestem Patrẽ, non minùs in eos futurũ benignũ & liberalem, quã ipse fuerit, ideoq; inculcat: *Petite*, modò salutaria sint, ac prout decet, & certò *accipietis* tempore opportuno, idq; *ut gaudiũ vestrum sit plenũ*, quò terrena bona cõferre nihil possunt.

Punct. II. Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Consid. 1. Christum hîc significare parum capi ab illis tam ampla dona ac liberalia promissa, idque propter tenebras diffidentiæ, tristitiæ, & timoris; quas tamen brevi dissipandas addit, per suam nempè resurrectionem, ac Spiritum sanctum in eos descensurum, quem & tu roga discussis tenebris mentis claritatem. 2. Subdit non opus fore sua in terris præsentia ad rogandum Patrem, sed ideos docendos à Spiritu sancto, *ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.* Neque solum ipse amantes me redamat, sed ad amorem prævenit, & excitat, præsertim in me confidentes. Hinc disce cum Ecclesia orationes tuas potissimùm per Christi merita concludere. 3. Licet Pater cælestis amet nos, vult tamen rogari dona sua, quia id postulat tum Majestatis ejus eminentia & conditio vilitatis nostræ, quam decet nos agnoscere, tum rei quæ petitur dignitas, nempè cælestis gratia & gloria, quam pretio orationis vult emi, tum denique præstantia & fructus orationis, in qua fides, spes, caritas, ceteræque virtutes exercentur.

Punct. III. Exivi à Patre & veni in mundum: Iterum relinquo mundum & vado ad Patrem. Consid. 1. Christum licet visibili humanitate mundum reliquerit, manere tamen nobiscum invisibiliter in Eucharistia, & in justis per gratiam: tu eum roga ne te umquam relinquat, quod fiet, si tu etiam cũ illo mundum relinquas terreno affectu, dicens cum Apostolo: *Nostra autẽ conversatio in cælis est.* 2. Præmonet illos de tribulationibus secuturis: *In mũdo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum*, idque per solidam humilitatem, paupertatem, patientiam, & obedientiam, dans vobis normam similiter vincendi. — Phil. 3. 20.

F E-

FERIIS ROGATIONVM.

Anno 33. Novemb. in Judæa.

Christus docet perseverandum esse in oratione. Luc. 11.

P*Vnct.I.*Conſ.1.Chriſtum ut inculcet nobis perſeverantiam in oratione, uti ſimilitudine alicujus, qui media nocte indigens panibus, interpellat amicum,quem licet difficilem inveniat ob temporis importunitatem,tamen *ſi ille perſeveraverit pulſans, propter improbitatem,*ſeu importunitatem *ejus ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios:* quo ſignificat Chriſtus urgeri ſe velle oratione noſtra,& delectari importunitate,qui excubat ſemper ad preces noſtras exaudiendas. 2.Conſ. mediam noctem ſignificare etiam tempus tribulationis, quo maximè ad Deum confugiendum eſt. 3.Venit ille ad amicum preſſus penuria panis corporalis,nos ad Patrem pro pane ſpirituali animæ quo maximè indigemus , non ut commodet, ſed ut det,qui *dat omnibus affluenter,& non improperat.* 4. Etiam tres panes ab eo petere nos oportet, bona animi, corporis, & gloriæ cæleſtis. *Iac.1.*

Punct. II. Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Conſid.1.Inſinuari ſimul hic modum in oratione ſervandum,petendum nempe cum humilitate & fiducia quærendum cùm attentione & devotione,pulſandum cùm conſtantia & perſeverantia,qui modus ſi ſervetur, *dabitur vobis* id quod ſalutare fuerit, tempore magis opporruno. Sic Elias rogavit Deum pluviam ſexies,nec obtinuit niſi ſeptima vice imbrem copioſum. *Multum valet deprecatio juſti aſſidua.* 2.Conſid. Perutilem nobis eſſe ſæpè dilationem rei petitæ; nam perſeveranti Deus addit gratiam, quæ ſæpè excedit rem petitam, hæc deinde obtenta dulcius mentem afficit, & pluris æſtimatur; unde S. Auguſtinus: *Deus quod dare vult, differt,ut amplius deſideres dilatum, ne vileſcat cito datum.* *3.Reg.18.* *Iac.5.*

Punct.III. Quis ex vobis Patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piſcem: numquid pro piſce ſerpentem? Conſ. 1. Sicut pater terrenus non negat filiis petentibus alimenta corporalia,nedum in horum vicem,dabit inania aut noxia : ita nec Patrem cæleſtem multò amantiorem noſtri, ac liberaliorem denegaturum nobis petentibus alimenta ſpiritualia. 2.Conſ. Bona terrena,quia ſæpè inania & noxia,meritò nobis à Deo negari;nam velut lapides non alunt animum, ſed premunt & exedunt, ac velut ſerpentes & ſcorpiones venenum infundunt: quare dum hæc negat, ſaluti noſtræ conſulit; unde S.Auguſt. *Non exaudiris ad voluntatem, ut exaudiaris ad utilitatem.* 3. Deum dare nobis plus quam petamus, dum dat nobis *ſpiritum bonum*, ſeu ſanctum, fontem omnis boni & doni creati. 4. Ad ſupplendum defectum noſtrum in oratione, monet nos Eccleſia adhibenda etiam patrocinia Sanctorum, idque per Litanias hodie inſtitutas,tum pro conſervatione frugum,tum pro aliis neceſſitatibus, tam publicis, peſte, fame, & bello, quàm privatis, & cuique propriis, quas hîc expende, iiſque remedium implora.

Anno 34. Mart. 24. in cœnaculo.

Christus in sermone ultimo post cœnam orat Patrem pro nominis sui diffusione, & Apostolorum conservatione. Ioan. 17.

PVnct. I. *Iesus sublevatis oculis in cælũ, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Conſ. 1. Christum instante vitæ suæ fine, rogare hîc Patrem cælestem nominis sui notitiam & cultum, id quod copiosè factum est per miracula in ejus morte, per resurrectionem, ascensionem in cælos, ac missionem Spiritus sancti, neq; in hoc aliud ipsum spectasse, quàm ut gloria sua in Patrem redundaret: unde disce tu etiam ad illum gloriãn tuam & actiones referre. 2. Rogat Christus hîc etiam gentium conversionem, ut *sicut*, inquit, *dedisti* mihi Filio tuo *potestatem omnis carnis*, sive in omnes homines dominium; ita & ipse *det eis vitam æternam*: de quo studio benevolentiæ Christo gratias age. 3. Viam eo perveniendi ostendit, dicens: *Hæc est autem vita æterna*, sive unica ad eam via, *ut cognoscant te solùm Deum verum*, unum & trinum, non verò idola, mundum, aut carnem, *& quem misisti Iesum Christum*, mundi Salvatorem.

Punct. II. Ego te clarificavi super terram. Conſ. 1. Christum illustrasse gloriam Patris cælestis non tantum doctrina sua, & miraculis, sed potissimùm humilitatis, mansuetudinis, ceterarumque virtutum exemplis, quę nobis sequenda reliquit. 2. *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam*, hinc tu disce constantiam in tua vocatione, & perseverantiam usque ad finem, etiam difficultate quacumque, occurrente. 3. *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum*, ut nempe gloria mea, quàm ab æterno tecum communem habui, etiam in hanc carnem meam, pro te abjectam & depressam, inposterum diffundatur: ubi observa te etiam Christum glorificare, actibus fidei, spei, & caritatis, cultusque ejus apud alios promotione, ac per adversa & ignominiam crucis ad gloriam aditum parari.

Punct. III. Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi. Conſ. 1. Christũ manifestasse nomen Patris cælestis declarando potissimùm Apostolis suis non naturam tantùm ejus, sed & infinitas perfectiones, potentiam, sapientiam, bonitatem, justitiam, & providentiam; id & tu imitare circa commissos curæ tuæ. 2. *Tui erãt*, per vocationem, *& mihi eos dedisti* instruendos & curandos, ac salutaribus consiliis & auxilis utentes; *sermonem tuum servaverunt*: quod & nobis incumbit pro viribus imitari. 3. Singulariter orat pro iisdem Apostolis, dicens: *Ego pro eis rogo*: ut eos conserves in fide, gratia, & mutua caritate, *non pro mundo rogo*, pro mundanis hominibus incredulis & peccatoribus, quibus hæc singularia dona nunc non peto, significans non semper omnia pro omnibus esse petenda. 4. *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* Abiturus commendat Patri Apostolos àb ipso electos, & curæ suæ commissos: tu etiam tua omnia, tibique commissos Deo cõmenda, & cave ne quid ad cõmodum aut gloriam propriam reserves.

FESTO

FESTO ASCENSIONIS DOMINI. P. I.

Anno 34. Maij 5. in cœnaculo.

Christus apparens postremò Apostolis in cœnaculo, eos instituit, & miracula promittit. Act. 1. Marc. 16.

P*Unct. I.* Conf. 1. Christum post resurrectionem suam mansisse hîc in terris per dies 40. apparentem sæpiùs Apostolis *in multis argumentis*, colloquendo, convescendo, atque etiam miracula patrando, tum ad firmandam fidem resurrectionis suæ, tum ad pleniorem eorum instructionem pro regimine Ecclesiæ. 2. Conf. Ipsum die 40mo recumbentibus Apostolis postremò apparuisse, exhilarantem omnes ex improviso sua præsentia, iterumque sermone instituto de regno suo, seu Ecclesia per eos toto orbe extendenda renovare promissum de missione Spiritus sancti, ne velut inermes in campum prodirent. 3. Noluisse tamen Christum hæc dona dare torpentibus, sed ut ad ea accipienda se ritè disponerent per ferventem & constantem orationem.

Punct. II. Conf. 1. Apostolos sinistre intelligentes, & interrogantes de regno restituendo Israëli, redargutos à Christo: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate*, quo repressit vanam eorum curiositatem, simulque monuit nos ac nostra committenda paternæ Dei providentiæ. 2. *Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis*, seu tarditatem in credendo, nominatim sua resurrectione, quem aculeum illis maximè salutarem infixum voluit. 3. Voluit eos tanquam oculatos & auritos testes annunciare omnibus ea quę ipsi certò cognoverant, *eritis mihi testes*, inquit, *in Ierusalem, & usque ad ultimum terræ*, de sua nempe in omnes benevolentia, innocentia, mansuetudine, humilitate, & patientia, qua conarentur omnes ad ipsum adducere.

Punct. III. Euntes in mundum universum prædicate Euangelium omni creaturæ. Conf. 1. Christum hîc impertire auctoritatem Apostolis ubique docendi omnem creaturam rationalem, sine ulla exceptione personarum, ac voluisse zelum eorum ad omnes extendi. 2. Jubet eos, ad quos ituri essent, allici præmio salutis æternæ: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, ac terreri supplicio: *qui verò non crediderit, condemnabitur*: tu etiam hanc spem & metum tibi propone. 3. Promittit miracula tanquam sigilla divina, non illis tantùm ad conciliandam auctoritatem, sed & aliis credituris, quæ licet nascente Ecclesia, prout tunc conveniebat frequentia acciderint, etiamnum tamen quotidie per viros pios spiritualiter patrantur; nam *dæmonia ejiciunt*, qui peccata per quæ diabolus in ipsorum, aliorumq; animis dominabatur ejiciunt; *linguis loquuntur novis*, cum non vana ampliùs & noxia, sed pia & salutaria proferunt; *serpentes tollunt*, cũ prava vitia & affectus domant; *si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, cum tentationes pravæ concupiscentiæ sentiunt, nec tamen consentiunt; *super ægros manus imponunt, & benè habebunt*, cùm juvant infirmos spiritu.

[a] Anno 34. Maij 5. in monte Oliveti.

Christus coram Apostolis aliisq; in cælum ascendit. Act. 1. Mar. 16. Luc. 24.

P*Vnct. I.* Conf. 1. Christum post colloquium ultimum habitum in cœnaculo cùm Apostolis, duxisse eos foras in Bethaniam, valedicturum ibi Mariæ Magdalenæ, Marthæ, ac Lazaro hospitibus suis, quibus hanc ultimam gratiam etiam præstare voluit, quos & adduxit in montem Oliveti, omnibusque ibi simul congregatis, ferè ad 120. amplexum ultimum ac suavissimum: dedit attende quo affectu, nominatim Deiparæ Matri suæ, ac quænam omnium fuerint interrogata & postulata. 2. *Et elevatis manibus benedixit eis*, apprecatus eis opem Patris cælestis, quo proficerent, aliosque promoverent in virtute; formans signum sanctę Crucis, quem benedicendi modum Apostoli deinde secuti etiam ad nos transmiserunt. Ora Christum ut & tibi benedicat, ac sacerdotalem benedictionem velut à Christo reverenter accipe. 3. *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum*, virtute propria, per dotem agilitatis, via ignota per aërem, iter longum, brevissimo tamen spatio confecturus, unde meritò orat Ecclesia: *Per admirabilem ascensionem tuam.*

Punct. II. Consid. 1. Christum ascendentem in cælum stipatum fuisse millibus Angelorum, velut curru triumphali: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium* & plaudentium: *Cantate Domino canticum novum. Psallite Regi nostro, psallite.* Atque ita *ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Neque Angelorum tantum pompa aderat, sed & millium animarum sanctarum, quas limbi ac purgatorij carcere priùs detentas, *captivam duxit captivitatem*, donans eas gloriosa libertate. 2. Conf. Christum transgressum in cælo omnes Angelorum ordines, à cælesti Patre solennissimè exceptum, in primo solio collocatum: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis*, jussosque omnes eum adorare, *ut in nomine ejus omne genuflectatur*, acclamantium: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

Psal. 67. 18. Psal. 95. 1. Psal. 46. 6. Psal. 109. 1. Phil. 2. 10. Apoc. 5. 12.

Punct. III. Consid. 1. Cùm hærerent interim Apostoli cum aliis adhuc intenti oculis in cælum, apparuisse eis duos Angelos de cælo: *Ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* monentur frustra oculis corporis quæri jam sublatum in cælos, sed oculis mentis, in quiete, contemplandum. 2. Solantur eos non semper frustrandos corporali ejus conspectu: *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Veniet in hora mortis cujusque, exacturus rationem de donis acceptis, ac deinde in extremo die, excepturus vos simili gloria, post labores prædicationum, & tributationes hujus vitæ constanter toleratas, quibus sic finem imponet.

FESTO ASCENSIONIS DOMINI. III.

Anno 34. Maij 5. Jerosol.

Expectatio Spiritus sancti, & post eum Apostolorum profectio.

Act. 1. Marc. 16. Luc. 24.

PVnct. I. Consid. 1. Apostolos cum ceteris fidelibus post Christi in cælos ascensum regressos in Jerusalem *cum gaudio magno*, tum ob firmatam fidem ex glorioso spectaculo Magistri sui in cælum ascendentis, tum ob spem roboratam de Spiritu S. recipiendo, & simili gloria consequenda, post labores prædicationum, tum ob amorem de gloria Christi, quasi de propria. 2. Jerosolymam reversi ibi, *omnes erant perseverantes unanimiter in oratione*; huic uni vacantes, omissis tantisper aliis occupationibus, ut sic aptiores se redderent, tum ad uberiorem gratiam Spiritus S. obtinendam, tum ad vacandum deinde saluti animarum majori cum fructu: quò plurimum conferebat, quod in oratione essent *perseverantes*, nam *multum valet deprecatio justi assidua*, & quod *unanimes: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo*, denique quod simul oraret *Mater Iesu*, quam plurimùm interest habere secum, & pro se orantem. 3. In sua oratione ardentibus desideriis postulabant adventum Spiritus sancti, ut per eum, tum à vitiis omnibus purgarentur: *Cor mundum crea in me Deus*; tum ut actiones suas omnes rectè ad Dei gloriam instituerent: *& spiritum rectum innova in visceribus meis*; deinde ut gratiam culpa primorum parentum perditam possent recuperare: *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, de salute æterna per Salvatorem restituenda; tum ut acceptam possent constāter servare: *& spiritu principali*, eximio & Apostolico, qui Principem decet, *confirma me. Emitte spiritum tuum* operantem in nobis, & sicut ad ejus operationem in terra nascuntur & homines, & bestiæ, & fructus terræ: ita, & operatione ejus innovetur anima nostra fructibus virtutum.

Iac. 5. 16. Matt 6. 19.

Psal. 50. 12.

Psal. 103. 30

Punct. II. Consid. 1. Apostolos accepto Spiritu S. ac composito deinde unanimiter symbolo Apostolico, zelū suum quaquaversum extendisse; nam *profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante & sermonem cōfirmante sequentibus signis*. Ubi attende labores, molestias, persecutiones & pericula quæ Apostoli subierunt in Euangelio prædicando, & quæ proinde sectatoribus eorum etiam subeunda sunt, si ad similem cum illis palmam adspirent, & optent cum Christo etiam ascendere. 2. Hæc tamen omnia non profutura nisi *Domino cooperante*; sine quo vanus est omnis conatus & labor noster: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*. & Apostolus: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*, cum exteriùs tantùm operetur, adeoque parum confert, respectu ejus qui interiora solus attingit, *& incrementum dat Deus*, cui proinde laus omnis & gloria tribuenda. 3. Tamen gloriosum nobis esse, cooperari Deo, ejusque, ut gloriatur Paulus, esse adjutorem.

Psal. 126. 1.

1. Cor. 3. 7.

1. Cor. 3. 9.

Anno 34. Mart. 24. in cœnaculo.

Christus prædicit Apostolis suis adversa & persecutiones. Ioan. 15. & 16.

PVnct. I. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Conf. 1. Spiritum S. hîc à Christo appellari Paraclitum, id est, consolatorem, adhortatorem, & advocatum seu patronum; ille enim in omni afflictione dat vera ac solida solatia, quæ mundus nec alius quisquam dare potest, adhortatur ac robur animo addit ad sustinenda fortiter adversa, & spernendas noxias mundi voluptates, denique advocatum seu patronum pro nobis agit apud Patrem, nosque ad illum excitat. 2. Ut quis testimonium de altero perhibeat, necesse esse ut cognitam sibi habeat rei veritatem, sic ut falli non possit, valeat probitate, qua nolit fallere, & auctoritate, qua talis passim habeatur: quæ cum Spiritui sancto planè conveniant, unde & *Spiritus veritatis* meritò dicitur, rectissimum ab illo testimonium de Christo perhiberi posse.

Punct. II. Et vos testimonium perhibebitis. Conf. 1. Apostolos etiam testimonium de Christo perhibuisse sua prædicatione, exemplis virtutum, atque etiam sanguinis & vitæ effusione, unde & mortui pro fide *Martyres*, id est, testes, in Ecclesia dicti sunt: ubi attende Christum nos honore afficere, cùm à nobis testimonium de se admittit, quod proinde minimè erubescendum aut formidandum est. *Non possumus quæ vidimus, & audivimus non loqui*, dicebant Apostoli. 2. Sic vive, ut dignus inveniaris, qui de Christo testimonium perhibeas, ne & tibi dicatur: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum*, seu promissa, *per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum.*

Act. 4. 20.

Psal. 49. 16.

Punct. III. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Consid. 1. Christum hîc prædicere suis tribulationes & persecutiones, ut ne posteà imparati animis cadant, nam ut ait S. Gregorius: *Iacula minùs feriunt, quæ prævidentur & nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur.* 2. *Absque Synagogis facient vos*, præcident & ejicient vos à cætibus suis tanquam impios & scelestos, sed ego vos colligam, expellent sedibus, sed non cælestibus, spoliabunt bonis, sed non æternis. 3. Neque hoc tantùm, *sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*; opinione fundata in ignorantia crassa & affectata, quæ eos minimè excusabit. 4. Caussam addit: *Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me*, non noverunt autem, quia cognoscere noluerunt, avertentes oculos suos ne viderent veritatem. Vobis interim solatio erit, vos pati pro Patre & me, quem utrumque cognoscitis & colitis; nam si solatio sit, & gloriæ pati pro Rege aut patria, longè excellentius est pati pro Deo ac patria cælesti.

VIGILIA PENTECOSTES.

Anno 34. Mart. 24. in cœnaculo.

Christus promittit Apostolis Spiritum sanctum, & inculcat eis dilectionem efficacem. Ioan. 14.

PUnct. I. *Si diligitis me, mandata mea servate.* Consid. 1. Christum hîc commendare suis dilectionem non otiosam aut vanam, in nudis affectibus aut verbis sitam, sed qualem ipse erga nos habebat, beneficam, & opere efficacem, ac proinde ut eam ostenderent in observantia mandatorum, nam ut S. Gregorius ait: *Probatio dilectionis exhibitio est operis, numquam amor Dei est otiosus, operatur enim magna, si est, si verò operari renuit, amor non est.* 2. Addit præmium dilectionis: *Ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis*, significans se etiam fuisse eis paraclitum, consolatorem, adhortatorem, & advocatum, sed Spiritum sanctum, plura per eos ac ampliora operaturum, neque ab eis recessurum, nisi ipsi ab eo per peccatum recesserint; *ut maneat vobiscũ in æternum:* quo promittit eis ceterisque fidelibus constantem assistentiam & protectionem Spiritus sancti in tribulationibus hujus vitæ.

Punct. II. Quia ego vivo, & vos vivetis. Consid. 1. Christum significare hîc se à morte citò fore redivivum, atque inde ipsos novo gaudio, & spe similis vitæ, novam vitam spiritualem, ac deinde æternam in cælis assumpturos. 2. *In illo die*, nempè Pentecostes, sed perfectissimè post hanc vitam, *cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Significat cognoscendum ab eis mysterium SS. Trinitatis per unitatem divinæ essentiæ, & sanctificationis, per quod *vos in me* estis, ut palmites in vite, per dependentiam, & susceptionem doctrinæ & gratiæ, *& ego in vobis*, ut vitis in palmitibus, influens in vos vitam doctrinæ & gratiæ. 3. Sunt etiam Apostoli, & justi omnes in Christo, velut in domo refugij, & turri minutissima. *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij:* Christus verò in illis per dilectionem & præsentiam Eucharisticam. *Psal. 30. 3.*

Punct. III. Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Consid. 1. Christum hîc iterum & sæpius inculcare illis ultima sua monita de dilectione efficaci per observantiam mandatorum suorum, de qua explicatius S. Augustinus: *Qui habet in memoria, & servat in vita, qui habet in sermone, & servat in opere, qui habet audiendo, & servat faciendo, qui habet faciendo, & servat perseverando.* 2. Addit alterum præmium hujus dilectionis: *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo*, nam mea mandata etiam ipsius sunt, *& ego diligam eum*, cumulaturus eum amplioribus donis & gratiis in hac vita & in altera, *& manifestabo ei meipsum*, in hac vita per clariorem mei & divinorum mysteriorum cognitionem, non tantùm speculativã, sed maximè practicam, qua gustet quam suavis & benignus sit Christus, deinde in altera vita, ipsum clarè intuendo: ubi excita affectus gratitudinis, amoris, & laudis.

Anno 34. Maij 15. in cœnaculo.

Spiritus sanctus cum vento valido & linguis igneis descendit in discipulos Christi. Act.2.

PVnct. I. *Cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.* Consid. 1. Solennitatem Pentecostes sicut olim ex Dei institutione à Judæis peculiari cultu celebratam, tum in memoriam divinæ legis eo die per Moysen datæ, tum in gratiarum actionem pro frugibus terræ, quarum primitias tunc Deo offerebant: ita & longè potiori jure eam à nobis celebrandam propter legem novam gratiæ hodie à Spiritu sancto Apostolis communicatam, & credentium primitias ad tria millia Deo oblatas. 2. Fuisse Apostolos cum Deipara aliisque discipulis universim ad 120. congregatos omnes in eodem loco cœnaculi, ubi & Eucharistiam à Christo sumpserant, & ipsum redivivum die resurrectionis cõspexerant, atque ibi omnes pari animorum consensu, & orationis assiduitate, fervore, ac fiducia se ad excipiendum Spiritum sanctum præparasse.

Exod.19.20 *Act.2.41.*

Punct. II. *Et factus est repentè de cælo sonus; tanquam advenientis Spiritus vehementis.* Consid. 1. Spiritum sanctum apparere hîc primùm in specie venti vehementis, quo significet se esse vitam animæ nostræ, & efficaciam prædicationis, qua omnem humanam sapientiam & potentiam essent prostraturi: sono autem velut tuba bellum judici per illos instituendum contra mundum, carnem, & dæmonem. 2. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis.* Ubi Consid. apparere eum etiam in specie linguarum, ut significet eos non ferro aut gladio, sed lingua orbem subacturos, sic tamen ut ipse linguam eorum gubernaturus sit: tu cave ne lingua tua sequatur ductum diaboli, nam *mors & vita in manu linguæ.* 3. Igne verò significari eos hoc Spiritu penitùs purgari ab omni culpa & pœna, illuminari intellectum, accendi voluntatem, ac sursum elevari ad sectanda cælestia, atque ipsos etiam hos effectus in aliis producturos. 4. *Seditque supra singulos eorum,* ut significaret eos, tanquam thronos Dei & Doctores orbis à se auctoratos stabiliter dirigendos in cælesti sapientia & eloquentia, affectuum tranquillitate, & morum gravitate: Eadem & tu sectare ut Spiritum sanctum in te conserves.

Prov.18.21.

Punct. III. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Cons. 1. Accepisse eos amplissima incrementa gratiæ, & eximiis donis ornatos pro cujusque dispositione & munere: tu roga eum ut & repleat omnes potentias animæ tuæ. 2. *Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis.* Ubi Cons. eos quia ad omnes gentes destinatos, instrui hîc dono variarum linguarum, *ubi autem Deus magister est, citò discitur quod docetur,* ait S. Leo: tu hîc disce etiam loqui, non prout suggerit prava inclinatio, sed Spiritus S. nempe cum Apostolis *magnalia Dei,* nam *ex abundantia cordis os loquitur.*

Luc.6.45.

DOMI-

DOMINICA PENTECOSTES. II.

Anno 34. Mart. 24. in cœnaculo.

Christus promittit Apostolis suis pleniorem instructionem à Spiritu sancto.
Ioan. 14.

PUnct. I. *Siquis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Consid. 1. Christum hîc interrogatum num solis Apostolis, an verò etiam aliis se esset post mortem suam manifestaturus, respondere non se tantùm, sed & tres personas sanctissimæ Trinitatis adfuturas peculiari auxilio, favore, & protectione omnibus justis, qui amorem suum comprobaturi essent per observantiā mandatorum, imo & stabiliter apud eos velut in domo propria ac templo permansuras. 2. *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Cons. sicut observantia mandatorum Dei, seu divinæ voluntatis signum est dilectionis Dei, ita & eorum transgressionem signum esse ibi amorem deesse, nam ut rectè S. Bernardus: *Amor ubi est operatur, si operari renuit, amor non est.*

Punct. II. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Cōsid. 1. Promitti hîc Apostolis atque omnibus fidelibus pleniorem instructionem à Spiritu sancto de rebus ad salutem necessariis, ac simul vividam recordationem auditorum in tempore opportuno: quare ad hunc in dubiis confidenter recurre. 2. Paraclitum, seu consolatorem, hortatorem & advocatum appellari, ut scirent se in afflictionibus & persecutionibus solatio & auxilio ejus non destituendos; nam ut S. Bernardus: *Sine Spiritus sancti unctione asperitatem crucis ferre quis posset? multi fugiunt pœnitentiam videntes crucem & non unctionem.* 3. Hæc solatia longè præstare omnibus mundanis, unde S. Augustinus: *Major est refectio mentis, quam ventris.*

Punct. III. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Cons. 1. Christum hîc ante abitum suum precari eis pacem non mundanam, fallacem, & brevem: sed cælestem, solidam & æternam, cum Deo, conscientia sua, ac proximo, licet non sine molestiis, quibus nec ipse caruisset. 2. Peculiariter etiam videri Christū hîc inculcare pacem cùm proximo, alias sæpiùs commendatam, de qua S. Augustinus: *Non potest ad hereditatem Domini pervenire, qui testamentum pacis noluerit observare, nec poterit concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano.* 3. *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Hortatur eos Christus ad gaudium ob imminentem discessum suum in cælum, non tantùm quod ipse ibi exuta mortalitate esset à Patre glorificandus, sed quod & ipsis ibi impetraturus esset Spiritum sanctum ejusque dona, quibus instructi possent omnibus evadere superiores, & nihil timere: quare & eòdem desideria tua accende.

Anno 31. Martio Jerosol.

Christus instituit Nicodemum de beneficio Incarnationis. Ioan. 3.

PUnct. I. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Consid. 1. Christum hîc singulis verbis ponderare amorem æterni Patris erga homines exhibitum beneficio Incarnationis: quare expende *quis quem* dilexerit, ille supremus omnium Dominus, infinitè potens, dives, & seipso beatus, nullius egens, nullis meritis provocatus, sed plurimis demeritis ad justam punitionem: *quem* dilexit, mundi incolas, homines viles, perditos, ingratos, inimicos Majestatis suæ, reos æternæ damnationis: hæc tibi applica. 2. *Quomodo* dilexit? *Sic, ut Filium suum unigenitum daret.* Tanta amoris vehementia & excessu, ut hunc non solo affectu aut verbis expresserit, sed factis etiam comprobarit, dando nobis non Angelos aliquos, vel mundum alterum, sed pretiosissimum, & carissimum Filium unigenitum, sibi coæqualem, ac proinde cum eo divinam suam essentiam, & copiam donorum cęlestium. Neque hunc nobis dedit ad regnum aut triumphum, sed ad opprobria, flagella, & mortem crucis: quare tu vicissim Deum dilige *non verbo neque lingua, sed opere & veritate.* 3. Cons. *quis finis* hujus tantæ dilectionis, non ut sibi aut Filio fructum aliquem inde quæreret; at *ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam,* ut non tantùm populum Judaïcum, sed omnes ipsum viva fide confitentes liberaret morte sua à morte peccati & æterna, ac sua humilitate eveheret ad vitam gratiæ & gloriæ. *Quid est homo quid memor es ejus?* Miseri illi qui se tanto amori subtrahunt. Certè *si amare Deum pigebat, saltem redamare non pigeat.*

1. Ioan. 3. 18.

Psal. 8. 5.

August.

Punct. II. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Consid. 1. Christum hîc arguere homines plerosque, qui tenebris ignorantiæ, ignaviæ, ac malitiæ obsiti, ad quos illuminandos luce doctrinæ & gratiæ suæ ipse descenderat, eam tamen aversantes, qua ad lucem æternæ gloriæ essent deducendi, tenebris suis pertinaciter inhærent, unde in æternas inferorum ruunt præcipites: attende & tu quoties hanc lucem excluseris. *Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Expende quoties hanc lucem tibi oblatam excluseris, intus per inspirationes, foris per conciones, & exempla aliorum. 2. *Omnis enim qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Sic Adam post peccatum se abscondit, & passim peccatores peccati turpitudinem testante conscientia, oculos proborum refugiunt, non attendentes oculos divinæ Majestatis ubique præsentis, templa etiam, conciones, Sacramenta, & salutaria monita aversantur, sicut infirmi rabidi medicinam.

Deut. 32. 6.
Psal. 4. 3.

Gen. 3. 8.

FERIA III. PENTECOSTES.

Anno 33. Octobri in Judæa.

Christus docet fidem in se esse ostium Ecclesiæ. Ioan. 10.

PUnct. I. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Consid. 1. Christum hîc occasione cæci à se illuminati, & propter fidem in se à Pharisæis ejecti atque excommunicati, docere fidem hanc adeo non posse cuiquam nocere, ut ea unica sit via, sive ostium, quo in Ecclesiam velut ovile perveniatur, ac proinde fures & latrones meritò appellari, qui sine hac fide Ecclesiam ingredi, aut in ea etiam potestatem aliquam usurpare iniquè præsumunt: tu Christo gratias age de beneficio fidei, & juxta eam actiones institue. 2. *Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.* Consid. sicut hæc fides necessaria est omnibus fidelibus, ita eam vel maximè competere pastoribus Ecclesiæ, qui vel gubernando, vel docendo alios curæ suæ commissos susceperunt, quibus proinde in fide ac ceteris virtutibus debent præcellere, sicut caput membris ceteris, & Sol inter stellas minores.

Punct. II. Cons. Notas deinde veri pastoris & ovium à Christo assignari, ac 1. *Huic ostiarius aperit*, quo significatur Spiritus S. tribuens ei legitimam potestatem, quam proinde in eis reverere. 2. *Et oves vocem ejus audiunt*, sicut enim hæ ex pastorali cura pastorem suum agnoscunt, ejusque sibilum sequuntur, etiam relicto pabulo, ita & Christi fideles par est pastorum suorum solicitam de se curam attendere, eisque per omnia obedire. 3. *Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo:* ita & veros fideles oportet fugere eos qui etiam in pelle ovina, ut sunt diabolus, mundus, caro, hæretici, ac pravi sodales alia à Christi doctrina suggerunt ac persuadere nituntur. 4. *Et proprias oves vocat nominatim:* quare singulorum singularem curam gerit, neminem quantumvis rudem aut pauperem despiciendo aut negligendo. 5. *Et educit eas*, ad pascua salutaris doctrinæ, gratiæ, & virtutum. 6. *Et ante eas vadit* exemplo vitæ sanctioris, unde S. Chrysost. *Quanta differentia est inter homines & bruta, tantam esse velim inter eos qui pascunt alios, & qui pascuntur.*

Punct. III. Ego sum ostium ovium. Consid. 1. Christum, cum adverteret hanc parabolam suam à quibusdam minus percipi, non dedignatum eam clariùs exponere, se nempe sive fidem in se esse velut ostium Ecclesiæ necessarium, *non est in alio aliquo salus.* 2. Subdit fructum hujus fidei & & observantiæ doctrinæ suæ, salutem æternam, *per me siquis introierit, salvabitur.* 3. *Et ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Nequis absterreatur angustiis ostij aut molestiis ingressus, spondet securitatem in omni actione, sive interna cum Deo per orationem, sive externa propter Deum, ac pascua uberrima, quæ sunt Scriptura sacra, libri pij, conciones, exempla Sanctorum, & maximè Sacramenta, insuper lac & mel divinæ consolationis, & postea gaudia paradisi, semper virentis, sine defectu, fastidio, ac metu, suavissima & plenissima. Act. 4. 12.

Anno 33. Martio Capharnai.

FERIA IV. QVAT. TEMP. PENTECOSTES.

Christus docet donum fidei ad salutem necessarium. Ioan. 6.

PVnct. I. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Conf. 1. Christum significare hîc neminem posse auxiliis naturæ ad se accedere per gressus fidei nisi adjutum à cælesti Patre per internam gratiam intellectum illuminante, & voluntatem alliciente, quam gratiam Patri hîc tribuit tanquam fonti divinitatis: ubi attende imbecillitatem humanæ voluntatis in malum pronæ, ideoque indigentis vehementi impulsu,
2. Cor. 3. 5. quo ad bonum assurgat, unde Apostolus: *Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quare diffide tibi,
Cant. 1. 4. & dic: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* 2. Conf. ea tractione significari efficaciam gratiæ, quæ tamen non cogat, sed alliciat liberam voluntatem etiam renitentem, infirmam roboret, tristem exhilaret,
Apoc. 3. 20. Cant. 5. 2. ret, timidam hortetur & animet. *Ecce sto ad ostium & pulso. Aperi soror mea. Surge propera amica mea & veni,* idque ex mera Dei erga nos dilectione. *Charitate*
Cant. 2. 10. *perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* 3. Consid. Trahere Deum omnes ex
1. Tim. 2. 4. parte sua, nam *omnes homines vult salvos fieri,* ideoque *illuminat omnem hominem*
Ioan. 1. 9. *venientem in hunc mundum,* idque variis modis, alios timore novissimorum:
Psal 118. 120. *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Alios dolore temporali:
Psal. 82. 17. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Alios bonis tempo-
Psal. 17. 1. ralibus ac spiritualibus: *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum*
Psal. 102. 1. *meum, & refugium meum, & liberator meus. Benedic anima mea Domino, qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum.* 4. Hinc colli-
Prov. 1. 24. ge eos qui non veniunt, id sibi debere tribuere, non Deo qui dicit: *Vocavi,*
Matt. 23. 37 *& renuistis. Quoties volui, & noluisti. Vos semper Spiritui sancto resistitis.*
Act. 7. 51.

Punct. II. Et erunt omnes docibiles Dei. Conf. 1. Christum hîc confirmare ex
Isa. 54. 13. lege veteri omnes sic attractos à Patre velut discipulos instruendos: *Ponam universos filios tuos doctos à Domino,* ad quam scholam omnes invitat: *Veni-*
Psal. 33. 12. *te, filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* De quo S. Leo: *Vbi Deus est Magister, citò discitur quod docetur,* ac sine eo frustra laborari, ait S. August. *Quos spiritus non docet intus, indocti redeunt.* 2. Significat Christus cælestem Patrem esse Magistrum invisibilem, qui intus loquitur ad aures cordis, foris verò per Christum, Apostolos, eorumque successores, per Concionatores, Superiorum monita, exempla piorum, & punitiones impiorum, per
Gal. 6. 10. quæ omnia Deus nos docet, ut *dum tempus habemus, operemur bonum.* 3. Allicit prœmio: *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Quia vitæ desiderio omnes super omnia trahimur, promittit æternam eamque felicissimam credentibus in se, atque id quod crediderint, per obedientiam & caritatem amplectentibus.

FERIA

Anno 32. Julio in Galilæa.

FERIA V. PENTECOSTES,

Et pro peregrinantibus.

Christus mittit Apostolos ad prædicandum per Galilæam cum potestate miraculorum. Luc. 9. Matt. 10. Marc. 6.

P*Unct. I. Convocatis duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut curarent omnem languorem & infirmitatem. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate.* Ubi Conf. 1. Christum instruere illos non tantùm plena auctoritate, sed & potestate miraculorum necessaria ad expugnanda corda Judæorum, in quo attende solicitam ejus curam pro Judæorum conversione & necessaria instructione Apostolorum; unde confide & tibi danda ab eo præsidia necessaria pro munere ad quod te vocavit. 2. *Et misit illos prædicare regnum Dei.* Materiam illis assignat gratissimam, nempe instare tempus gloriæ cælestis proximè referandæ, utque eò omnes invitent. 3. *Præcepit eis, in viam gentium ne abieritis, sed potiùs ite ad oves, quæ perierunt domus Israël.* Voluit tempore suo primùm per se & Apostolos Judæis prædicari, juxta vaticinia Prophetarū, in quo agnosce ejus in promissis prędstandis fidelitatem, nō obstante enormi eorū ingratitudine. Matt. sup.

Punct. II. Gratis accepistis, gratis date. Conf. 1. Moneri eos ut liberales sint in potestate exercenda, sine ulla mercede lucri temporalis, vel etiam vanæ gloriæ, sed ut ea quæ liberaliter à Deo acceperunt, etiam liberaliter ad ejus gloriam elargiantur. 2. *Nibil tuleritis in via, &c.* Vetat iis immodicam curam de corporis commodis, sed vult obviis esse contentos, tum ut discant confidere in paterna Dei providentia & ab ea toti dependeant, tum ut illis expediti curam omnem convertant ad munus prædicationis, tum ut aliis dent exemplum paupertatis, sobrietatis, animi excelsi & cælestis, quo omnes trahant non tantùm ad Deum, sed in sui etiam amorem & admirationem. 3. Addit nihil illis defuturum; *dignus enim est operarius cibo suo.* De quo S. Chrysostomus: *Accipiant sustentationem à populo, mercedem à Deo.*

Punct. III. Intrantes domum, salutate eam, dicentes pax huic domui, & siquidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; sin autem, ad vos revertetur. Consid. 1. Christum ostendere hîc eminentiam muneris Apostolici, sic ut pro honore statuat, posse illos excipere, à quibus beneficia etiam ampliora recipiant quam præstent, nominatim pacem, sive prosperitatem & salutem temporalem & æternam. 2. *Et quicumque non receperit vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite, in testimonium supra illos;* quod nihil velitis cum illis habere commune, incutientes illis terrorem divinæ vindictæ. 3. *Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicij, quam illi civitati.* Licet enim horum peccata fuerint gravissima, gravius tamen esse oblata tam liberaliter Dei auxilia rejicere, quod & locum habet in respuentibus Dei vocationem: *quia vocavi, & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Matt. Prov. 1. 24.

Anno 34. Aprili in monte Gal.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

Et Feria VI. post Pascha.

Christus docet suos baptizare omnes in nomine SS. Trinitatis. Matt. 28.

P*Unct. I. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Consid. 1. Christum sub extremum suum in cælos discessum hîc iterum Apostolis aliisque fidelibus simul plusquam 500. congregatis in Thabor monte Galilææ apparere, qui, qua par erat reverentia, eum mox adoraverunt. Prius verò quam eos per orbem mittat, exponere illis potestatem suam, seu supremum dominium in cælo & in terra, debitum quidem ratione naturæ divinæ, & unionis hypostaticæ, sed jam, quod gloriosius erat, passione sua ac morte etiam promeritum: tu eam potestatem Christo gratulare, reverere, & cum fiducia implora. 2. Consid. Quomodo hac sua potestate utatur, non ad puniendos impios & incredulos, quod suo tempore faciet, sed ad omnes sibi subjiciendos vinculis fidei & caritatis; *Docete ergo omnes gentes:* Tu etiam cum Christo potestate tua ac talentis utere in salutem animarum. 3. Cons. non solam etiam fidem cùm baptismo sufficere, sed requiri insuper observantiam mandatorum: *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.*

1. Cor. 15. 6.

Punct. II. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Cons. 1. Baptismum à Christo institutum, ut significaret per illum, sicut abluitur corpus à sordibus, ita & ablui sordes animæ invocato nomine, auctoritate, ac potentia SS. Trinitatis. 2. Exprimi hîc disertè mysterium Trinitatis in Scriptura veteri obscurè tantùm insinuatum; nam esse Deum, & quidem unicum clamant omnes creaturæ, teste S. Augustino: *Ipse fecit nos;* at esse trinum in personis revereri nos oportet, humili fide psallentes cum Ecclesia: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto,* unde spes nobis facta est id posteà revelata facie contemplandi. 4 Hinc disce tamen cum cælestis Pater se ab æterno communicaverit, te etiam tuaque libenter aliis communicare: ille cognovit se fontem omnis boni; tu te agnosce fontem omnis mali & imperfectionis: genuit Filiũ perfectam sui imaginem; tu impressam tibi ab illo imaginem per tres animæ potentias, & infusionẽ gratię, adauge & perfice virtutibus Theologicis, vel dicendo cùm S. August. *Meminerim tui Domine, intelligam te, diligam te:* Spiritus S. procedit ex amore Patris & Filij; tu stude ut omnes actiones tuę ex perfecto amore procedãt.

Psal. 99. 3.

Punct. III. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Consid. Christum hîc significare, licet visibiliter ab iis recessurus sit, mansurum se tamen cum iis invisibiliter in Eucharistia; insuper cum Patre & Spiritu S. semper iis eorumq; successoribus præsentem adfuturum per gratiam suam, directionem, opem, robur, solatium ac liberationem, sicut Rex manet in regno illud dirigens, dux in exercitu roborans milites, pater in familia prospiciens de necessariis, ac velut navarchus in navi perducens ad portum æternæ salutis.

DOMI-

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

Anno 32. Maio in monte Gal.

Christus dat monita de dilectione proximi. Luc. 6. Matt. 7.

PUnct. I. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Consid. 1. Misericordiam esse affectum ad tollendam miseriam proximi: sed secundum legem ordinatæ charitatis ante omnia studendum ad tollendam miseriam animi propriam in corrigendis defectibus, deinde hunc affectum extendendum ad proximum, ei condolendo, pro eo orando, infirmitates ferendo, ac pro viribus juvando. 2. *Nolite judicare & non judicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini.* Vetat igitur gravari miseriam & malum alterius judicio privato temerario, ac detractorio etiam interno tantùm de moribus, verbis, ac factis proximi, cum illud repugnet caritati, justitiæ, & Deo, cuius officium usurpamus. Præmium autem promittit, *& non judicabimini* de rigore justitię, sed clementer: quare stude defectus proximi potiùs excusare ab intentione, ignorantia, inadvertentia, quæ soli Deo nota sunt, atque ipsius judicio hæc relinquens, teipsum judica. 3. *Dimittite & dimittemini.* Hunc primum prout misericordiæ actum, remissionem offensæ, quod si facimus, etiam Deum nobis remissurum offensas nostras multò graviores: si autem vindicemus, etiam ipsum nostras vindicaturum.

Punct. II. Date & dabitur vobis. Consid. 1. Hic alterum poni misericordiæ actum, non solùm in tollendis malis, sed in bonis præstandis, consilio, auxilio, instructione, solatio, idque liberaliter & gratis, atque omnia nobis amplissimè rependenda à Christo, qui suis data, sibi data reputat. 2. Proinde *Mensuram bonam* & centuplam in bonis temporalibus, *& confertam* in bonis naturæ, *& coagitatam* in bonis gratiæ, *& supereffluentem* in bonis gloriæ *dabunt in sinum vestrum*, plena & secura possessione, nam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum* 3. *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Concludit Christus, qualem te erga proximum exhibebis, benignum, vel severum, talem etiã Deum se erga te exhibiturum, ideoque qualem illum erga te desideras, talem & te exhibe erga proximum. *Cum electo electus eris, & cum perverso perverteris*, ait Propheta ad Deum.

Matt. 25. 40.

1. Cor. 2. 9.

Psal. 17. 27

Punct. III. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem quæ in oculo tuo est non consideras? Cons. 1. Vetari hîc ne studio carpendi observemus leviores defectus in aliis, ac nostros graviores dissimulemus, unde & fit illos sæpe aggravari, ac nostros extenuari. 2. *Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns:* nam iniquum est graviores ac trabales defectus in nobis dissimulare blandiendo, & leviores in aliis severiùs carpere. Quocirca *Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.* Monet, purganda ac tollenda in nobis priùs vitia magis noxia, quam emendare studeamus minora in proximo.

Anno 34.
Mart. 4.
Jerosol.

FESTO CORPORIS CHRISTI. I.

Et Feria V. in Cœna Domini.

Christus instituit Eucharistiam. 1. Cor. 11. & Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13.

PVnct. I. Conf. 1. Quantopere Christus anhelarit ad institutionem hujus Sacramenti, quod expressit, cum jam post Agni esum, & lotos Apostolorũ pedes, ad mensam reversus, ait: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Excita & tu ardens ejus sumendi desideriũ; & quidem sic, ac si foret postremum ante mortem tuam. 2. *Pridie quam pateretur*, tempus exprimitur hujus institutionis, ut cõstantia amoris ejus declaretũr, cum ipse, aliis parantibus sibi vincula, flagella, & mortem crucis, parat illis ac nobis omnibus Sacrificium ad expianda omnia crimina, & Conviviũ quo aleremur in vitam æternam. 3. *Accepit panem, & gratias agens* æterno Patri de beneficiis antehac collatis tam nobis, quam sibi, ac nominatim de hoc ad salutem nostram destinato, *Benedixit*, invocando Patris potentiam, ut præsto esset tum in illa, tum in aliis omnibus consecrationibus. *Ac fregit* ad significandam corporis sui sub diversis speciebus unitatem & integritatem.

Punct. II. Hoc est enim corpus meum. Conf. 1. Christum hisce verbis convertisse panem corporalem in corpus suum, cui cum unitus esset & sanguis, & anima, cum omnibus donis suis, & divinitas, omnia hæc simul adfuisse destructa penitus substantia panis, & solis ejus speciebus externis remanentibus: in quo infinitam Dei sapientiam bonitatem, & potentiam suspice ac venerare. 2. Christum non contentum se sub specie panis in sacrificium & alimentum nobis instituisse, voluisse id etiam facere sub specie vini, tum ex religione in Patrem ad complendum sacrificium, tum ex amore in nos ad complendum convivium; quare accepto calice, ait: *Hic est enim calix sanguinis mei*, continens, cum sanguine simul & corpus, & animam, & divinitatem, ut supradictum de corpore, *Novi & æterni testamenti*, ut pignus ultimæ voluntatis, de donanda nobis hereditate cælesti, *mysterium fidei*, nam secretum est sola fide percipiendum, *quod pro vobis*, quasi pro singulis, *ac pro multis*, ad fructum efficacem; ad sufficientem verò pro omnibus *effundetur* copiosè, tum in sacrificio crucis, tum in hoc incruento, *in remissionem peccatorum*, quantumcumque fuerint multa & gravia.

Punct. III. Conf. 1. Cristum, ad conservandam in nobis beneficij hujus memoriam, cõferre etiam Apostolis potestatem idem faciendi, quod ipse fecerat, eamque potestatem aliis communicandi; usq; ad mundi finem: ubi tantam in eo liberalitatem redama. 2. Nihil eum reposcere in compensationem, nisi gratam memoriam, amoris sui erga nos: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriã facietis.* 3. Desiderari tamen præviam animi puritatem ac dispositionem, nam *quicumq; manducaverit panẽ hunc vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

FESTO

FESTO CORPORIS CHRISTI. II.

Anno 33. Martio Caphernai.

Christus sub specie panis & vini se nobis donandum significat. Ioan. 6.

P*Vunct. I. Caro mea verè est cibus.* Consid. 1. Infinitam Christi sapientiam in institutione Eucharistiæ; quia enim noverat hominem maximè appetere vitam, & illa quæ ad eam conservandam magis conducunt, ut sunt cibus & potus; hinc volens seipsum nobis communicare, fecit id sub specie cibi & potus, ut nos sic invitaret, & desideria acueret ad conservationem vitæ nobilioris: in quo & ostendit infinitam suam bonitatem, seipsum cum omnibus donis suis intimè communicando, & omnipotentiam, qua quæ voluit, paucis verbis effecit, facitq; quotidie, dum se verè, realiter, ac substantialiter sistit ad verba Sacerdotis animamque verè reficit. 2. Sicut cibus & potus tam est homini necessarius, ut sine eo vita naturalis non possit subsistere, ita & usus hujus Sacramenti ad vitam gratiæ, unde præmittit hîc Christus: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 3. Sicut corporalis pellit famem & sitim, ita & hîc extinguit desideria rerum terrenarum, cælestium verò acuit & accendit. 4. Incrementum confert in gratia & omni virtute, ac robur ad decertandum contra mundum, carnem, & dæmonem, atque omnia vitia. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Vbi Chrysost. *Qui tribulationes carnis habent, veniant ad mensam potentis & tribulationes fient consolationes. Tanquam leones ignem spirantes ab illa recedamus, facti dæmonibus terribiles.* Psal. 23. 6.

Punct. II. Consid. 1. Per hunc cibum & potum effici nos quasi unum cum Christo: *Qui manducat meam carnem,* inquit, *& bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo;* vivificans, conservans, ac roborans. 2. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: Et qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Vivit Christus propter Patrem, ut ab eo procedens, ejus similitudinem exprimens, & ad ipsum omnia sua referens: ita & refectos hoc sacro pane, ut à Christo procedentes, virtutum ejus similitudinem exprimere, atque omnes actiones ad ipsum dirigere oportet. Act 4. 32.

Punct. III. Hic est panis qui de cælo descendit. Consid. 1. Id factum, ut te eo elevaret, ac nunc maximè cor tuum, quod alias amore rerum terrenarum deorsum trahitur. 2. *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt.* Figura hoc erat hujus panis cælestis, quia in aëre formatum ab Angelis, *omne delectamentum* in se habebat, *& omnem saporis suavitatem:* at hic non de aëre, sed de cælo descendit, nec ab Angelis, sed Angelorum Dominus, Deus de Deo procedens, continet omnes delicias quibus & Angelos & Beatos omnes infinitè exhilarat. 3. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Confert hic vitam non temporalem, etiam diuturnam, quæ in lege veteri summum erat beneficium, sed æternam. Vnde & mortis sententia per peccatum Parentum in nos lata, & omnibus maximè formidabilis, usu hujus panis penitùs extinguitur. Sap. 16. 20.

FESTO

De Ven. Sacramento Eucharistiæ, ut est figuratum per Manna. Exod. 16.

PUnct. I. Consid. 1. Manna cibum fuisse quem Deus pluit populo suo Israëlitico post transitum maris rubri in deserto, è regione aëris, confectum ministerio Angelorum, minutum instar roris, candidum instar pruinæ, mirantibus illis inter se *Man-hu; quid est hoc?* deinde mola ab iis vel
Num. 11. 8. in mortario terendum, & igne coquendum: ita & Christum fidelibus suis post baptismum pro deserto hujus vitæ parasse hunc panem sacramentalem, non ex aëre, sed supremo cælo, non Angelorum opera, sed Spiritus sancti, cui Verbi incarnatio tribuitur, primum carne nostra, deinde minori etiam hostia, eaque candida circumscriptum, cujus divinæ & humanæ excellentiæ nobis merito mirandæ sunt, contritum laboribus & afflictionibus, ac coctum igne amoris, conterendum etiam à nobis serio dolore peccatorum & pœnitentiis, ac coquendum igne amoris. 2. Consid.
Sap. 16. 21. Panem illum paratum illis *sine labore* eorum: ita & Christum panem hunc nobis parasse sine labore nostro, conversa in se maledictione Adæ:
Gen. 3. 19. *in sudore vultus tui vesceris pane*, nam ipse pro hoc cibo nobis parando labores sustinuit, & sanguinem sudavit.

Punct. II. Consid. 1. Manna unum tantum habuisse saporem naturalem, sed justis *omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem, eratq; deserviens, uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur:* ita panem Eucharisticum unum tantum habere saporem naturalem specierum, in justis verò excitare saporem spiritualem suavissimum, & pro cujusq; desiderio & exigentia, nam sumenti cum desiderio castitatis, mansuetudinis, aut aliarum virtutum, earum exercitium dulce reddit. 2. Fuisse Manna etiam panem medicinalem, qui a morbis præservabat, nam per annos
Psal. 104. 7. 40. quibus Israëlitæ eo usi sunt, *non erat in tribubus eorum infirmus*: sed hunc panem sanare morbos animæ, & præservare à morte plurium peccato-
Ioan. 6. 55. rum, & ab æterna, ac suo etiam tempore liberare corpus à morte. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Punct. III. Consid. 1. Singulos ex manna collegisse mensuram constitutam quæ sufficeret ad singulorum sustentationem, nec qui plus collegerat vel minùs, reperit ampliùs nec minùs: ita & hunc panem sive in majori sive minori hostia satiare singulorum famem spiritualem, ac *tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur:* Tu illum roga ut parvum te faciat in oculis tuis, & magnũ in suis. 2. Iussos illos colligere Manna *manè ante ortũ*
Sap. 16. 28. *Solis*, nam *cum incaluisset Sol, liquescebat* in pœnam negligentium, *quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam*: ita & hunc panem cælestem requirendum à nobis cum diligentia, manè potissimùm cum sumendus est, ejusque perfectiones recolendas quotidie in sacrificio Missæ.

PER OCTAVAM CORPORIS CHRISTI. IV.

De Ven. Sacramento Euch. ut est figuratũ per Agnum Paschalem. Exod. 12.

PVnct. I. Consid. 1. Deum in lege veteri permotum tandem iniqua oppressione populi sui in servitute Ægypti, atque infinita sua misericordia, cum jam decrevisset eos, inde liberare, jussisse eos pridie per singulas familias agnum sibi immolare & comedere, ejusque sanguine postes signare, ut hoc signo Angelus percussurus ea nocte primogenitos Ægyptiorum, domos illorum transiret illæsas, & ipsi esu illo roborarentur ad viam libertatis postridie ineundam in terram promissam: ita & Christum pridie liberationis nostræ ex servitute diaboli, peccati, & mortis æternę, obtulisse pro nobis hunc agnum sacramentalem, suis edendum dedisse, ac præcepisse per Ecclesiam deinde à fidelibus sæpius offerendum & sumendũ, quo & mortem animæ evaderent & roborarentur ad ineundam viam virtutum ad cælestem patriam. 2. Agnus ille debebat esse *absque macula, masculus, anniculus:* ita & Christũ in Eucharistia verè esse Agnum ob puritatem, innocentiam, & mansuetudinem, absq; macula etiam minimi defectus, masculũ virili animo, & anniculum per teneritudine affectui, qua singulariter gratiosus erat in oculis Patris cælestis: quas virtutes & ipsi gratulabor, & in me, dũ eũ sumpturus sum, conabor exprimere.

Punct. II. Consid. 1. Alterum præceptum circa agni illius esum, *non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm assum igni, nec os illius confringetis:* sic nec Agnum nostrum sumendum sine matura cnnsideratione tantæ majestatis, ejusque perfectionum, neque examinandum frigidè & humanis rationibus, sed igne ardentis amoris, quo à Spiritu sancto primùm formatus est, & à Christo deinde in salutem nostram institutus; servandum etiam in nobis robur potissimùm fidei, sicut & in Christo remanserat robur mentis & virtutum. 2. Agnum illum repræsentasse Christo formam crucifixi, se ita postridie extendendum in ara crucis, assum igne tormentorum & amoris; ita & ejusdem crucifixi memoriam nobis in hujus esu recolendam. 3. Præceptum fuisse cum agno sic præparato edendos *azymos panes cum lactucis agrestibus*, quo designabatur acerba tractatio Christi à Judæis, & nos monemur in agni ejus esu cavere à fermento malitiæ, sed cum puritate animi adhibere amaritudinem doloris de peccatis nostris, ac corporis afflictiones.

Punct. III. Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculum in manibus, & comedetis festinanter. Qui ritus præparationem ad iter ac festinationem designat, ac monet nos Agnum nostrum sumere etiam cum fervore spiritus, succinctos renes studio castitatis à voluptatibus carnis, affectus terrenos coërcendos exemplis Sanctorum, ac nitentes bonis operibus nostris & fiducia in crucem Christi.

Anno 33. Decemb. Jerosol.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Christus parabola de invitatis ad Cœnam venire renuentibus, aliisq; in eorum locum vocatis, significat gentiles vocandos in locum Iudæorum. Luc. 7.

P*Unct. I. Homo quidam fecit cœnam magnam.* Consid. 1. Per cœnam magnam hîc significari doctrinam Christi, ejusque Sacramenta, nominatim Eucharistiam, ac deinde cælestem gloriam, sive Ecclesiam, in qua hæc tria fercula cælestis Pater apponit: *Magnam* autem dicit quia à Magno Domino instituta est, cōvivis numero magnis, & cum ferculis maximis. 2. *Vocavit multos ut venirent quia jam parata sunt omnia,* per Christi mortem ac resurrectionem; vocavit autem per Christum Filium suum, per Apostolos, miracula, punitiones aliorum, internas motus, &c. attende hîc etiam vocationem tuam.

Punct. II. Et cœperunt simul omnes excusare. Cons. 1. Defectum igitur salutis provenire à libera nostra & prava volūtate, *perditio tua Israël*, de qua S. Augustinus: *Infelix voluntas, quæ per transitoriam dulcedinem præparat sempiternam amaritudinem.* 2. Argui hîc tria vitia, quæ homines passim falso prætextu à via salutis abducunt, quæ sunt superbia, avaritia, & luxuria, atque inverso ordine referuntur à S. Joanne: *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ;* in quibus hominum cæcitatem deplora. 3 *Primus dixit: Villam emi, &c.* In hoc notat S. August. argui superbiam ac dominatum, qui cogitationes de salute animæ excludit. *Alter dixit: Iuga boum emi quinque,* in quo arguitur studium avaritiæ, cui se per quinque sensus totum impendit: *Et alius dixit: Vxorem duxi,* in quo arguitur voluptas carnis. Attende num hæc tria satis resecueris per tria vota religionis, & quid te ex iis magis impediat, indeque animum avoca, juxta monitum S. Gregorij: *Res temporales sint in usu, æternæ in desiderio.*

Osea 13.9.

1. Ioan. 2. 16.

Punct. III. Iratus paterfamilias dixit servo suo: Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Consid. 1. Meritò iratum Patrem cælestem in eos qui tam benignè ad tantum bonum à se vocati venire recusent, nullam solidam excusationem allegantes, imò adjumenta salutis convertentes in impedimenta. 2. *Per pauperes ac debiles, &c.* Significari gentiles, qui apud Judæos in contemptu erant: tu hîc agnosce vilitatem tuam, & indignitatem ad tantam vocationem, sed *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* 3. Necdum impleto convivij loco, instat Dominus: *Compelle intrare;* quo significatur ardens Dei desiderium omnes salvandi, quos quasi trahi cupit per viros Apostolicos verbo & exemplo, spe præmij, ac timore pœnæ. 4. *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Ita olim Deus illis prædixerat: *Quia vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non erat qui aspiceret: ego quoque in interitu vestro ridebo.*

1. Cor. 1. 27.

Prov. 1 27.

DOMI-

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Anno 33. Decemb. in Bethania ad Jord.

Christus parabola ovis & drachmæ inventæ, significat gaudium de conversione peccatoris. Luc. 15.

PVnct. I. *Erant appropinquantes ei Publicani & peccatores, ut audirent illum.* Conſ. 1. Hoſce per peccatum remotos, velut ægros ad cæleſtem medicum Chriſtum acceſſiſſe, non tantùm corpore, ſed potiſſimùm animi deſiderio, *ut audirent illum*, & acciperent remedia ad ſalutem, tales fuere S. Matthæus, Magdalena, Zacchæus, aliique peccatores, nunc per gloriam Deo adhærentes: Tu attende qua intentione ad Chriſtum & orationem accedas. 2. Conſ. obmurmuraſſe Phariſæos & Scribas, *quia hìc peccatores recipit & manducat cum illis.* Vbi attende caritatem veram compati peccatoribus, & de auxilio eorum eſſe ſollicitam, falſam verò iudignari in eos & ſcandalizari. 3. Cavenda quidem eſſe conſortia peccatorum iis, quibus inde periculum foret ad ſeductionem, Chriſto verò ac medicis ſpiritualibus, minimè, quorum eſt medicinam iis ſalutarem impendere.

Punct. II. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, &c. Conſid. 1. Significari hìc Deum ſuſcepiſſe homines velut oves regendos, atque ex illis perdi, cum in peccatū mortale incidunt, quæri cum moventur ad pœnitentiā, inveniri, cùm ſeriò pœnitent, dicentes: *Erravi ſicut oves quæ periit.* 2. Per ovē Pſal. 118, 176. perditam deſignari hìc totum genus humanum, reſpectu Angelorum, quibus dimiſſis Deus hominem quæſivit: tum etiam quemlibet peccatorem reſpectu juſtorum, de cujus converſione gaudeant cælites, ſicut homines de re ſibi cara priùs perdita poſtea inventa, magis quam de cōſervata; unde S. Auguſtinus: *Tu Domine licet in omnibus operibus tuis ſis mirabilis, mirabilior tamen crederis eſſe in operibus pietatis, nullum ſpernis, nullum abjicis, ſi pœniteo parcis, ſi revertor ſuſcipis, dum differo præſtolaris, revocas errantem, invitas repugnantem, expectas torpentem, amplexaris redeuntem.* 3. Conſ. Hoc gaudium Dei & cælitum creſcere fervore peccatorum reſipiſcentium, de quo S. Gregor. *Plerumque gratior eſt Deo fervens poſt culpam vita, quam ſecuritate torpens innocentia.*

Punct. III. Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit unam, &c. Conſ. 1. Hac parabola idem intendi quod ſuperiori, ſed inſuper ſignificari hominem inſignitum eſſe imagine Dei, velut nummum imagine Regis, quæ imago etiam per peccatum deperditur, per pœnitentiam verò reſtauratur. 2. Per drachmas decem, ſignificari novem choros Angelorum, ac genus humanum, quod perditum divina ſapientia accenſo Verbo incarnato, velut lucerna, ſtudioſè quæſivit per annos 33. ingenti labore & dolore everrens conſcientias ſtimulis æternorum: expende quomodo & quot internis motibus te deinde nominatim quæſierit, quàm te invento, quaſi nummo pretioſo, gaviſus fuerit, ac proinde quàm ſollicite, nunc tibi cavendum, ne te iterum perdas, quod fit non ſubitò ſed ſenſim, captandis viis laxioribus, quæ ducunt ad perditionem.

Anno 32. Febr. ad mare Gal.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Christus docet è navi Petri, & copiosa captura piscium præsignat aggregationem fidelium. Luc. 5. Matt. 4. Marc. 1.

PVnct. I. Consid. 1. Christum irruentibus turbis juxta mare Galilææ ad eum audiendum, ascendisse navim Petri, eumque rogasse, *à terra reducere, pusillùm.* Ubi attende & imitare fervorem concurrentium ad Christum audiendum. 2. Per navim à terra reductam, significari vitam & doctrinam Apostolorum debere esse non terrenam, sed cælestem, ac moribus separatam à turba sæculari. 3. *Et sedens docebat de navicula turbas.* Quo significabat Ecclesiam variis tempestatibus in mari procelloso hujus mundi agitandã, non tamen submergendã, in quo protectionem suã ostenderet.

Punct. II. Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Consid. 1. Christum post refectionem spiritualem impensam, etiam corporalis beneficentiæ argumentum dedisse, requisita tamen ad eam ipsorum cooperatione, quo significabat operam nostram ac studium etiam requiri ad fructum spiritualem, ac nominatim pro captura animorum. 2. Respondit Petrus: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus*: ita homines sæculares in nocte peccati mortalis, aut mundanæ vanitatis, sine fructu laborant, *lassati sumus in via iniquitatis*, etiam religiosi in nocte tepiditatis, ac perversæ intentionis. 3. Addit tamen: *In verbo autem tuo laxabo rete.* Quo designatur obedientia Petri & fiducia, cujus fructus mox subjungitur: *Et concluserunt piscium multitudinem copiosam;* ita ut & rete rumperetur, & ambæ naviculæ implerentur, quo significabatur & multitudo fidelium Ecclesiæ jungenda, & schismata ac hæreses Ecclesiam laceraturæ: tu si fortè laborum tuorum fructibus etiam amaritudo aliqua aut molestia misceatur, paternæ Dei providentiæ adscribe. 4. *Annuerunt sociis, ut venirent & adjuvarent eos, & venerunt*, in quo imitare obsequia fraternæ caritatis.

Sap. 5. 7.

Punct. III. Quod cùm videret Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Conf. 1. Hîc profundam Petri humilitatem, qua se indignum agnoscit Christi præsentia: tu pari affectu Christum roga, non ut ipse à te exeat, sed potiùs exire à te faciat pravos affectus tuos, qui te indignum reddunt tam sancto hospite. 2. Movebat Petrum beneficiũ piscium acceptum: expende tu, num longè ampliora à Christo acceperis, & quotidie accipias. 3. Reponit illi Christus: *Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens*, non viles pisces dandos morti, sed homines pretiosos in oculis Dei, donandos vita æterna; quantumvis rudis, capies sapientes, pauper opulentos, ac vilis Reges & Principes, omnes velut pisces in mari hujus vitæ immersos voluptatibus, divitiis & peccatis, unde extrahendi sunt. 4. Conf. fructum humilitatis Petri, dum in genua provolutus exaltatur in supremum piscatorem animarum, & indignum se reputans Christi societate, propiùs illi & arctiùs adjungitur.

DOMI-

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Anno 32. Maio in monte Gal.

Christus corrigit Scribarum justitiam, ac nominatim caritatem erga proximum. Matt. 5.

PUnct. I. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Consf. tria hîc Christum monere suos, 1. strictiorem rationem exigendam ab iis, qui præ ceteris meliùs instructi ampliora dona à Deo acceperunt: tu expende quæ & quanta præ tot aliis acceperis. 2. Virtutem veram non in externa tantùm specie consistere, quam unicè curabant Scribæ & Pharisæi, sed in cultu animæ interiori, nam *omnis gloria filiæ Regis ab intus*, ideoque assuesce internis virtutum affectibus. Psal. 44. 14. 3. Addit gravitatem pœnæ, sub qua ad duo priora discipulos suos omnes obligat, nempè exclusionem à regno cælesti, & consequenter æternam damnationem: hinc collige quantopere tibi sectandum sit studium veræ virtutis.

Punct. II. Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Consid. 1. Christum monere hîc, pro perfectione caritatis, non tantùm homicidium, sed etiam iram internam, magis verò si in verba probrosa erumpat, pro delicti gravitate à Deo puniendam, ad eum modum quo Iudæorum judices crimina plectebant, communia in tribunali communi, graviora verò in Magno Concilio: ac proinde iram etiam internam tantùm, qua quis ex inordinato appetitu vindictæ alteri grave vel leve malum vult, judicio divino pro meritis plectendam. 2. Siquis ex simili appetitu exprobret alteri vitium naturæ vel fortunæ, v. g. *Racha*, quod significat hominem vilem vel inanem, nempè scientia, aut honore; tali graviorem pœnam in divino Concilio decernendam. 3. Qui gravius convicium alteri dixerit, compellando *fatuum*, etiam graviori supplicio in igne infernali subjiciendum. Hinc time severum Dei tribunal, & disce iræ motus reprimere, & animum præparare ad toleranda opprobria exemplo Christi, ac divinæ clementiæ in dissimulandis delictis tuis gravioribus. 4. Attende nullum tamen subesse peccatum, si ira assumatur ex zelo justitiæ ad extirpanda scelera & scelestos, prout Christus & Sancti fecerunt, juxta illud: *Irascimini, & nolite peccare.* Psal. 4. 5.

Punct. III. Si ergo offers munus tuum ad altare, &c. vade priùs reconciliari fratri tuo. Consid. 1. Monere hîc Christum non fovendam esse iram aut animi aversionem à proximo, sed statim ex animo excutiendam, velut flammam è sinu, adeo ut cetera virtutum opera illi placitura non sint, ubi rancor in animo residet, unde meritò Tertullianus: *Quomodo placabit patrem iratus in fratrem?* 2. Proximo à nobis læso deberi reconciliationem, præcepto divino ac naturali, ideoque hanc ceteris virtutum operibus præponendam. 3. Si tamen opportunum non fuerit priùs externa satisfactione proximo reconciliari, id saltem affectu præstandum monet S. Augustinus.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Anno 33. Maio in deserto Bethsaidæ.

Christus pascit quatuor millia hominum septem panibus, & paucis piscibus.

Marc. 8. Matt. 15.

PUnct. I. *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Conf. 1. Ardens studium populi ad audiendum Christum, sic ut toto triduo cibi omnis suique obliti, ipsi intenderent; ac vicissim Christi laborem indefessum, & zelum erga illos, quo sine refectione & quiete totum se impendebat prædicationi, ac sanandis ægris; ita mens divinis operibus intenta, quia caritate pascitur, famen non sentit. 2. Misereri Christum quotidie omnium etiam peccatorum & infidelium, quibus præbet varia alimenta corpori animæque necessaria: at electis suis secumque perseverantibus præbere eum cibum singularem orationis, gratiæ, & Sacramentorum, sine quo in via hujus vitæ deficerent: quare vide ut cum Christo perseveres. 3. Numerare illum dies omnes nostros, imò & horas, & momenta, gressus, cogitationes, verba & opera bona ac mala, ut iis suo tempore mercedem tribuat. 4. Quàm suave ac jucundum sit Christo adhærere in hac vita, sed potissimùm in altera, *non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium,* (Sap. 8. 16.) ideoque dic cum Sponsa: *Tenui eum nec dimittam.* (Cant. 3. 8.) 5. *De longè* ad Christum venire peccatores, qui per peccata longè ab eo recesserant, & hos maximè indigere cibo spirituali, ne ob pravos habitus in via deficiant.

Punct. II. Responderunt ei discipuli sui: Vnde illos quis poterit hîc saturare panibus in solitudine? Conf. 1. Opponere discipulos impotentiam suam, & non attendere ad Christi omnipotentiam misericordiæ conjunctam, toties probatam, ideoque cave in bonis operibus opponere defectum virium aut facultatum, sed in divino auxilio confide. 2. *Interrogavit eos: Quot panes habetis? qui dixerunt: Septem, & præcepit turbæ discumbere.* Conf. Christum, licet non indigeret, his panibus ad præstandum miraculum; tamen requirere conatum nostrum pro viribus, ut eum ipse adaugeat & promoveat. 3. *Et accipiens septem panes, gratias agens, fregit, & dabat discipulis suis, ut apponerent,* atq; idem fecit de paucis piscibus. Conf. docere nos Christum exemplo suo gratias Deo agere etiam pro cibo corporali, quantumvis modico, ut divina benedictione is cedat nobis in augmentum virium ad Dei obsequium.

Punct. III. Et manducaverunt, & saturati sunt quasi quatuor millia. Conf. 1. Multiplicasse Christum hos panes & pisces continuato miraculo in manibus suis, discipulorum, & accumbentium, atque ita omnes saturatos: ubi attende in convivio Dei saturari omnes, in convivio mundi verò omnes fame torqueri, cum nec divitiæ, nec voluptates, nec honores umquam satient. 2. *Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas* pro oblatis totidem panibus, tum in memoriam miraculi, tum ut agnosceremus copiosum fructum bonorum operum.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Anno 32. Maio in monte Gal.

Christus monet cavendos falsos Doctores, eosq; ex operibus dignoscendos.
Matt. 7. Luc. 6.

PUnct. I. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Consid. 1. Christum conscium fraudis & versutiæ diabolicæ, qua magis quam sævitia homines ad interitum trahit, eodemque principio homines pravos velut instrumenta sua ac discipulos imbuit, præmonere hîc discipulos suos, ut sibi ab iis studiosè caveant, si salvi esse velint. 2. Consi. Fraudes horum seu vestimenta ovium quæ assumunt, quibusque incautos decipiunt, esse ovinam simplicitatem, simulatam pietatem, verba, speciosa, dogmata sensibus grata. 3. In omni sollicitatione ad peccatum similes fraudes præferri, propinari venena, sed melle contecta, offerri oscula, sed recondito gladio ad necandum; ideoque si sapis, cum magna circumspectione ad ea attende, cave, & pave. 4. Adjungi hîc à Christo signum unde dignoscantur, *ex fructibus eorum cognoscetis eos*, sive ex operibus quæ manifestant latentem intùs intentionē.

Punct. II. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit. Consid. 1. Probare hîc Christum doctrinam suam similitudine arboris bonæ ac malæ, quæ sicut ex fructibus dignoscuntur, ita & homines dignosci ex operibus. 2. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Ostendit signum hoc esse infallibile, ideoque voluntatem bonam, dum talis manet, non posse malè operari, nec malam bene; potest tamen voluntas bona, rejiciendo Dei gratiam, fieri mala, atque ita malos fructus proferre, ac vicissim voluntas mala, si cooperari voluerit gratiæ Dei, fieri potest bona, & proferre fructus bonos. 3. Idem declarat, altera similitudine apud S. Lucam de thesauro, ex quo bono non profertur nisi bonum, ex malo autem non nisi malum, unde & concludit: *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, imò & manus operatur, adeoque ex corde bono cogitationes, verba & opera procedunt bona, ex malo verò mala. *Luc. 6. sup.*

Punct. III. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Consi. 1. Apponi hîc à Christo pœnam iis qui bona opera non præstant, nec proinde sufficere, ut quis caveat à malo, sed necesse esse, ut & faciat bonum; aliàs velut arbores inutiles excidendos, & in ignem gehennæ rejiciendos. 2. Addit Christus non sufficere etiam nudam fidem aut invocationem nominis sui, aut proposita bona, quæ velut folia aut flores vento dissipentur, sed requiri fructus, sive executionem mandatorum: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine*, inquit, *intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* 3. Consi. diabolū in eo potissimum laborare, ut quibus non potest tollere fidem, tollat opera bona & caritatem.

Anno 33. Decemb. in Bethania ad Jord.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Christus parabola villici monet etiam à nobis exigendam rationem, ideoq; tempestivè saluti consulendum. Luc.16.

PVnct.I. *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.* Conf.1. Christum docere hîc nos omnes esse non dominos, sed villicos seu administratores donorum ac bonorum nobis commissorum, animi & corporis, naturæ, & gratiæ, & fortunarum, ideoque ea omnia fideliter à nobis administranda. 2. Et Dominus *vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te?* Attende tranquillitatem animi, & æquitatem in judicando, eamque tu etiam imitare erga proximum in injuriis tibi illatis. 3. *Redde rationem villicationis tuæ.* Conf. etiam tibi reddendam rationem de omnibus acceptis, & expensis, etiam de verbo otioso, eoque ampliorem, quò amplior tibi commissa est villicatio: quare ut id rectè suo tempore facias, nunc exige sæpiùs & accuratè rationem à te in tribunali mentis per examen conscientiæ, & confessionem sacramentalem, atque ita timendum tibi non erit à tribunali judicij particularis aut universalis, *si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* 4. *Iam enim non poteris villicare.* Conf. fore etiam aliquando finem villicationis tuæ, seu vitæ terminum, quem Deus etiam prævenit peccatis provocatus, *ne impiè agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.*

Gen.18.20. Matt.12.36 1.Cor.11.31 Eccl.7.17.

Punct.II. Quid faciam? quia Dominus aufert à me villicationem. Conf.1. Anxietatem quæ tibi futura est in fine vitæ, quando terrena omnia tibi erunt deserenda, & exactissima eorum reddenda ratio: quare quæ tunc fecisse velles, nunc fac: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* 2. *Fodere non valeo, mendicare erubesco.* Consid. hæc duo esse præcipua salutis impedimenta, fugam molestiæ & contemptus humani, sive affectũ inordinatum erga cõmoda & humanam æstimationem; ideoque stude hæc in te superare. 3. *Scio quid faciam.* Attende hîc cõsideratione finis aperiri oculos mentis, & hominem ad cor redire, ac proinde saluberrimã esse frequentem memoriam mortis.

Gal.6.10.

Punct.III. Conf.1. Villicum convocatis debitoribus Domini sui condonasse partem debitorum, *& laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* Ubi attende laudari, nobisque ad imitandum proponi non injustitiam villici, sed studium ejus & industriam, ut rebus suis etiam in futurũ consuleret. 2. *Quia filij hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Conf. quàm indignum sit homines sæculares plus laboris, studij, ac solertiæ impendere, consequendis rebus terrenis ac perituris, quàm nos cælestibus ac æternis. 3. *Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Conf. *mammonam* sive divitias *iniquitatis* hîc rectè dici, tanquam ejus instrumenta ac peccandi materiam, proinde felicitatem eorum, qui se iis pro Christo abdicarunt

DOMI-

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Anno 34. Mart. 20 in via Jerosol.

Christus deplorat peccata civium Hierosolymæ, & ingressus templum ejicit vendentes. Luc. 19. Matt. 21. Marc. 1. Ioan. 12.

PUnct. I. *Cùm appropinquaret Iesus Hierusalem, videns civitatem, flevit super illam.* Consf. 1. Christum die Palmarum asino vectum inter discipulos suos, ac faustas turbę acclamationes, temperasse gaudium inspecto misero statu civium Hierosolymę, quorum cæcitatem & ingratitudinem, atque imminentem severam vindictam miseratus, in lacrymas provocatur: ubi attende benignum Christi in peccatores affectum, statum deinde animæ tuæ, & tot animarum pereuntium, ac disce etiam in prosperis temperare gaudia metu futurorum. 2. *Quia si cognovisses et tu.* Optat Christus ut aperire velint oculos mentis, & cognoscere bona oblata, ac mala imminentia, misericordiam præsentem, ac justitiam futuram. 3. *Et tu.* Exaggerat iniquitatem ab ingratitudine: tu præ aliis gentibus adeo à me semper dilecta, instructa, honorata, & locupletata, ac tot beneficiis cumulata: expende *& tu* beneficia singularia tibi à Deo collata. 4. *Et quidem in hac die tua,* brevi tibi tollenda, ac serò deinde & frustra repetenda: cave ne expectes diem meam, diem iræ, & justi furoris. 5. *Quæ ad pacem tibi,* media nunc offeruntur, quibus reconciliatus Deo parata tibi ab eo supplicia evadas, & consequaris felicissimam pacem hic ac deinde in cælesti & æterna gloria. 6. *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*, & peccata tua, & parata supplicia, & monita mea, quæ omnia noluisti agnoscere, avertens oculos ne videres veritatem, quam si nunc agnosceres, cùm Christo fleres, & non perires; sed hanc sequelam dolor Christo interclusit.

Punct. II. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te. Consid. 1. Christum hîc prædicere eis atrocem punitionem, cujus tempus non exprimit, ut ad illud quantocyùs præveniendum eos permoveat, laxum tamen deinde dedit ad annos 40. quod qui obstinati negligerent, vindicem tandem Dei manū experirentur. 2. *Et coangustabunt te undique,* foris numeroso ac robusto exercitu Romanorum, intus per intestina dissidia, & famem extremam. 3. *Et ad terram prosternent te,* nam funditus civitas sic destructa est, ut alio nunc loco sit, quam ante fuerit. Ubi Consid. hæc omnia fuisse quasi præludia & umbram eorum quæ animæ peccatrici in morte obveniunt, cum à dæmonibus cingitur, coangustatur objectis peccatis præteritis, & pœnis futuris, denique prosternitur in desperationis & inferni barathrum. 4. Caussam addit Christus tam severæ punitionis: *Eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ*, nunc per misericordiam & beneficentiam, postea visitanda per justitiam & supplicium: quare *bodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Psal. 94. 6.

Partem II, vide Fer. III. Dom. I. Quadrag.

Anno 34. Februar. in Bethania ad Jord.

Christus parabola de Pharisæo & Publicano docet humilitatem. Luc. 18.

P*Unct.I. Duo homines ascendebant in templum ut orarent, unus Pharisæus, & alter Publicanus.* Consid. I. Rem in speciem esse piam conferre se in templum adorandum, tanquam locum orationi proprium; sed nisi hæc rectè fiat, fructum nullum colligi, imò injuriam irrogari loco sacro, ac potissimum Christo & Angelis ibi præsentibus. 2. *Pharisæus stans hæc apud se orabat, Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.* Ubi Consid. Pharisæum quasi in scenam prodire virtutum insignibus gloriantem, sed superbiæ vitio turpiter infectum, cujus affectus exprimit per confidentiam sui erecta cervice, per contemptum aliorum, & hoc cum exaggeratione, ac si omnes essent vitiis infames, & per judicium temerarium de Publicano. 3. *Iejuno bis in Sabbato*, seu hebdomade, *decimas do*, non tantùm juxta legem de frugibus terræ, sed insuper *omnium quæ possideo.* Consid. hac jactantia velut tinea enervari merita & opera bona. *Laudet te alienus, & non os tuum. Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.*

Prov. 27. 2. 2. Cor. 10. 17.

Punct. II. Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum levare. Consid. I. Publicanum velut in altera scena detestantem & calcantem peccata commissa, totumque ad humilitatem compositum, se & aliorum consortio, & divino conspectu indignum reputare: imitare in hoc odium peccati, pudorem tui, & timorem Dei. 2. *Sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Consid. eum percussione pectoris designare internam animi pœnitudinem, atque inde inclamare Dei misericordiam: *Propitius esto*, condona, placare *mihi*, cui omne peccatum adscribo, non sociis, non dæmoni, non occasionibus, *peccatori*, qui toties & tam graviter in te peccavi. 3. Sicut Pharisæus se super omnes erigebat, ita Publicanum se infra omnes demittere, *non sum sicut ceteri hominum*, benigni, justi, casti, velut etiam hic Pharisæus.

Punct. III. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo. Consid. I. Christum hîc velut in tertia scena sententiam de utroque proferre, ac Pharisæum se justificantem condemnare, Publicanum verò se condemnantem justificare; unde collige non omnes à templo aut ab oratione redire justificatos, neque omnes æqualiter, atque alia esse judicia Dei & hominum. 2. *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur*, nempe sæpè in hac vita, semper autem & maximè in altera, ita Lucifer, Nabuchodonosor, Antiochus, &c. *dejecisti eos dum allevarentur.* 3. *Et qui se humiliat, exaltabitur.* Ita Abraham, Moyses, Deipara: Christus, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum. Ac proinde elige *superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.*

Psal. 72. 18. Phil. 2. 8. Prov. 29. 23.

DOMI-

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Anno 33. Maio ad mare Gal.

Christus sanat mutum & surdum, atque alios plures infirmos.

Marc. 1. Matt. 15.

P*Unct. I. Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.* Consid. 1. Surdos spiritu, & vitiosè esse inobedientes, qui nec mandatis superiorum, nec Dei inspirationibus obtemperant: mutos verò qui reticent & peccata sua, & laudes Dei ex humano respectu. 2. Rectè verò spiritu surdos esse & mutos, qui aliorum obloquiis neq; à virtute dimoventur, neque mali quidquam reponunt, sed dicunt cum Christo: *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* *Psal. 37. 14.* 3. Tu etiam spiritu infirmos adduc ad Christum verbo & exemplo, atque oratione pro illis apud ipsum deprecare.

Punct. II. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus, & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi Ephpheta, quod est, adaperire. Consid. 1. Hunc infirmum à Christo seorsum abductum, ut nos doceret recedendum à mundi strepitu ei qui ab ipso animæ sanitatem desiderat. 2. Cum posset eum verbo sanare, quod & deinde fecit, cærimonias tamen adhibuit, ut doceret nos eas quæ ab Ecclesia deinde essent instituendæ reverenter venerari. 3. Per immissionem digiti, & tactũ sputi ostendere voluit virtutem corporis sui, ac suspiciendo in cælũ, medelã inde petendã cunctis infirmitatibus: ingemuit cõmotus miseriis animæ & corporis, in quas hostis diabolus & peccatũ hominem dejecerat, ut nos doceret ex hoc exilio ad cælestem patriam adspirare. 4. *Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.* In quo agnosce divinam Christi potentiam, & rectè prius apertas esse aures, quam linguam, ut discas priùs obedire, quam alios docere, unde S. Gregorius: *Ille rectè loquitur, qui priùs obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda.*

Punct. III. Et præcepit illis, ne cui dicerent; quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eò ampliùs admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui. Consid. 1. Christum non voluisse hîc illos ad tacendum obligare, sed palam ostendere, se non teneri desiderio humanæ gloriæ, esseque benefici hanc declinare, grati verò beneficium prædicare. 2. Attende hîc etiam laudem & gloriam humanam velut umbram sequi fugientes, cum sequentes fugit. 3. Facilè nos judicare Deum bene omnia facere, quando sanat ægros, aut tollit corpori adversa, sed dum hæc immittit, sæpe nos aliter judicare; perfecti verò esse tam in adversis quàm in prosperis Deum laudare, dicendo: *Bene omnia fecit.* 4. Christum bene omnia fecisse, quia irreprehensibiliter, sic ut jure nihil in vita ejus carpi à quoquam posset, tum etiam quia beneficè, nam omnis ejus conversatio fuit velut assidua beneficentia, *pertransiit benefaciendo & sanando* *Act. 10. 38.* *omnes oppressos à diabolo.*

Anno 33. Octob. in Judæa.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Christus prædicat felicitatem discipulorum suorum, & parabola de Samaritano curato docet caritatem erga proximum. Luc. 10.

PUnct. I. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Consf. 1. Rectè beatos dici oculos videntes mundi Redemptorem, ubi cum oculis corporis conspirabant oculi mentis seu fidei, quos Judæi, plurimi clausos tenebant; sed & oculi nostri nunc beati qui eumdem Christum in Eucharistia licet tectum speciebus vident lumine fidei, ac cetera fidei mysteria, nam

Ioan. 20. 29. *beati qui non viderunt & crediderunt.* Attende hîc prærogativam legis novæ præ veteri, ac proinde felicitatem tuam. 2. *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt.* Ita te-

Isa. 45. 8. stantur ardentia eorum desideria: *Rorate cæli desuper. Vtinam dirumperes cælos*

Isa. 64. 1. *& descenderes! Veniet desideratus cunctis gentibus. Excita Domine potentiam tuam &*

Agg. 2. 8. Psal. 79. 3. *veni.* Jungamus & nos cum illis desideria nostra, ad claram divinæ Majestatis in cælis visionem adspirantes.

Punct. II. Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Consf. 1. Hunc exquirere viam salutis animo non sincero, sed ut inde occasionem captare possit Christum traducendi: tu attende qua intentione feraris in operibus tuis, ac nominatim verbo Dei audiendo. 2. Sicut hunc remittit Christus ad observantiam legis: *In lege quid scriptum est?* ita & nos eodem remittit, atque inde distinctiùs ad observantiam regularum nostrarum: ac sicut huic subjicit: *Hoc fac, & vives;* ita & nobis idem reponet. 3. Per dilectionem Dei *ex toto corde &c.* intellige Deum diligendum super omnia & *comparativè* ut nihil diligas Deo contrarium, & *appretiativè* ut paratus sis omnia ejus amore relinquere, & *finaliter*, ut omnia diligas propter illum. 4. Per dilectionem proximi *sicut teipsum*, intellige non æqualitatem dilectionis, cum dilectio sui in spiritualibus semper sit ceteris præferenda: sed similitudinem, ut sicut nosipsos non fictè aut frigidè, sed sincerè & ardenter diligimus, atque optamus bona corporis & animæ, ita & in proximum feramur.

Punct. III. Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones. Consid. 1. Christum hac parabola hominis miserè in via vulnerati & curati docere quis proximus noster sit, & quæ ei caritas impendenda; illum enim cum præteriisset Sacerdos & Levita, non impenso auxilio, Samaritanus Judæis extraneus & hostis deinde accedens, misericordia motus omni caritatis obsequio recreavit, de quo proinde Christus monet: *Vade, & tu fac similiter.* 2. Consid. hîc notari à Christo præposteram religionem Judæorum, nominatim Sacerdotū ac Levitarum, qui toti erant in externis & superfluis cærimoniis, internam verò pietatem negligebant, in qua ab ipsis Samaritanis superabantur: ubi attende quam turpe sit vinci Christianum ab Ethnicis, religiosum à sæcularibus in operibus pietatis.

DOMI-

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Anno 33. Septemb. per Samariam.

Christus sanat decem leprosos. Luc. 17.

PUnct. I. *Occurrerunt ei decem viri leprosi.* Consid. 1. Lepram fuisse Judæis morbum frequentem, partim naturalem ob calores, partim ex speciali Dei punitione, & communiter incurabilem, cujus effectus & signa erant diffusa per corpus scabies, vultus luridus, & halitus fœtens ac contagiosus; in quo attende designatam fuisse lepram spiritualem animæ, nempe peccatum, cujus effectus cum multò graviores sint, eam etiam magis esse cavendam. 2. *Qui steterunt à longè,* juxta legem, ne alios inficerent: tu etiam cave consortia malorum, & occasiones peccandi; nam *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* 3. *Et levaverunt vocem, dicentes: Iesu Præceptor miserere nostri.* Desperato omni alio auxilio, recurrunt ad Christum, cujus misericordiam ardenter, & unanimiter implorant: tu sic etiam ad ipsum in necessitate recurre. Lev. 13. 46. Eccli. 13. 1.

Punct. II. Quos ut vidit, dixit: Ite ostendite vos Sacerdotibus. Consid. 1. Christum non fugere leprosos, sed quærere, ut eis & animi & corporis sanitatem restituat, in quo benignitatem ejus attende: missos verò ab eo ad Sacerdotes, tum ut ipse hoc mandato suo se legis observandæ studiosum ostenderet, tum ut eos induceret ad simplicem obedientiam, cujus fructum mox perceperunt, nam *dum irent, mundati sunt:* illam & tu imitare. 2. Consf. Christum ea missione ad Sacerdotes præsignasse Sacramentum confessionis à se instituendæ, ubi Sacerdotes potestatem essent habituri non tantùm examinandi, sed verè tollendi lepram omnem spiritualem, de quo beneficio gratias illi age, & cave per noxiam erubescentiam, vel à confessione abstinere, vel peccata celare. 3. Sicut illi cunctati non sunt, ita nec tu cunctare, sed lepra infectus, mox eò accurre. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Lev. 13. 29. Eccli. 5. 8.

Punct. III. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum. Consid. 1. Plurimùm placuisse Christo hujus gratitudinem, tum propter ferventem affectum palam declaratum, tum propter insignem humilitatem, nam *cecidit in faciem ante pedes ejus*, tum potissimùm quia *& hic erat Samaritanus*, minori notitia Dei imbutus quam ceteri Judæi; & sic fit quandoque sæculares fervore præstare religiosis. 2. Respondit illi Christus: *Nónne decem mundati sunt, & novem ubi sunt? non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Consid. gravem ingratitudinem horum Judæorum, qui ne verbum quidem gratiarum pro accepto beneficio sanitatis reponunt. Sic multi in necessitate recurrunt ad eum, sed ea liberati mox obliviscuntur. 3. *Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit*, fides nempe caritate vivida etiam animæ sanitatem restituit. Quare & in te fidem accende, nam *multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matt. 20. 16.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Anno 32. Maio in monte Gal.

Christus damnat immodicam curam temporalium. Matt. 6.

PUnct. I. *Nemo potest duobus Dominis servire. Non potestis servire Deo & Mammonæ.* Consid. 1. Christum ex doctrina generali, quod nemo possit servire duobus dominis non subordinatis, & diversa jubentibus, rectè inferre, non posse nos simul Deo servire, & Mammonæ, sive Deo divitiarum in conquirendis divitiis, quæ animum à cultu Dei abstrahunt, sibiq́ue penitùs vindicant. 2. Cùm tamen oporteat servire alicui, an non expediat servire Domino benigno, fideli & liberali Deo, cui, ut ait Bernardus, *servire regnare est*, cui tot titulis servitutem debemus, amplissima deinde mercede in cælis remunerandam; quàm Domino duro & infideli diabolo, qui suos cultores torquebit postea cruciatibus æternis.

Punct. II. Ideo dico vobis, ne sollicitì sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Consid. Christum hîc septem argumentis refutare inordinatum studium divitiarum, ac 1. ex eo quod Deus ultro dederit nobis animam & corpus nobiliora cibis & vestibus, nec proinde subtracturum hæc minora, in quantum sunt necessaria: *Nónne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum?* 2. Ex cura Dei in pascendis avibus: *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa: Nónne vos magis pluris estis illis?* 3. Quod curæ nostræ eò sint omnino inutiles: *Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Si studiis nostris ne vel ad minimum possimus extendere staturam corporis, frustra angi nos de vita ipsa proroganda. 4. Ex ornatu florum, qui etiam regium superat: *Considerate lilia agri*, seu flores in pratis sponte nascentes, *quomodo crescunt, non laborant neque nent: dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.* 5. Arguit diffidentiam de Deo ac divina providentia, tanquam radicem anxietatis: *Si autem fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* 6. Diffidentiam illam & anxietatem propriam esse gentilibus, nec proinde convenire filiis Dei & heredibus regni cælestis: *Nolite ergo sollicitì esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt.* 7. A paterna Dei providentia: *scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis*; ita vos ipse creavit egentes opis suæ, ut eam minimè sit subtracturus: vos quæ illius sunt curate, curabit ipse quæ vestra sunt.

Punct. III. Quærite ergo primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Consid. Christum hîc præcipere ut super omnia, & omni studio, sed sine anxietate quæramus *regnum Dei*, qui regnet in cordibus nostris per gratiam, ac deinde deducat nos in regnum suum cæleste; cujus etiam obtinendi medium addit, nempe *justitiam*, seu observantiam legis divinæ; atque ita studendum divitiis non terrenis sed cælestibus.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Anno 32. Maio ad urbem Naïm.

Et Feria V. post Dom. IV. Quadrag. & die S. Monicæ.

Christus suscitat à morte filium viduæ ad urbem Naïm. Luc. 7.

P*unct. I. Cum appropinquaret Iesus portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur Filius unicus Matris suæ, & hæc vidua erat.* Consid. 1. Occursum hunc Christi non fortuitum sed destinatū, sicut & pluribus aliàs, ita & huic defuncto felicē hîc fuisse ac salutarē: tu attende quoties ille tibi occurrat in sacro & oratione, atque occasionem arripe. 2. Cons. Adolescentem hunc fuisse in ætate florenti, opulentum, & unicum, eumque efferri extra domum maternam, urbem, divitias, voluptates, honores, iisque omnibus pariter spoliatum. *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* Quare ne fide vitæ fugaci instar *avis volantis, cursoris, navis, sagittæ, &c.* & quod tunc factum velles, nunc statue. 3. Licet Judæi tunc de more extra urbem suos sepelirent; postea tamen rectè statutum ab Ecclesia, ut fideles intra urbem in templis aut propè ea sepelirentur, ut nempè templum ingressuri ibi pro defunctis orarent, & stimulum ibi conciperent sanctioris vitę, attendentes sepulchra mortuorum esse monumenta vivorum, quos monent idem sibi expectandum. Eccli. 41. 1. Sap. 5. 9.

Punct. II. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Consid. 1. Misericordiam Christi commoti lacrymis viduæ lugentis mortem corporalem Filij, ac proinde longè magis eum commovendum lacrymis tuis, cum lugebis animam tuam vel proximi peccato mortuam. 2. Vetat lacrymas illas, quia vanas: tuas verò provocat quia utiles & quæ posteà vertentur in gaudium. 3. *Tetigit loculum,* & stitit, ut ostenderet se habere imperium etiam in mortem. Tangit etiam peccatorem, priusquam suscitet, excitando in eo affectus fidei, timoris, spei, & pœnitentiæ. 4. *Hi autem qui portabant, steterunt.* Sic vitia quæ deducunt peccatorem in consuetudinem peccandi velut sepulchrum, sistuntur à Christo, dum cor tangit, & movet ad emendationem vitæ.

Punct. III. Adolescens tibi dico: Surge; & resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Consid. 1. Christi in hoc potentiam, dum solo imperio mortuum suscitat, & attende quoties & tibi in anima idem inclamet, ut surgas è vitiis & languore tuo, nec tamen commoveris. 2. *Et dedit illum Matri suæ.* Ut nempè hęc illo frueretur, & ille Matri obsequeretur: ita peccatorem justificatum restituit Ecclesiæ, ut ejus se verum filium vitæ sanctitate deinceps exhibeat. 3. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam.* Omnes illi sacro horrore & reverentia correpti in gratias Deo eruperunt, sed præ reliquis mater & filius redivivus: & tu de suscitatione animæ tuæ, & aliorum à peccatis, Deo, ut par est, gratias repende.

FERIA

Anno 32. Aug. 7. ad montem Thabor.

Christus ejicit dæmonium, quod Apostoli non potuerant.

Marc. 9. Matt. 17. Luc. 9.

PVnct. I. *Magister attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum, qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit.* Consid. 1. Christo è monte Thabor descendenti inter ceteros occurrisse unum, & genibus ejus provolutum opem ardenter implorasse pro filio unico energumeno liberando: ubi attende odium dæmonis erga hominem in affligendo corpore, quotidie magis exerceri in affligendis animis. 2. *Et dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt.* Derivat hic defectum curationis in impotentiam discipulorum, cum debuisset potiùs derivare in suam incredulitatem. 3. *Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula & perversa, quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos?* Sic Christus non superatus tædio, sed velut medicus cujus præcepta ab ægro non servantur, meritò expostulat se vitio eorum nihil apud eos proficere ut beneficiis, tot miraculis frustra profusis: cave ne & hæc querela in te locum habeat.

Punct. II. Afferte illum ad me. Cons. 1. Christum hîc post justam increpationem mox assumere consuetam misericordiam & mansuetudinem: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis: Conversus est furor tuus, & consolatus es me.* 2. *Et cùm vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum, & elisus in terram volutabatur spumans.* Cons. sic eum, qui ad Christum convertitur, acriùs à dæmone in anima divexari, distrahi ad alia, & in priora vitia ac pusillanimitatem inclinari. 3. *Et interrogavit patrem ejus: quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? at ille ait: Ab infantia, & frequenter eũ in ignem, & in aquas misit ut eum perderet.* Cons. valde difficulter expelli vitia quibus quis diu assuevit, ideoque ea quamprimùm forti animo superanda, & quò magis differuntur, difficiliùs curanda. 4. *Sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri.* Prodit hîc infirmam fidem, sensim tamen Christi gratia crescentem.

Hab. 1. 3. Isa. 12. 1.

Punct. III. Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Ubi Cons. 1. efficaciam fidei. *Et continuo exclamans pater pueri cùm lacrymis aiebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Sic & tu Christum precare. 2. Et ad dæmonem conversus, dicit illi: *Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum. Et exclamans, & multùm discerpens eum, exiit ab eo.* Cons. hîc potentiam & imperium Christi in dæmones, & superabundantem misericordiam, cùm non tantùm à dæmone liberat, sed & cavet ne ab eo ampliùs infestetur: sic & tu cave maximè relapsus in priora vitia. 3. *Et cùm introisset in domum, discipuli ejus secretò interrogabant eum: Quare non potuimus ejicere eum, & dixit illis: hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio.* Consid. Christum hîc indicare graviores tentationes & afflictiones non superandas nisi oratione & jejunio seu pœnitentia, ac sic efficaciùs Dei offensi iram placandam.

SABBA-

Feria VI. Quat. Temp. Septemb. vide Festum S. Mariæ Magdalenæ 22. Julij.

SABBATO QUAT. TEMP. SEPTEMB.

Anno 33. Novemb. in Judæa.

Christus hortatur ad pœnitentiam parabola ficus, & sanat mulierem contractam. Luc. 13.

PUnct. I. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio; succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* Cons. 1. Dominum vineæ hujus esse Deum, cultorem verò Christum, etiam Prophetas & Apostolos: ficum verò esse populum Judaïcum, à Deo plantatum, atque innumeris beneficiis corporalibus ac spiritualibus, velut pluvia & Sole adjutum & provocatum ad ferendos fructus bonorum operum, sed frustra: ac proinde jussisse populum illum exscindi; nam *omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exscindetur & in ignem mittetur*: cave & tu sterilitatem bonorum operum, quæ Deus à te post tot collata beneficia patienter expectat. 2. *At ille*, cultor vineæ Christus, *respondens dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum*, salva erit: *sin autem, in futurum succides eam.* Consid. misericordiam & clementiam Christi erga peccatores, intercedentis apud Patrem, ut tempus eis proroget pœnitentiæ, interim operam ipse suam promittit, ut fodiat circa illos, proposita ob oculos morte, & peccatorum velut stercorum fœditate: cave autem tu ne misericordiæ Christi & clementiæ reponas ingratitudinem, & duritiam cordis, ne concessum tempus ad opera bona, convertas ad mala, unde fiet, ut & ipse collata beneficia conversurus sit, in æterna supplicia. *Deus judex justus, fortis, & patiens. Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Terra sæpè venientem super se bibens imbrem: proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima.*

Matt. 7. 19.

Psal. 7. 12. Sap. 11. 24. 2. Pet. 3. 9. Hebr. 6. 7.

Punct. II. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere, quam Christus impositione manuum suarum, subitò sanavit, *& illa erecta glorificabat Deum.* Consid. 1. Mulierem hanc à maligno spiritu obsessam, atque ab eo morbis multo tempore miserè divexatam typum fuisse animæ peccatricis, terrenis rebus affixæ, & in peccatis inveteratæ, quo diabolus potissimùm adlaborat, ac ne sursum ad cælestia respiciat; hîc tamen Christum peccatoribus omnibus spem subjicere sanitatis spiritualis obtinendæ, sicut mulieri huic contulit corporalem: impositione manuum designans potestatem suam, & imperium in dæmones atque omnes morbos. 2. Disce hinc frænare affectum ad terrena. *Peccator dum desideria inferiora sequitur, à mentis suæ rectitudine curvatur. Declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum Dei.*

S. Gregor.

Dan. 13. 9.

Anno 33. Decemb. Jerosol.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Christus sanat hydropicum in Sabbato, & parabola invitati ad nuptias docet humilitatem. Luc. 14.

P*Vnct. I. Cùm intraret Iesus in domum cujusdam Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum.* Consid. 1. Christum hîc Sabbato invitatum, die opportuno ad pietatis & caritatis opera exercenda, contraria in ipsis expertum, qui ex verbis & actionibus ejus eligere studebant quod carperent, ubi ipse intentus erat in ipsorum salutem: tu cave ne in aliis nominatim superioribus observes & carpas zelum disciplinæ, vel ea quæ laudanda potiùs sunt, ac defectus tuos observa. 2. Christum non tam spectasse convivij apparatum, quàm malignam eorum intentionem, ac nominatim venenata fercula invidiæ & ambitionis, quibus ipse præter virtutes suas, opponebat miraculum & instructionem: quare scias parum profutura opera bona sinistra intentione condita. 3. Cave ne dies festos transfigas in vitiis Pharisæorum, sed cum Christo in exercitiis virtutum, pietatis, caritatis, zeli, patientiæ, &c.

Punct. II. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Consid. 1. Hunc hydropicum cùm non auderet ob metum Judæorum Christi opem implorare, stitisse se ante eum, ut conspectu morbi sui ad commiserationem permoveret: tu etiam infirmitates tuas Christo expone, eumque inspectorem tibi in omnibus statue; ac sic benignam & auxiliarem ejus manum submissè implora. 2. Consf. Hydropem spiritualem rectè appellari avaritiam & superbiam, nam sicut in corporali *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*: ita & in his crescit assiduè sitis habendi, inflantur opibus fluidis velut aqua, nec nisi abstinentia curantur: quare opulentiam avari & fastum superbi morbum potiùs esse scias, quam felicitatem.

Punct. III. Cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco. Consid. 1. Christum observata superbia, qua turgebant Pharisæi in captando primo loco convivij, captasse inde occasionem eos instruendi ex motivo humano parabolæ de invitatis ad nuptias, ubi is qui primum locum malè occupaverat, jubetur cùm rubore recedere ad novissimum; alter verò è novissimo loco jubetur cùm gloria ascendere ad superiorem: unde discant superbos etiam ab hominibus hujus sæculi deprimi, humiles verò ac modestos honorari. 2. Studendum tibi ut occupes primum locum non in terris, sed in cælis, ad quem via rectissima, exemplo Christi est locus hîc novissimus, ideoque infirmitates tuas tibi ob oculos pone, ceteris te viliorem æstima, & *quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo* (Eccli. 3. 20.)
invenites gratiam. 3. Concludit Christus *quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*, si non in hac vita, saltem in altera. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* (Psal. 138. 17.)

DOMI-

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Anno 34. Martij 22. Jerosol.

Christus respondet ad quæstionem de præcipuo mandato. Matt.22.Mar.12.

PUnct. I. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Consid. 1. Pharisæos videntes Christum in confutandis Sadducæis hæreticis victoriam retulisse, aliud in ipsum hic telum intorquere de mandato præcipuo legis, quod cum aliqui malè instructi interpretarentur esse oblationem sacrificij, Christus postposito respectu humano, ac dissimulato eorum malignandi studio, docuit id consistere in caritate: tu in hoc confidentiam Christi pro Dei gloria imitare. 2. Per dilectionem Dei ex toto corde, &c. non significari aliud, quam Deum super omnia diligendum, sic ut paratus sis ejus dilectioni divitias, honores, & vitam postponere: vel etiam per *cor, animam, & mentem* intellige tres animæ potentias, voluntatem, intellectum, & memoriam. Addit S. Marcus: *Ex tota virtute tua*, seu conatu exteriori, sic ut ex corde diligatur Deus suaviter, ex anima sapienter, ex mente constanter, ex virtute fortiter. 3. Vult Deus ex toto corde diligi, sic ut affectus voluntatis non in alias creaturas nisi propter se dividatur.

Punct. II. Hoc est maximum & primum mandatum. Consid. Mandatum hoc dilectionis rectè à Christo appellari maximum, 1. capacitate, quia continet cetera omnia mandata & virtutes, quas velut radix, mater, & regina, generat, alit, & roborat. 2. Meritis, quia sicut aurum præstat metallis ceteris, eaque exornat: ita & hæc facit opera omnia meritoria. 3. Nobilitate, quia facit suos maximos, nempe filios Dei. 4. Victoria, quia vincit omnia quantumvis dura & aspera, etiam mortis tormenta. 5. Facilitate, quia nihil facilius nec jucundius, atque omni tempore & loco exerceri potest. Denique sine ea nihil cetera omnia ad salutem prosunt.

Punct. III. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Consid. 1. Hoc præceptum de dilectione proximi hîc adjungi priori, & *simile* dici ob dignitatem & idem objectum formale, quod est Deus; nam proximus referens imaginem Dei propter Deum diligendus est, qui præstita illi benè vel malè, sibi attribuit. 2. Proximum dici omnem hominem extra statum damnationis, qui omnes fratres nostri sunt natura ab eodem Patre Deo accepta, fideles verò insuper à Christo omnes in baptismo regenerati, corpore ejus & sanguine in Eucharistia aluntur ad vitam gloriæ cælestis. 3. Modus autem diligendi proximum est, *sicut teipsum*, non æquè nec quantùm; sed simili amore, sincero & solido, optando ei bonum sicut tibi, ac pro viribus præstando, malum nolendo ac avertendo. 4. Licet proximus omnis diligendus sit, tamen juxta legem dilectionis ordinatæ, magis diligendos eos, qui natura aut spiritu conjunctiores sunt, atque una fide, aut etiam religione copulantur.

Anno 32. Martio Caphernai.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Et Feria VI. Pentecostes.

Christus sanat paralyticum demissum per tectum. Matt. 9. Marc. 2. Luc. 5.

PVnct. I. *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.* Consid. 1. Cùm Christus esset Capharnai, ubi sæpiùs versabatur, ad mores istius emporij corruptissimos corrigendos, fuisse paralyticum à 4. viris in lecto delatum, eò quod præ turba per januam induci non posset, ac demissum è superiore tecto domus ante Christum, cui licet gratum acciderit hoc caritatis obsequium, multo tamen gratius illi esse, cum offers illi verbo, vitæ exemplo, aut oratione curandum peccatorem. 2. Cave tibi à paralysi spirituali quæ est acedia, nam sicut corporalis oritur ex frigore, dissolvit nervos, calore curatur & exercitio: ita & acedia oritur ex frigore spirituali, ubi prima devotio deferbuit, dissolvit amorem & timorem Dei, nec curatur nisi fervore pietatis, & exercitio spirituali. 3. Cupientibus ad Christum accedere occurrunt impedimenta, quibus pusillanimes deterrentur, accenduntur magnanimi: quare tu obloquia, & incommoda in via ad Christum stude superare, portatores adhibe sanctos Patronos, & memoriam novissimorum.

Punct. II. Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Consid. 1. Quàm bonum sit esse in societate piorum, quorum Act. 27, 24. precibus impetres bona desiderata, sic Paulus virtute sua omnes secum navigantes meruit periculo eripere. 2. Paralyticum, hunc quem Pharisæi aversabantur, quia pauperem & afflictum, vel ideo à Christo benignè admissum, & pœnitentem mox in filium susceptum: tu non labora de hominum à te aversione, modò Christi favorem obtineas. 3. Christum plus dare quam petatur, dum peccatum morbi fontem ostendit & tollit, ut discas priùs ac potiùs quærere sanitatem animæ quam corporis, & afflictiones communiter esse pœnas peccati, ut vitam nostram in meliùs commutemus.

Punct. II. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris. Consid. 1. Christum tribus certis indiciis hîc probare suam divinitatem, dum se ostendit inspectorem cordium, dum peccata remittit, & paralyticum imperio sanat sine alterius invocatione; his tamen Pharisæos minimè permotos: tu attende Deum tibi præsentem & inspectorem, ideoque pravas cogitationes in corde tuo coërce. 2. *Ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Ubi Consf. Christum non solùm contulisse sanitatem paralytico, sed etiam vires ac robur ad portandum lectũ, & ambulandum; ita perfecta sunt Dei opera, ubi conatus noster accesserit. 3. Et tibi dicitur: Surge ex defectibus tuis per propositum emendationis, tolle corpus tuum ut serviat justitiæ & spiritui, quod priùs serviebat iniquitati, & vade in domum conscientiæ tuæ, & orationis ad Patrem cælestem.

DOMI-

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Anno 34. Martij 22. Jerosol.

Christus exponit parabolam de nuptiis filij Regis. Matt. 22.

PVnct. I. *Simile factum est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Consid. 1. Christum declarare hîc cælestis Patris sui studium omnes salvandi, exemplo Regis, qui propinquis excusantibus se à convivio nuptiali, quosvis è platea accersit, modo assumant vestem nuptialem: ita & cælestem Patrem nuptias parasse Filio suo per Incarnationem cum Ecclesia, & quavis anima fideli: ubi agnosce felicitatem & dignitatem tuam, tantique sponsi potentiam, gloriam, & majestatem, teque ad amorem ejus excita. 2. Invitatos eò primum fuisse Judæos per Prophetas, per Joannem Baptistam, ac tandem per ipsum Christum, sed *nolebant venire*, quorum ingratitudinem dum miraris: cave ne & tibi dicatur: *Tu es ille vir*, 2. Reg. 12, 17. toties vocatus ad pœnitentiam, & vitæ emendationem. 3. Denuò enixiùs invitatos neglexisse, alios prætextu villæ, alios negotiationis, alios verò Regis servos contumeliis affectos occidisse: vide quam multi studia voluptatum & divitiarum præponant vocationi Dei.

Punct. II. Rex cum audisset, iratus est, & missis exercitibus perdidit homicidas illos. Consid. 1. Justam licet tardam Dei justitiam in punienda ingratitudine Judæorum, quando anno post mortem Filij 40. per Romanum exercitum eos tam severè gladio & fame perdidit, ac civitatem evertit. 2. Consid. ejusdem Regis benignitatem, quando misit iterum servos *ad exitus viarum*, ut quoscumque invenirent, convocarent: ita & missos Apostolos ac viros Apostolicos ad extrema mundi, qui gentiles toto orbe diffusos ad Ecclesiam & salutem vocarent, ejus nomine *qui omnes homines vult salvos fieri*, gentiles, hæreticos, peccatores, excitatque conscientiæ stimulis, monitis, exemplis. 1 Tim. 2. 4.

Punct. III. Intravit Rex, ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Consid. 1. Intrare ad nos cælestem Regem in judicio particulari, & universali, ac sub uno homine destituto veste nuptiali designari omnes fideles peccatores, destitutos veste gratiæ ac caritatis Dei. 2. Rex hunc redarguens amicè compellat, quo significatur Dei in puniendo tranquillitas, neque ex odio, sed zelo justitiæ peccatores condemnare. 3. Reprehensus *obmutuit*, ut significetur peccator testem sibi habere conscientiam, neque ullam excusationem apud Deum locum habiturũ. 4. Jubetur proinde *ligatis manibus & pedibus* mitti *in tenebras exteriores*, abstrusi carceris; *ibi erit fletus, & stridor dentium*, dolor & tormenta: ut scias post hanc vitam deesse potentiam ad resistendum, vel defectus corrigendos: quare *dum tempus habemus, operemur bonum*. 5. Concludit Christus: *Multi enim sunt vocati*, imò omnes ad fidem & salutem, *pauci verò electi* ad gloriam, quia eligi noluerunt: tu stude te inter paucos conservare, & electionis tuæ signa stabilire, ne cum pluribus excidas. Gal. 6. 10.

Anno 32. Febr. in Cana Gal.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Christus sanat filium reguli. Ioan. 4.

PUnct.I. *Erat quidam regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum.* Ubi Consid.1. infirmitatem hanc, ut subdit parens, fuisse morti proximam, unde nec divitiæ, nec potentia liberare eum poterant, ut discas nihil in hac vita cuiquam cujusvis ætatis, aut conditionis certum aut stabile esse, ac proinde ad meliorem vitam adspirandum. 2.Consid. & te esse regulum à cælesti Rege sub ipso constitutum, qui regendas habes potentias internas & externas, corporis sensus, & membra, filius tuus est voluntas ad bonum infirma, cui cave ne in mortem vel infirmitatem gravem labatur, quod si fiat, recurrre mox ad cælestem medicum. 3. Febrim nostram esse concupiscentiam malam, quæ sitim excitat rerum terrenarum, fastidium cælestium, animam Dei gratia prius exornatam, per Thren.4.8. peccatum ea privat, adeoq; deformat, ut *super carbones denigretur*, nec à Deo, Matt.25.12 nec ab Angelis cognoscatur, *nescio vos*, atque ad mortem æternam tandem Luc.16.22. deducat. Sic *mortuus est dives, & sepultus est in inferno.*

Punct.II. Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Consid.1. Corripi hîc à Christo regulum, tum propter fidem imperfectam, qua corporalem Christi præsentiam necessariam credebat pro sanitate restituenda, tum quia divites hîc suas habent consolationes: quare Centurioni, ut notat Matt.8.7. August. pro servo sanitatem petenti, adventum suum hic denegatum, ibi ultro obtulit, docens pauperes majori cura complectendos. Tu argue tuam in credendo duritiem post tot signa à Christo & Sanctis edita, tot impiorum, qui malè perierunt, exempla, & roga fidem tibi adaugeri. 2. Ubi tamen regulus in oratione perseveravit, mox à Christo exauditus est, filio sanitati restituto, ut discas in oratione cum illo persistere, sed fide viva & spiritu humilitatis clamando: *Domine descende*, per affectum commiserationis ad vilitatem meam. 3.Consid. quanta diligentia procuretur ægris sanitas corporis, & quæ molestiæ pro ea subeantur, potiones amaræ sumuntur, funditur sanguis, sumptus erogantur: pro salute verò animæ quam tardè & parum fiat.

Punct.III. Et credidit ipse, & domus ejus tota. Ubi Consid. Dei sapientiam & bonitatem in pertrahendo homine ad salutem variis mediis, prout hîc occasione morbi lethalis, & parentem minùs de Deo cogitantem, & filium, & familiam integram ad se convertit: unde disce morbos inter dona Dei meritò munerandos, ut rectè August. *Sicut res prospera donum est Dei consolantis, ita adversa donum Dei admonentis.* 2. Attende exempla plurima eorum qui per morbos & adversa salutem consecuti sunt, qua alij per prosperitatem exciderunt: æquo igitur imo & grato animo adversa excipe, atque inde proficere in virtute stude.

DOMI-

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Anno 33. Septemb. Caphernai.

Christus hortatur ad condonationem injuriæ, parabola Regis ponentis rationem cum servis. Matt. 18.

PUnct. I. *Simile est regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum suis.* Consid. 1. Moneri nos hîc, regem cælestem, à nobis instar regis terreni, à servis suis, exacturum rationem, non tantum in fine vitæ, ubi nullus dabitur deprecandi locus, sed & sæpè etiam in hac vita, tum de beneficiis acceptis, tum de debitis per peccata contractis: quare tu ipse prior sæpiùs à te rationem exposce, imò quotidie per accuratum examen conscientiæ. 2. Peccatorem hîc comparari cum eo qui debebat Regi suo enormen summam 144. millionum auri, quibus præstandis minimè sufficiebat: per peccatum verò etiam unicum mortale longè gravius debitum contrahi, quia injurium infinitæ majestati, sic ut nec omnes simul craturæ pro eo possint satisfacere, sed opus fuerit incarnatione Filij Dei; quare tu ad tam immanis debiti onus assumendum exhorresce. 3. Si fortè cum servo illo infideli hoc debitum contraxeris, procide cum eo supplex, & ora: *Patientiam habe in me & omnia reddam tibi*, redde vires animi & corporis ab eo acceptas, ad ejus obsequium, atque abundanter omnia ex meritis Christi.

Punct. II. Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Consid. 1. Significari hîc quanta sit Dei in peccatores supplices clementia & misericordia, ut statim non tantùm temporis prorogationem quæ petebatur, sed etiam plenam tanti debiti condonationem pro brevi supplicatione cõcesserit: disce tu ad hanc infinitam Dei misericordiam, si in peccatum lapsus es, recurrere, ac minores proximi offensas etiam facilè condonare. 2. Cons. Servi hujus ingratitudinem, qui immemor clementiæ sibi exhibitæ, unum de conservis suis, ob minùs longè debitum atrociùs insectatur: ubi disce peccatores vitiis assuetos, communiter de malo in pejus ruere, ac licet emendationem subinde spondeant, mox tamen ad ingenium redire. *Iusti ibunt de virtute in virtutem*: peccatores verò *de malo ad malum egressi sunt*. Psal. 83. 8. Ier. 9. 3.

Punct. III. Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Consid. 1. Quàm meritò redarguatur hic servus propter inclementiam in conservum, postquam tantam in se Regis sui clementiam & liberalitatem expertus fuerat: quare cave ne & tu post acceptam à Deo toties, & tam gravium offensarum condonationem, proximum ob leves offensas acerbiùs persequaris. 2. Sicut servus ille inclementiam in conservum exhibitam, meritò deinde in se à Rege suo expertus est, *sic*, inquit Christus, *& Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Vult remissionem proximo fieri non ore simulatam, sed de corde sinceram & solidam. Alias: *Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.* Iac. 2. 13.

DOMI-

Anno 34. Matt. 22. Jerosol.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Quæstio de tributo dando Cæsari. Matt. 22. Marc. 12. Luc. 20.

PVnct. I. *Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent Iesum in sermone.* Consid. 1. Pharisæos hîc cum Herodianis conspirantes ut infinitam Christi sapientiam in sermone suo illaqueent, proponere ei quæstionem captiosam & cornutam, sic ut quidquid responderit, carpendum existimarent: ita dum Christus consilium init de ipsis salvandis, ipsi agunt de Christo perdendo: tu vide quæ consilia ineas pro animæ tuæ salute. 2. Præmittunt adulatoriè blandam præfationem cum dotibus insignis Doctoris: *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo.* Vide ut tu has laudes, quas ipsi fictè Christo tribuunt, reverenter ei impendas, easque in te exprimere stude, ut verax sis in verbis absque mendacio aut dolo, viam Dei doceas, sicut Christus, verbo & exemplo, nec respectus timoris, nec personarum acceptio te impediat: sed pauperes ac divites, milites, rusticos, ægros, sanos, omnes pariter juvare stude.

Punct. II. Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ. Consid. 1. Christum cum intima etiam cordis inspiciat, ab humana sapientia eludi minimè posse, quantumvis ut lupi veniant in pelle ovina,
Prov. 21. 30. *non enim est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum:* quare & simulatores appellat, eò quòd se amicos, & studiosos legis simularent, cum utriusque hostes in animo essent: tu sic tua in animo intus dispone, ut nihil ab eo reprehendi meritò possit. 2. Christum postulato sibi nummo, petiisse ab eis: *Cujus est imago hæc & superscriptio?* & sic divertendo à responso, eos in sua quæstione capere, quo prudentiam nos doceat in sermone temperando, ne quempiam offendamus. 3. Inquire etiam de te, *cujus est imago hæc?* nempe Dei, tum naturalis per naturam, tum supernaturalis per gratiam: cave igitur ne hanc per peccatum deturpes, & superinducas imaginem diaboli, aut bestiæ, pavonis per superbiam, vulturis avaritia, hirci luxuria, canis invidia, porci gula, leonis ira, asini acedia: sed potiùs Dei imaginem virtutibus exorna.

Punct. III. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Consf. 1. Eò redactos Pharisæos ut ex nummi, quo utebantur imagine, subjecti esse Cæsari convinceretur, ideoque moneri eos de obedientia Cæsari præ-
Rom. 13. 1. standa, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* & tu redde superioribus debitam obedientiam, timorem, amorem, honorem, & observatiam, ubi præcepta eorum divinis non adversantur. 2. *Et quæ sunt Dei, Deo.* Huic cum totos nos debeamus pluribus titulis, creationis, redemptionis, conservationis, justificationis, ac denique cælestis gloriæ mercede conductos, sequitur impensè nobis adlaborandum, ut tot titulis faciamus satis.

DOMI-

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN. I.

Christus suscitat à morte filiam Principis. Matt. 9. Marc. 5. Luc. 8. Anno 32. Martio Capharnai.

PUnct. I. *Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni impone manum tuam super eam, & vivet.* Consid. 1. Principi nomine Jairo Præfecto Synagogæ filiam fuisse unicam annorum 12. lethali morbo correptam, pro quo depellendo ad supremum medicum Christum recurrit, supplex eum adorans, ac licet mox intelligeret eam obiisse, institit orationi: ubi adverte quid hunc Principem ad Christum, adduxerit, nisi morbus ac mors filiæ, ita *vexatio dat intellectum.* 2. Imperfectionem fidei in Principe hîc suppletam insigni ejus & publica submissione. 3. Singulis etiam hominibus filiam esse unicam, & unicè dilectam animam, quæ si periclitetur aut morbum contraxerit, statim recurrendum esse ad medicum Christum, ac Sacerdotem illi substitutum, qui enim differt pœnitentiam, sæpiùs cadit, & quò sæpiùs cadit, difficilius resurgit. *Luc. sup.* *Isa. 28. 19.*

In itinere mulierem sanat à fluxu sanguinis, de quo Meditatione sequenti.

Punct. II. Non est mortua puella, sed dormit. Consid. 1. Christum ingressum domum Principis jussisse turbam recedere etiam tibicines, quorum erat amicos ad dolorem provocare, ut doceret nos nō quærere gloriam apud eos, à quibus fructus non speratur, ac si & tu velis animam tuam suscitari à Christo ad pietatis obsequia, ejiciendam turbam curarum, & cogitationum sæcularium, mentemque vagam per orationem colligendam. 2. Non assumit præter utrumque parentem, è discipulis suis nisi tres, Petrum, & Jacobum, & Joannem, quia hos ceteris ferventiores conscios esse voluit præcipuorum mysteriorum, & gloriæ suæ in transfiguratione, & passionis in horto. 3. *Non est mortua,* inquit, nempe mihi, cui omnia ac si viverent & intelligerent, obediunt, *sed dormit*; nam quasi à somno per me mox suscitanda, ubi Consid. mortem justorum rectè somnum appellari, quia *quies est à labore, jucunditas de novitate, securitas de æternitate.* *Mar. Luc. sup.* *Bern.*

Punct. II. Et cum ejecta esset turba, intravit, & tenuit manum ejus, & surrexit puella. Consid. 1. Hanc primam narrari à Christo resuscitatam, idque ad preces parentis: tu precibus tuis vitam gratiæ peccatoribus, & vitam gloriæ defunctis impetrare stude. 2. Notat August. tres tantum ab Evangelistis referri mortuos per Christum resuscitatos, puellam hanc, filium viduæ, & Lazarum, iisque significari tria genera mortuorum spiritualiter, alios per peccatum internum, quod necdum in actum externum prodiit, morte hujus puellæ: alios per actum externum, ut filium viduæ, qui mortuus efferebatur: alios denique consuetudine peccandi quasi sepultos jacere ut Lazarum; omnes tamen à Christo vitam gratiæ recipere, si ad vocem ejus assurgant. 3. *Et ait illi: Puella tibi dico, surge.* Quoties & te vocat, ut surgas ex acedia & imperfectionibus ad opera bona, ac vescaris pane cælesti. *Mar. Luc. sup.*

Anno 32. Martio Caphernai.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN. II.

Christus sanat mulierem, à fluxu sanguinis. Matt. 9. Marc. 5. Luc. 8.

P*Unct. I. Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero.* Consid. I. Morbum hujus mulieris hæmorrhoissæ, natum ex debilitate actionis vitalis, pudendum fuisse, & contagiosum, quare nec palam accedere, nec Christum rogare ausa fuit: tu cave ne morbos animæ fortè pudendos aperire erubescas, & auxilium implorare. 2. Laboraverat illa hoc morbo per annos 12. & *multa fuerat perpessa à pluribus medicis, & erogaverat omnia sua:* Tu attende fluxum passionum tuarum, ac quæ sit caussa morbi hujus spiritualis diuturnioris, quò, & in quid operam tuam ac studium convertas, frustra totum fore, nisi ad statutum à Christo medicum recurras. 3. Tetigit illa extremitatem vestis Christi, sed insigni fiducia; tu quoties non vestem, sed ipsum Christum jam gloriosum in Eucharistia, non tangis tantùm, sed & in te recipis? vide qua fiducia de tanta bonitate, qua reverentia de tanta majestate, & quo fructu id facias. 4. Totam vitam Christi esse quasi vestem pretiosam, sed extremitatem ejus, nempè passionem & mortem apparere ornatiorem, quam si tu meditando & imitando tetigeris, etiam auxilium invenies adversus omnem infirmitatem.

Marc. sup.

Punct. II. Confide filia, fides tua te salvam fecit. Cons. I. Christum licet à turba undique premeretur, petiisse tamen: *Quis me tetigit?* atque ita laudare palam voluisse insignem fiduciam hujus mulieris: tangunt multi Christum in Eucharistia, sed minori fructu, quia minori fiducia. 2. Licet sciret Christus factum mulieris, voluit tamen eam se priùs manifestare, ut doceret nos superare timorem & pudorem noxium in morbis spiritualibus detegendis. 3. Benigno responso suo, *confide filia*, ostendit quantùm sibi placeat fiducia in Deo, cum diffidentia sui, ac gratius sibi esse, ut quis cum humili fiducia, qui proprius est Spiritus Filiorum Dei se accedat in Eucharistia, quàm ut ex timore abstineat. 4. Subdit: *fides tua te salvam fecit,* ubi sanitatem tribuit non virtuti suæ, sed fidei illius caritate roboratæ, tum ut nos eòdem excitaret, tum ut doceret in operibus bonis non quærendam gloriam nostram, sed Dei. Interim illa in patriam reversa Cæsaræam Philippi mox gratam se ibi exhibuit erecta publicè Christo in memoriam beneficij ænea statua, miraculis deinde celeberrima. 5. Christum varios variè curasse, oculi aspectu Zachæum, & Petrum, digito surdum, & mutum, saliva cæcum natum, voce Lazarum, manu hydropicum: hìc fimbriæ contactu hæmorrhoissam: unde disce omnem cum Christo communicationem esse salutiferam. *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes. Quotquot vel fimbriam vestimenti ejus tangebant, salvi fiebant.*

Mar. Luc. } sup.

Luc. 6. 19. Marc. 5. 56.

DOMINICA VLTIMA POST PENTECOSTEN. I.

Anno 34. Martij 22 in monte Oliv.

Christus prædicit excidium urbis Hierosolymitanæ, ac demum totius mundi.

Matt. 24. Marc. 13. Luc. 21.

PUnct. I. *Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat.* Consid. 1. Christum hîc proponere discipulis suis calamitates hujus excidij, ut illos aliosque deinde per illos salutari timore ad se tempestivè converteret, magisque excitaret, ideoque, inquit, *qui hæc legit*, audit, & videt, *intelligat*, atque ad animæ suæ salutem maturè expendat. 2. Abominandam templi profanationem, celerem & anxiam fugam, inclementiam in omnes etiam feminas & infantes indicare gravitatem tribulationis, propter gravitatem criminis in occidendo Salvatore: scias autem etiam quovis peccato lethali animam in baptismo Deo dicatam, gratia ejus destitui, ideoque tunc & in omni tribulatione ne differas pœnitentiam, sed fuge ad montes, in cælestibus spem fige, ne discedas affectu ad terrena, remane in agro, ac vinea Domini constanter excolenda, nec de victu aut vestitu anxius esto. Dan. 9. 27.

Punct. II. Propter electos seu eximiè Sanctos *breviabuntur dies illi* maximè calamitosi in ardenti persecutione tam Judæorum à Romanis, quàm Christianorum deinde ab Antichristo: quare Sanctorum patrocinia tum viventiũ in terra, tum cælestium magni æstima & enixè implora. 2. Si in veteri lege Deus paratus fuerit parcere Sodomæ, modò vel decẽ ibi fuissent electi: si propter Abraham, Isaac, & Iacob toties pepercerit Israelitis: si ob unius Moysis preces toti populo placatus sit: potentiora nunc apud ipsum fore patrocinia Deiparæ, & illustrium Sanctorum cum ipso in cælis regnantium, ac super omnia Christi, quem vulnera sua quinque exhibentem *advocatum habemus apud Patrem.* Gen. 18. 32. Exod. 32. 13. Exod. 32. 14. 1. Ioan. 2. 1.

Punct. III. Surgent pseudo-Christi & pseudo-Prophetæ. Consid. 1. Proprium esse dæmoni, ut cùm liberam hominum voluntatem vi expugnare non possit, eam dolis ac fraudibus & fictis prodigiis ad se allicere studeat, ideoque se etiam transfigurare non rarò in Angelum lucis, objiciendo speciem virtutis in operibus aliàs bonis contra superiorum mandata, quas fraudes non nisi humili ad Deum per orationem recursu, ac tui manifestatione apud confessarium superabis. 2. Pseudo-christos etiam rectè dici eos, qui Christianam humilitatem, modestiam, observantiam & simplicitatem à Christo & Sanctis verbo & exemplo traditas, in aliis irrident aut carpunt, qui proinde tanquam noxij evitandi, iisque opponendum illud Pauli: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Gal 1. 10.

Anno 34. Martij 22. in monte Olivarum.

DOMINICA VLTIMA POST PENTECOSTEN. II.

De postremo Excidio orbis. Matt. 24. Marc. 13. Luc. 21.

PVnct. I. *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret usque ad occidentem, ita erit adventus Filij hominis.* Consid. 1. Instruere nos hîc Christum de postremo suo adventu, futuro instar fulguris, quod sicut venit subitò, omnibus conspicuum, & ea efficacia ut resistere ei nihil possit: ita nec adventui suo subito & manifesto nullam creatam potentiam sufficientem fore, ut se opponat, ideoque vigilandum, ut paratus tunc inveniaris. 2. Quamvis fulgur in instanti transeat, non ita Christum transiturum, sed post accuratam conscientiæ cujusque discussionem, proborum laudem, & improborum increpationem, debitam felicis vel infelicis æternitatis mercedem singulis retributurum.

Punct. II. Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Consid. 1. Sicut aquilæ naturali instinctu & impetu feruntur ad optatam escam, ita & electos è morte redivivos, percepta Christi præsentia, ei obviam in aëra processuros, ut cui in vita conjuncti fuêre spiritu & affectu, tunc etiam visibiliter in glorioso corpore adsint. 2. Comparat electos aquilæ, quæ, ut avium regina, volat altissimè, firma visu Solem intuetur, ætatem renovat, ac diutissimè vivit: ita & electos præ ceteris hominibus eminentes, ad cælestia affectu transcendere, Christum justitiæ solem in Venerabili Eucharistia, ac doctrinam ejus firma fide cognoscere, ac naturæ vitiis quotidie renovatis, ad vitam æternam sibi viam parare.

1. Thess. 4. 16.

Signa prævia adventus Christi, & universalis judicij seriem, vide Dominica I. Adventus.

Punct. III. Ab arbore fici discite parabolam. Consid. 1. Sicut ficus, aliæque arbores cum frondes fructusque proferunt, signa sunt ætatis citò, & certò secuturæ, ita Christum voluisse ex certis signis, quorum jam multa præcesserunt, inquit Gregorius, cognosci adventum suum, ad quem justi omnes adspirent, improbi verò meritò contremiscant. 2. Christum tunc tibi fore viciniorem favore suo, cùm abundabis virore pietatis, & fructu bonorum operum. 3. Fructus hosce à te ferendos esse copiosos, proximo salutares, ac Deo & Angelis jucundos. 4. Aculeum denique Christus infigit infallibilitate suæ prædictionis: *Cælum & terra transibunt*, in alium statum, non amplius generationi, corruptioni, aut motibus obnoxia, *verba autem mea non præteribunt*, nec mutationem minimam subibunt. *Iota unum, aut unus apex non præteribit, donec omnia fiant.* Quare ne frustra nunc nobis blandiamur ob temporis dilationem: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Cùm exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.*

Mal. 5. Psal. 94. 5. Psal. 2. 13.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

MEDITATIONUM
PARS II.
IN PRÆCIPUA
FESTA SANCTORUM
ILLUSTRIUM.

PRÆFATIO AD PIVM LECTOREM.



Abes hîc, amice Lector, Acta aliquot Sanctorum, ordine temporis, quo nobis ab Ecclesia proponuntur, tum ut illos cælesti gloria nunc fruentes, eo die singulari hoc pietatis cultu veneremur, tum ut eos ad patrocinia ac favores nostros tunc inflectamus, tum potissimùm ut nos ex inspectis eorum virtutibus ad eas imitandas excitemus. Licet enim Christus, cujus vita priori Parte proposita est, perfectissimum sit virtutum omnium exemplar; quia tamen exemplar hoc videri posit aliquibus sublimius, eo quod Deus fuerit pariter & homo, ostenderunt Sancti quomodo ipsi perfectiones ejus in se exprimere potuerint, & consequenter nos etiam cum divina gratia possimus. Provocant nos ipsi exemplis suis cum Apostolo: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. *Scimus S. Ignatium Societatis Iesu Fundatorem ex Sanctorum actis sibi propositis prima altioris vitæ desideria concepisse, imò & magnum illud Ecclesiæ* 1. Cor. 11. 1.

lumen

Lib. 8. Conf. c. 11. *lumen S. Augustinum his stimulis permotum*: Tu non poteris quod isti & istæ? an verò isti & istæ in semetipso possunt, ac non in Domino? *Non tamen hinc intendo singula singulorum Sanctorũ acta ab omnibus exprimenda, sed ut ea quæ ipsi in altiori ac subinde peculiari virtutis gradu gesserunt & sustinuerunt, nos pro gradus cujusq; opportunitate saltem per inferiora consectemur. Porrò eos Sanctos hic subjicio, quos Ecclesia per annum populo colendos præcipit, tum eos de quibus peculiare proponit Euangelium, tum quos in Litaniis suis nominatim implorat, alios denique quosdam pro peculiari quorumdam pietate, è quibus omnibus siqua aliquibus fortè minùs placeant, prætermitti poterunt. Et sicut in Euangeliis adjeci ad frontem annum Christi & locum, quo ea gesta sunt; ita & in actis Sanctorum adjeci ad calcem annum Christi, quo vitam gloriosè concluserunt, & annum ætatis, ubi assequi licuit, secutus in his traditam communiùs historiam.*

MEDI-

MEDITATIO PROOEMIALIS.

De cultu Sanctorum.

PUnct. I. Conſ. immenſam Dei liberalitatem erga talem ſanctum, cujus anniverſarius dies per Eccleſiam agitur, exhibitam 1. ab æterno, illũ prædeſtinando ex gratuita ſua miſericordia ad talem gloriam, præ tot aliis. 2. Vocando eũ ad fidem & Sacramentũ baptiſmi tam ſuaviter & efficaciter. 3. Præſervando ac liberando eum à tot peccatis, periculis ſalutis, tentationibus, ac miſeriis animæ & corporis. 4. Evehendo ad talem ſtatum, in quo non tantum ſalvari poſſet, ſed etiam inſignem gloriæ coronam promereri. 5. Suppeditando ei media ſuavia & efficacia ad conſequendam eximiam ſanctitatem, ad alios plurimos verbo & exemplo lucrandos Chriſto, atque obtinendum tandem donum perſeverantiæ: Expende & confer cum hac tuam à Deo electionem, vocationem, & juſtificationem, atque inde excita gratiarum actionem, amorem, & zelum, ac gratulare ſancto de tot prærogativis gratiæ.

Punct. II. Conſ. Quàm ſtrenuè talis Sanctus contenderit ad rectè utendum talentis acceptis, gratiæ & naturæ, ſeque viciſſim pro iis gratum Deo exhibuerit 1. proficiendo indies aſſiduo & cõſtanti ſtudio per triplicem viam perfectionis, ad eximiam mentis puritatem, ſoliditatem virtutum, & unionem cum Deo, atque excitando alios verbo & exemplo ad ſimilem perfectionem. 2. Singulari ſtudio perfectæ abnegationis mundi & ſui, invictæ patientiæ & magnanimitatis, in arduis quibuſvis pro Dei gloria & animarum ſalute aggrediendis ac tolerandis, & eximiæ imitationis heroicarum virtutum Chriſti. 3. Ardenti zelo excellendi in continuo exercitio certarum virtutum, quibus ipſe maximè claruit. His ponderatis, congratulabor Sancto de tam ſtrenua cooperatione cum divina gratia, & imitari ſtatuam.

Punct. III. Conſ. Quàm liberaliter Deus remuneratus fuerit Sancti hujus labores & dolores, tam in hac vita, quàm in altera. 1. In hac vita tot extraordinariis præſidiis gratiæ, tot cæleſtibus ſolatiis, tanta gratia miraculorum, tot animarũ per ipſum converſione, tam paterna protectione per totam vitam, denique peculiari aſſiſtentia in morte, vel in martyrio feliciter conſummando. 2. Poſt mortem, tam celebri ejus memoria per Eccleſiam, gloria etiam miraculorum, honore & laudis encomio ei exhibendo coram toto mundo in univerſali judicio, in cælis cumulando eum tot præeminentiis gloriæ eſſentialis & accidentalis, retribuendo ſingulis ejus operibus ac ſuſpiriis meritoriis peculiares gradus gloriæ, exornando eum peculiari laureola Martyrum, vel Doctorum, vel Virginum, ac peculiaribus dotibus & gaudiis animæ & corporis glorioſi. Unde gratias Deo agam de beneficiis illi exhibitis, & excitabo in me ſpem ac deſiderium ſimilis gloriæ ſimilibus mediis conſequendi.

Anno 31. Mart. 3 in Bethania ad Jordanem.

IN VIGILIA S. ANDREÆ APOSTOLI 29. Novemb.

Discipuli aliqui primùm ad Christum accedunt. Ioan. 1.

PVnct. I. *Audierunt Ioannem duo discipuli ejus loquentem, & secuti sunt Iesum.* Consid. 1. Joannem conspecto Christo ostendisse eum mox discipulis suis sibi adstantibus, *ecce agnus Dei*, & ex his Andream cum socio statim fuisse Christum secutum: tu vide an tam promptè Christum tibi ostensum sequaris, utque eum aliis ad imitandum ostendere possis, magnam de eo æstimationem & affectum cùm Joanne concipe. 2. Christum statim convertisse oculos in hos discipulos, & interrogasse: *Quid quæritis?* ut discant ij qui relicto mundo Christum sequuntur, non despondere animum, propter molestias aut incommoda, sed sciant Christum de se sollicitum, & ex divinæ providentiæ ejus respectu fiduciam sumant.

Punct. II. Reponunt illi: *Magister, ubi habitas? qui dicit eis: Venite, & videte.* Ubi Consid. 1. quantò promptior sit Christus ad dandum, quàm nos ad petendum, petebant illi tantùm scire locum habitationis ejus, & ipse mox eos invitat, paratum se offert ut sine mora eos ducat & introducat in domum suam: pete & tu à Christo, ubi habitet, & invitabit te, ut mente in cælum ascendas, ibique exclames: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum!* vel etiam invitabit ad templum, ubi in Venerabili in Eucharistia habitat. 2. *Venerunt & viderunt.* Tu ne moram nectas, dum Deus te vocat, neque sufficiat tibi scire domum Dei, sed subeunda & cognoscenda est, qui enim cognoscit cælestia & divina, eorum pulchritudine capitur. 3. *Et apud eum manserunt die illo*, nam licet instaret jam solis occasus, neque Christo intempestivum erat illos invitare, neque illis Christum sequi, ubi expende quæ & quam fructuosa ac jucunda habuerint eo vespere cum Christo colloquia.

Psal. 83. 1.

Punct. III. Postridie *Andreas invenit primùm fratrem suum Simonem, & dicit ei: Invenimus Messiam, & adduxit eum ad Iesum.* Consid. 1. Ita & Philippum altero die vocatum à Christo adduxisse Nathanaëlem: unde disce tu à Christo vocatus etiam alios ad ipsum adducere, & inventum thesaurum aliis sine jactura, imò cùm lucro tuo communicare, sicut una candela plures etiam centenas accendit. 2. Christum conspecto Petro, mox mutato nomine ejus designasse eum Ecclesiæ suæ fundamentum, cum dixit illi: *Tu es Simon filius Iona*, seu Joannis (nam singulos nominatim, imò & intima Christus noverat) *tu vocaberis Cephas, sive Petrus.* Ubi agnosce Dei providentiam non scrutandam præponentis Petrum, quem videbat animo forti & magno ad difficultates superandas ac dura toleranda, fratri suo Andreæ, licet vocatione, atque etiam ætate priori, neque hunc hac sui postpositione commotum: idem & tu imitare dum aliis fortè postponeris.

FESTO

FESTO S. ANDREÆ 30. Novemb. I.

PVnct.I. Consid. 1. S. Andream natum Bethsaidæ in vico Galilææ, fratrem Petri, arte piscatorem, discipulum Joannis Baptistæ, cujus demonstratione Christum secutus, etiam Petrum adduxit ad Christi cognitionem: postea verò cum Petro ad sequelam stabilem à Christo vocatum è mari Galilææ, ptompteque relictis omnibus obsecutum, constantem se semper, & ferventem in sua vocatione exhibuisse. 2. Post Christi in cælos ascensionem profectum in Scytiam, inde Epirum ac Thraciam peragrasse, innumerabiles homines ad Christum convertendo: ubi expende neque Christum defuisse gratiæ promissæ, neque illum laboribus aut incommodis subeundis.

Punct.II. Consid. 1. Eum inde Patras Achaiæ perrexisse, ubi plurimis ad veritatem Euangelicam perductis, Ægeam Proconsulem Euangelio resistentem liberrimè increpuit, quod qui judex hominum haberi vellet, Christum Deum omnium judicem, à dęmonibus illusus, non agnosceret: mirare & sequere generosam pro caussa Christi confidentiam. 2. Cons. Cum ab eodem tyranno in malitia obstinato urgeretur ad diis immolandum: *Ego,* inquit, *omnipotenti Deo, qui vivus & verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, sed immaculatum agnum in altari, cujus carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, agnus qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivus.* Unde disce Andream ex hoc quotidiano sacrificio ac pane cælesti tantum animi robur hausisse. Offic. Eccl.

Punct.III. Consid. 1. Conjectum jam in carcerem, atque inde etiam, ad locum supplicij progressum, cum populus rara ejus virtute permotus omnibus viribus liberare apud Prçconsulem niteretur, & instaret: *Concede nobis hominem justum, redde nobis hominem sanctum, ne interficias hominem Deo charum, justum, mansuetum, & pium*, ipsum tumultuanti populo se opposuisse, atque enixiùs rogasse, ne se ad martyrij coronam properantem impedirent: vide num eo desiderio feraris patiendi pro Christo. 2. Cùm propter crucis & crucifixi præconia fortiter deprædicata, & ipse cruci adjudicatus esset, eam eminus conspicatus, exclamare cœpit: *O bona crux! quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, solliciiè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* Quare & meritò de eo subdit Ecclesia: *Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis.* 3. Cruci affixus, in ea biduum vivus pendens populum docere, ac Christi fidem prædicare non intermittebat, dum ad eum migraret, cujus similitudinem concupierat. Exprime in te cum eo amorem erga Christum crucifixum, & imitare zelum ejus & constantiam. An. Chr. 70

Anno 32. Febr. ad mare Gal.

FESTO S. ANDREÆ 30. Novemb. II.

Christus colligit discipulos, Petrum & Andream, Iacobum, & Ioannem. Matt. 4. Marc. 1. Luc. 5.

PUnct. I. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Consid. 1. Christum collecturum Doctores orbis ac Legatos suos, non petiisse eos ex sapientum seminariis, vel aulis Principum, sed è mari Galilææ, ubi *vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream*: roga & tu Christum, ut misericordiæ oculo te benignè aspiciat. 2. *Fratres* erant germani, quia voluit Ecclesiæ capita esse maximè caritate conjuncta: laboriosi etiam erant; *mittentes rete in mare*, nam desides inepti sunt ad salutem animarum: *piscatores erant* rudes & pauperes, ut memores conditionis suæ fundarentur in humilitate, & Christi gloria inde magis clarescerent. 3. *Venite*, inquit, *post me*, meum sequentes vitæ institutum, & allicit lucro pretioso, cum ait: *Faciam vos fieri piscatores hominem*, pro quibus capiendis ego Dei Filius, homo factus sum, quos in mari hujus vitæ, immersos divitiis, voluptatibus, & honoribus, mecum capietis reti prædicationis, non ad mortem, sed ad vitam æternam: ubi expende eminentiam Apostolicæ vocationis, ac simul quàm suaviter & fortiter te Christus vocaverit, quis, quem, unde, & quò.

Punct. II. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Consid. 1. Suscipientibus munus Apostolicum insigne hîc tradi exemplum perfectæ obedientiæ, tum in intellectu rejectis iis quæ adversari poterant, tum in voluntate exuto penitus affectu erga possessa, tum in executione externa prompta & alacri, quam & tu imitari stude. 2. Consid. eos in præmium tam perfectæ obedientiæ assumptos à Christo in familiares & conscios divinorum secretorum, ornatos uberiori gratia sanctificante, & aliis donis, virtute miraculorum, ac sapientia super omnes Sanctos testamenti veteris, mittendos postea per orbem legatos ac deinde judices secum assessuros in adventu secundo.

Punct. III. Et procedens inde vidit alios duos fratres Iacobum, & Ioannem reficientes retia, & vocavit eos. Consid. 1. Hos reficientes retia docere piscatores spirituales, ut & ipsi relicta subinde piscatione, vacent colligendo ac restaurando spiritui, & defectibus corrigendis, ut postea ampliorem fructum facere possint. 2. *Illi autem statim relictis retibus secuti sunt eum*, ubi & horum expende perfectam obedientiam, & potentem Christi tractionem, & argue tarditatem tuam in sequendo. 3. Hos quatuor Apostolos etiam nominis sui significatione nos instruere, nam *Simon* obedientiam sonat, quam Christo vocanti debemus, *Andreas* fortitudinem in vocatione viriliter prosequenda, *Iacobus* supplantare docet adversarios, & *Ioannes* gratiam Dei in se copiosè effusam, monet nos crebris precibus à Deo flagitandam, ad hæc constanter adimplenda.

FESTO

FESTO S. FRANCISCI XAVERIO 2. Decemb. I.

P*Unct.I.*Conſ.1.S.Franciſcum Xaverium in Caſtello Xaverio non procul Pampelone urbe regia Navarræ natū, parentibus nobilitate claris, fratrum ſuorū natu minimum, velut alterum Davidem, à prima ætate in pietate & litterarum ſtudiis educatum, Philoſophiæ curſu Pariſiis cōfecto, eaq; deinde ibi etiam aliis publicæ tradita, jam Theologiæ ſtudiis vacantem à S. Ignatio primùm aliquamdiu obluctantem, poſtea tamen conſtanti ejus benevolentia, virtutum exemplis, ac fuſis ad Deum precibus mitigatū, manus ei ac Deo dediſſe, anno ætatis ſuæ 37. unde diſce qua ratione Ignatius, Xaverium Societati Jesu ad Eccleſiæ bonum pepererit. 2. Eum deinde cum Ignatio & aliis ſociis ſe Deo totū devoviſſe in monte vicino Martyrum pro ſalute animarum, novoque ſed pio more quotannis ibi ea vota cum ſociis renovaſſe: quam votorum renovationem poſtea privatim quotidie retinuit, ſociiſque commendavit, optime expertus mentis ſuæ juventutem inde velut aquilæ renovari. 3. Venetiis in valetudinano ægris deſerviens, cū ab uno ibi præ ceteris lue ac tabe cōfecto horrere naturā deprehenderet, hanc ut generosè vinceret, manantem ex ulceribus ſaniem ſemel iterumq; ſui victor exſuxit, quæ victoria omni reliquo vitæ tēpore animū ejus adverſus ejuſmodi miniſteria ita munivit, ut ea etiam cū voluptate obiret, tanti refert vel ſemel ſe egregiè vincere.

Punct.II. Conſ.1. Poſtulante operas Luſitaniæ Rege ab Ignatio ad Indorum gentes Chriſtiana fide imbuendas, Xaverium divino conſilio, & ingenti ſuo gaudio eò deſtinatū, in itinere ne ad matrem quidem ac propinquos ſalutādos ut pauliſper diverteret, adduci potuiſſe, hoc pio odio verum ſe Chriſti diſcipulū exhibentem. 2. In Indica navigatione ſemper intētus in Chriſtianæ caritatis munia nautas ac milites & vectores ceteros Chriſtianis præceptis imbuebat, & ad vitæ emendationē hortabatur.

Punct.III. Conſ.1. Eum jam centenis aliquot millibus in Indiis feliciter ad Chriſti fidem perductis, in Japoniam ultimi orientis regionem profectum, ibi pari zelo & conſtantia in animarū ſalute deſudaſſe, plures Reges ac Regna Chriſto conciliaſſe, ſic ut univerſim ſupra decies centena millia per baptiſmi Sacramentum ad ovile Eccleſiæ adduxerit. 2. Hiſce non cōtentum, etiam in Sinarum regnum ampliſſimum exteris omnibus pridem ſeveris & antiquis legibus occluſum, ſibi ac fidei omni ſtudio aditum paraſſe, ſed divino conſilio id fruſtra tentantem, in Sanciana Inſula Sinis proxima, humano deſtitutū ſolatio & auxilio, deſerto in colle ac vili tugurio, morbo ac morte præoccupatum, venturis ſociis, eam *Anno 1552. æt. 55.* palmam reliquiſſe, in quo ſicut & in expetita fruſtra martyrij palma, divino beneplacito acquievit. 3. Conſ. Deum ſingulares hujus viri virtutes comprobaſſe plurimis ab eo editis vaticiniis, ac miraculis, tum in vita, tum poſt mortem, nominatim 25. mortuis ad vitam revocatis.

FESTO S. FRANCISCI XAVERIO 2.Decemb. II.

PVnct.I. Consid.Qua ratione S.Xaverius ad tantum perfectionis gradum, & tam ampla animarum lucra pervenerit, nempe 1. & ante omnia, magna ac seria animi resolutione assurgendi ad perfectionem, tam in mediis opportunis adhibendis, quàm in impedimentis superandis: quò eum juvabat & excitabat animi ardor & magnitudo, qua sibi Phil.4.13. cum Apostolo persuadebat: *Omnia possum in eo qui me confortat.* 2. Huic resolutioni jungebat parem constantiam, sic ut nihil eum à cœptis deterreret, quantumvis arduum vel abjectum, modo divinæ gloriæ aut animarum salutis promovendæ spes affulgeret.

Punct. II. Consid. Eum huic fundamento duo addidisse media, studium nempe mortificationis, & orationis, ac 1. quoad externam mortificationem, statuebat carnem spiritui planè subjciendam jejuniis, ciliciis, verberibus, aliisque afflictionibus, etiam inter itinerum molestias, quibus hoc consecutus est, ut castitatis, cui intimè afficiebatur, florem ad extremum usque vitæ spiritum, illibatum servaverit, eo interim studio & cautela, ac si contrario vitio, cujus ne nomen quidem audire poterat, maximè fuisset obnoxius. 2. Internos animi motus diligenter observabat, quosque à rationis regula deficere cognoverat, sedulò ac fortiter cum insigni sui victoria reprimebat. 3. Ex hoc sui vincendi studio abjecta & vilia ministeria avidè amplectebatur, honores verò, vel quæ honorum speciem præseferrent, omnino aversabatur, ut solidiùs sic in vera humilitate consisteret. 4. Hinc nascebatur amor paupertatis, qua in victu & vestitu vilissima sectabatur, oblatas pecunias vel respuebat, vel in pauperes erogabat, in Deo, cujus fiducia plenus erat, curam omnem reponens. In laboribus & ærumnis nihil supra vires ratus, majora pro Dei gloria expetebat, inclamans: *Amplius Domine, amplius.* 5. Obedientiæ, licet rarior in Indiis exercendæ usus esset, tamen eam de se jam ante apud Ignatium opinionem excitaverat, ut hic eum una littera I. relicto amplissimo animarum fructu, perpellendum quocumque judicaret.

Punct. III. Consid. Alterum medium perfectionis assequendæ fuisse ei studium singulare orationis, idque 1. functionibus spiritualibus accuratè obeundis, quotidiana meditatione ex Christi vita & passione potissimùm deprompta, conscientiæ examine non bis tantùm, sed sæpiùs per diem instituto, confessione, ubi copia erat confessarij, etiam quotidiana, Missæ sacrificio, & officio divino. 2. Locum sacrũ, ubi opportunitas erat, orandi caussa captabat, sciens Deũ ibi & sanctiùs coli, & benigniùs preces exaudire. 3. In fervore orationis ea perfundebatur cælestium donorũ copia, ut deducto etiam vestimento, exclamare aliquando cogeretur: *Satis est Domine, satis est.* 4. In omni alia occupatione studebat servare semper mentem cum Deo cõjunctam, sic ut & propter Deũ, & coram Deo ageret omnia.

FESTO

FESTO S. BARBARÆ 4. Decemb.

PVnct.I. Consid. 1. S. Barbaram Nicomediæ natam, prolem unicam, Patre nobili quidem & opulento, sed gentili ac moribus barbaro, ab eo jam adolescentem turri inclusam, ne cui ob formæ venustatem imparibus nuptiis jungeretur, in hac clausuræ solitudine à terrenarum rerum strepitu liberam, animum cælestibus intendisse, atque à Deo illuminatam Christum sibi in sponsum immortalem delegisse. 2. Parentem cognitis procorum nobilium ac Principum erga filiam desideriis, ea ipsi exposuisse, ut de delectu deliberaret, sed illam generosè respondisse, nefas esse mortali viro conjungi, quæ jam immortali sponso Christo esset conjuncta: unde disce fidelem observantiam voti castitatis.

Punct.II. Consid. 1. Parentem peregrè profecturum, jussisse ad turrim thermas ædificari, ad aliquã filiæ relaxationem, & in eis fenestras duas, quibus illa tertiam adjici jussit in honorem SS. Trinitatis, ac plorans parentis cæcitatem, vidit lacrymas suas in gemmas converti: unde collige piorum lacrymas à Deo æstimari, *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Psal. 55. 9.
2. Parente domum reverso, & observante in ædificio fenestram tertiam, filiam de hoc interrogatam, arripuisse inde occasionem exponendi ei mysteriũ SS. Trinitatis, undè ille ira exardens, ferrum stringit in filiam, eam perempturus, nisi fugientem vicina rupes divinitus dissiliens ac mox coalescens eam Patris conspectui simul & furori eripuisset. *Dominus refugium meũ & liberator meus.* Psal. 17. 1. 3. Parentem hoc miraculo minimè emollitũ, sed rupe duriorem, in filiam deinde deprehensam diris modis sæviisse, ac deinde apud Præsidem plectendam detulisse.

Punct.III. Consid. 1. Præsidem blanditiis primùm Barbaram aggressum, cum videret se nihil iis proficere, conversa comitate in ferociam, jussisse eam nervis boum crudeliter cædi, & inflicta vulnera asperis ciliciis confricari, sed quæ Christus nocte sequenti ei claritate conspicuus omnia persanavit, & stabilem protectionem promisit. 2. Præses postridie miratus eam persanatam, idque tribuens opi falsorum Deorum, cum ad eorum cultum illam frustra hortaretur, jussit ei latera ferreis pectinibus dilaniari, & accensis facibus ustulari, caput malleorum ictibus contundi, ac mammillas præscindi, inter quæ stabat illa oculis ac mente in cælum erecta. 3. Parentem his spectaculis præsentem, mixto furori gaudio, tandem petiisse à Præside filiam sibi tradi suis manibus obtruncandam, quo obtento illa extra urbem educta, flexis genibus, actisque Deo gratiis, eum rogavit, ut precibus postulantium favorem suum vellet annuere, quo annuente, lapsa de cælo voce, ac simul ad paratam Virginitatis & Martyrij coronã invitata, inclinato capite, barbari parentis jamq; carnificis manu obtruncata, gloriosa victima Deo cecidit, benefica deinde è cælo in cultores suos, nominatim ne sacramentis frustrati ex hac vita discedant. Anno 236.

FESTO S. NICOLAI EPISCOPI 6. Decemb.

PVnct. I. Consid. 1. S. Nicolaum Pataræ in Lycia natum, parentibus non minùs virtute Christiana, quàm sanguine illustribus, ab infantia futuræ sanctitatis specimen dedisse, cum à materno lacte Feria IV. & VI. in vesperam usque abstinuit, quam jejunandi consuetudinem reliqua vita constanter servavit: tanti est à teneris rectè cœpisse. 2. Litterarum studiis cum operam daret, eum non minorem virtutis quàm doctrinæ curam habuisse. Omnem dissolutionem ac pravorum societatem aversatus, sicut ingenij felicitate, ita & morum modestia & orationis studio ceteris præcellebat, carnem jejuniis ac ciliciis macerabat, cunctísque in amore erat & veneratione.

Punct. II. Consid. 1. Eum deinde sacerdotio initiatum, ac parentibus orbatum, statim sollicitum fuisse ut facultatibus bene amplis sibi relectis cæleste regnum coëmeret: quare eas in pauperes liberaliter erogavit, cumque cognovisset inter ceteros civem honoratum jam ad inopiam redactum, sic ut tres filias nubiles defectu dotis prostituere cogitaret, Nicolaus noctu per fenestram tantum pecuniæ in domum ejus injecit, quantum unius virginis doti satis esset, quod cum iterum, ac tertiò fecisset, illarum pudicitiæ simul & saluti consuluit: excita & hîc affectum in te erga pauperes juvandos. 2. Parentem perspecta hac paterna Dei in suos providentia, ac deprehenso tãdem Nicolao benefactore, genibus ejus advolutũ, ipsum salutis suæ ac filiarũ post Deũ auctorem agnovisse, & postulata à Deo delictorum venia, Nicolai exemplis ac monitis sanctiorem vivendi rationem exinceps tenuisse. 3. In Palæstinã profectus, ut loca sacra pręsens veneraretur, cũ captus ea pietate ibi vitã ducere cogitaret, simul ac cognovit divinã volũtatem, ut iñ provinciã rediret, prõptè paruit: unde disce etiam privatos pietatis affectus divinæ voluntati postponere.

Punct. III. Consf. 1. In Lyciam reversum, Dei monitu se Myram Lyciæ metropolim contulisse, ubi cum extra patriam tutius sibi futurum existimaret à strepitu & honoribus, mortuo ejus urbis Episcopo, ac Provincialibus Episcopis de successore deliberantibus, ipse mirabiliter à Deo designatur, monitis illis, ut eũ assumerent, qui postridie mane primus in Ecclesiam ingrederetur Nicolaus nomine: unde ille deprehensus, summo omniũ consensu Episcopus creatur. 2. In Episcopali munere castitatem, quam semper coluerat, orationis assiduitatem, abstinentiam, paupertatem, zelũ, aliasq; virtutes cum magna omniũ ędificatione perpetuò adhibuit, exilij ac carceris molestias sub Diocletiano Imperatore fortiter sustinuit, dum tandem Myram reversus, contracto morbo, ac morti proximus, vidensq; Angelos sibi de cælo occurrentes, illo Psalmo pronuntiato:

Psal. 30. *In te Domine speravi*, usque ad versum: *In manus tuas commendo spiritum meum*, in

Anno 33[illegible] cælestem patriam migravit, prosecutus è cælo beneficentiam in ægros oleo è tumulo perenniter fluente.

FESTO S. AMBROSII 7. Decemb.

PVnct. I. Consid. 1. S. Ambrosium nobilis Romani Præfecti Galliæ filium, liberalibus disciplinis Romæ eruditum, inde Cis-Alpinæ Galliæ Præfectum, & cum potestate missum Mediolanum ad sedandos tumultus exortos potissimùm per mortem Episcopi Arriani, in quo dū laborat, puero Ambrosium Episcopum exclamante, universi populi voce in Episcopum expetitur. Ubi attende paternam curam divinæ providentiæ opportunè providentis Ecclesiæ suæ de Prælatis idoneis. 2. Ambrosiū hanc dignitatem variis modis studuisse subterfugere, sed accedente ad studium populi voluntate Imperatoris, ac supremi Numinis, è latebris proditum, primùm sacro fonte baptismi ablutum, per communes Ordinum gradus ex Ecclesiæ instituto, die octavo, quo ab Ecclesia colitur, præsente Imperatore in Episcopum consecratum: disce ex hoc studium humilitatis, & fugam singulatitatum.

Punct. II. Consid. 1. Eum muneri Episcopali obeundo statim strenuè se impendisse, & inprimis cura sui per fervens studium virtutum omnibus præposita, inde clerum pariter hortatum ut sicut vitæ statu, ita & sanctitate populo præcellere studerent; atque hinc operam omnem convertisse ad subjectum sibi gregem in fide & præceptorum Dei observantia continendum, aberrantes verò per hæresim ad ovile Ecclesiæ reducendos, inter quos & S. Augustinum, clarissimum Ecclesiæ lumen Christo lucratus est. 2. In Romano itinere à viro opulento exceptum hospitio, Dei instinctu socios monuisse ut se quamprimùm ultioni divinæ imminenti subducerent; qui vix egressi domum cum domesticis subito terræ motu absorptam conspexerunt: unde collige fidendum non esse mundanæ felicitati, eamque esse non rarò occultum Dei flagellum.

Punct. III. Consid. 1. Singulariter in eo eminuisse zelum divini honoris, omni humano respectu & timore postposito; unde cùm urgeretur ut hæreticis Mediolani Ecclesiam permitteret, induci numquam potuit, minisque intentatis respondit: *Carnem occidere potes, non animam; vitam corporis auferre, non meritum.* Theodosium Imperatorem publicæ cædis reum non nisi post publicam pœnitentiam pedem templo inferre permisit, eique Davidis Regis exemplo se tuenti subjecit: *Qui secutus es peccantem, sequere pœnitentem.* 2. Tandem gravissimis laboribus, periculis, & curis pro Ecclesia perfunctus, extremo morbo correptus, rogatusque à suis ut pro Ecclesiæ bono vitæ confirmationem à Deo impetraret, respondit: *Non ita inter vos vixi, ut vixisse me pudeat, nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Inde morti proximum S. Honoratus Vercellensis Episcopus cælesti voce ter monitus accurrens sacro viatico refecit, quo ille singulari pietate perce- *Anno 397.*
pto, confirmatis in crucis similitudinem manibus spiritum suo reddidit *4. Aprilis æt. 64.*
creatori. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos.* *Apoc. 14. 13.*

FESTO CONCEPTIONIS B. VIRGINIS. 8. Decemb.

Gal. 4. 4. PUnct. I. Consid. 1. *Ubi venit plenitudo temporis* à Deo decreti, ut Virgo, conciperetur quæ Verbum Dei incarnatum tot sæculis expetitum tandem esset paritura, hanc sanctorum parentum Joachimi & Annæ filiam ad hoc delectam: quanto gaudio Angelorum, & Patrum in limbo id cognoscentium, cum secutura inde generis humani liberatione, & Angelorum ruinis restaurandis, tecum expende, ac Deo gratias age, & Virgini, ejusque parentibus gratulare. 2. Si palatium, quod venturo Regi paratur, eximiis ac pretiosissimis ornamentis instruitur, quidni hæc Virgo cælestem Regem utero complexura & mundo genitura eximiis plane gratiarum donis à Filio suo fuerit decorata? quare in his cum Ecclesia & sanctis Patribus amplissima animo concipe, & *quantum potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare sufficis.*

Punct. II. Consid. Prærogativas quibus quasi gemmis hæc beatissima Virgo à primo instanti suæ Conceptionis in utero Matris ex communi Ecclesiæ sensu decorata est, ac 1. quòd parentum sterilium, non tam libidine, quam constanti ad Deum oratione impetrata sit, iisque per Angelum prænunciata. 2. Fuit infusio gratiæ copiosissimæ cū exclusione peccati originalis. 3. Usus rationis cum actu ardentissimi amoris & nobilissimarum virtutum. 4. Confirmatio in gratia cum extinctione fomitis: quæ Luc. 1. 49. dona ei gratulare, & meritò *beatam* prædica, *quia fecit* illi *magna qui potens est.*

Punct. III. Consid. 1. Si tot donis exornata fuerit B. Virgo, eò quod esset utero gestura Filium Dei, quibus & te instrui oporteat, qui eūdem toties recipis in Ven. Eucharistia. 2. Cons. abundantiam gratiæ primo instanti Virgini infusæ per modum infinitatis & abyssi à Doctoribus expressam rectè dici transcendisse gratiam omnem Angelorum & Sanctorum, sic ut sola ipsa ampliorem contineret, quam ceteri simul, adeoque tunc etiam compellari meritò potuerit, *gratia plena.* 3. Immunitatem ab originali peccato multùm approbatam videri ex Ecclesiæ sensu, dum ejus Conceptionem ut *sanctam & immaculatam* colendam omnibus quotannis proponit. 4. Facit ea plurimùm ad honorem Matris & Filij, numquam vel momento fuisse macula ulla fœdatam, ac per illam dæmoni subjectam: auget & honorem Filij Matrem suam eò liberaliùs & præstantiùs redimentis, quò promptiùs eam ne in communem cum ceteris turpitudinem laberetur, præoccupavit. 5. Cum exempta fuerit hæc Virgo deinde à communi lege perdendi virginitatem in concipiendo Filio, pariendi cum dolore, revertendi in cinerem, quidni & peccatis originalis incurrendi? Quare cum Deus omnem maculā ab ea abesse voluerit, atque ea etiam minimā maxime aversata sit, ut rectè illam colas, excita te ad sectandā cordis munditiam, erubesce de tua turpitudine, & auxilium ejus implora ut perfectissimè munderis, atque in oculis Dei aliquando totus mundus appareas.

Vide alteram Medit. resp. Nativitatis ejusdem 8. Septemb.

FESTO S. LVCIÆ. 13. Decemb.

PVnct.I. Consid. 1. S. Luciam Syracusis in Sicilia genere & Christiana fide ab infantia nobilem, à matre, Eutychia contra voluntatem juveni nobili desponsatam, per morbum cum fluxu sanguinis matri à Deo immissum occasionem accepisse virginitatis conservandæ: unde collige ad majora bona animi sæpè morbos corporales, à Deo immitti. 2. Eam proinde profectam cum matre Cataniam, diei itinere, pro impetranda ibi ei sanitate ad tumulum S. Agathæ, miraculis tunc inclarescentis, ab illa & matri sanitatem, & sibi exoptatum nuncium de propinqua martyrij & virginitatis corona obtinuisse; quippe *orante S. Lucia, apparuit ei B. Agatha, & consolabatur ancillam Christi: Lucia Virgo quid à me petis, quod ipsa poteris præstare continuò matri tuæ?* Hinc disce Sanctos erga clientes suos esse beneficos, ac proinde eorum patrocinia in necessitatibus imploranda. *Offic. Eccl.*

Punct. II. Consid. 1. Luciam obtenta matri sanitate, exorasse eam ut destinatam sibi dotem sineret in pauperes erogari, gratiores enim Deo esse eleemosynas in vita quam in morte donatas, sicut faces prælucentes rectiùs viam dirigunt. 2. Ipsam hoc studio paupertatis & exercitio caritatis hoc potissimùm spectasse, ut sic viam sibi occluderet ad carnales nuptias, & ad cælestes aperiret, cælestisque Sponso sic speciosior appareret: unde & in te excita paupertatis affectum.

Punct. III. Consid. 1. Hinc accusatam illam à Sponso de Catholica fide, à qua cùm nec blanditiis, nec minis dimoveri posset: *Cessabunt,* inquit Præfectus, *verba, cum ventum erit ad verbera.* Cui Virgo: *Dei servis verba deesse non possunt, quibus à Christo dictum est: cum steteritis ante Reges & Præsides nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus S. qui loquitur in vobis.* Disce hinc in difficultatibus Deo confidere: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* 2. Interrogata autem à Præfecto, num igitur in se haberet Spiritum S. respondit: *Castè & piè viventes templum sunt Spiritus S.* Cumque ille instaret fugaturum se ab ea Spiritum sanctum per corporis violationem, subjecit: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*; nam ut rectè S. Augustinus: *Non nocet sensus si desit consensus.* 3. Cum Præfectus nihilominus juberet eam abduci violandam, tanto pondere eam fixit Spiritus S. ut velut columna immobilis permaneret. Quare imperat ille circum ipsam, pice, resina, ac ferventi oleo perfusam, ignem accendi, sed cum nec hic eam læderet, gladio guttur transfixa, & tranquillitatem Ecclesiæ prædicens, non priùs ad cælestem Sponsum evolavit, quàm cælesti cibo per Sacerdotem esset roborata. Benefica deinde in clientes potissimùm oculis ægros: tu imitare generosam in Virgine constantiam, & implora ab ea sanos oculos mentis, quibus supremam lucem aspicias.

Matt. 10. 19 *Ps. 117. 6.* *Offic. Eccl.* *Anno 303.*

Anno 34. Oct. Paschæ Jerosol.

Christus sanat incredulitatem Thomæ. Ioan.20.

P*Unct. I. Thomas unus ex duodecim non erat cum eis quando venit Iesus.* Consid. 1. S. Thomam frustratum conspectu Christi die resurrectionis ejus, eò quòd se ab Apostolorum consortio separasset; ea verò deinde ab illis intellecta, addidisse alterum vitium incredulitatis: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manū meam in latus ejus, non credam.* Hinc cave te à pia societate separare, & fragilitatem tuam agnosce. 2. *Post dies* 8. præsente cum ceteris Thoma, iterum *venit Iesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis.* Ubi Conf. Christum in gratiam Thomæ hîc iterum se ostendere Apostolis, ut errantem reduceret; & quidem januis clausis, ut doceret illum se frui privilegio corporis gloriosi; in quo benignitatem Christi attende, & imitare erga eos qui te offenderunt. 3. Christum se Thomæ adjungere, seque illi tangendum offerre & jubere ad ipsius & nostram fidem firmandam; unde S. Gregorius: *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit :* & subjicit illi : *Noli esse incredulus, sed fidelis :* quæ verba sunt suavis & paternæ admonitionis.

Punct. II. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus & Deus meus. Ubi Consf. 1. Thomam tam manifestis & validis argumentis convictum intimè de peccato suo pœnitentem ex magno affectu fidei, spei, & caritatis inclamasse: *Dominus meus,* qui me morte tua redemisti, iterumqué perditum, & singulari amore quæsitum invenisti, *Et Deus meus* , fons omnis boni, qui me creasti & conservas, te veneror, & super omnia diligo : idem & tu pari affectu ingemina. 2. Laudat hîc quidem Christus Thomam à fide, *quia vidisti me Thoma, credidisti;* at beatos appellat eos qui evidentia illa non adjuti tamen crediderunt id quod nobis debet esse majori solatio.

Punct. III. Consid. 1. Thomam natione Galilæum post acceptum Spiritum sanctum insigniter compensasse prius suum delictum, quando zelo accensus divinæ gloriæ propagandæ , & aberrantes à via veritatis ad Christum reducendi, vasta maria & remotas regiones peragravit, ac Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis & Bactris Christianæ fidei & vitæ præcepta tradidit. Vide num & tu eo zelo satagas expiare priores culpas. 2. Ad Indos postremò se conferens, non minori ibi labore, periculis, ac fructu Euangelium annuntiavit, exoptans sæpiùs pro Christo sanguinem fundere, quo aliquando ante Christi passionem ceteros Apostolos fuerat co-
Ioan. 11.16. hortatus : *Eamus & nos, & moriamur cum illo :* donec tandem Calaminæ Regem frustra ad fidem hortatus, jussu ejus, dum ante sacram crucem pre-
An. 77. catur, telis ac lancea confossus, Apostolatus honorem gloriosa martyrij palma decoravit. Disce & tu accepta à Christo beneficia insigni & constanti virtutum studio compensare.

IN

Vigilia Nativitatis Christi, vide Festum S. Josephi 19 Martij.

IN NOCTE NATIVITATIS DOMINI Decemb. 25. I.

Maria cum Iosepho tendit in Bethleem, ibiq; Christū parit in stabulo. Luc. 2.

Anno 1. Decemb. 25 in Bethlem.

PUnct. I. *Exiit edictum à Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis.* Conf. 1. Cùm Augustus Romanus Imperator subjecto sibi toto ferè orbe terrarum, & pace constituta juberet omnes convenire ad avitam civitatem, unde familia ducebat originem, ad pendendum tributum, Christum omnium Dominum venisse, ut pace oblata omnes scriberet in libro vitæ. Ubi attende quàm diversæ sint cogitationes Dei à cogitationibus hominum. 2. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de civitate Nazareth in Bethleem, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.* Ubi Cons. utriusq; obedientiam in suscipiendo tridui itinere, incōmodo, & hiemali tempore, ac Virgine partui vicina. 3. Quàm pia inter se misceant colloquia, quomodo invicē solentur, iisq; te comitem junge gressibus amoris.

Punct. II. Et peperit filium suum primogenitum. Consid. 1. Mariam cum Iosepho media nocte variè oberrantem, & ubique rejectam, compulsam tandem in speluncam, stabulum bestiarum se recipere, ubi ex divinæ providentiæ dispositione, in oratione ac piis desideriis absorpta, ex purissimo utero, sine ulla læsione aut doloris sensu, peperit mundi Salvatorem. Attende hîc supremi Regis aulam in paupertate & humilitate fundatam: talem & tu ei præpara in anima tua, & cum illo has virtutes libenter amplectere. 2. Quanta hîc fuerint Mariæ & Iosephi gaudia, quæ adorationes & oscula certatim impressa, quæ gratiarum actiones pro privato & communi beneficio, & quàm benignè utrumque parentem Christus respexerit. 3. Quomodo Christus æterno Patri gratias agat, offerat se ad perficiendum opus redemptionis, clamet ad nos tremens frigore & plorans: discite à me paupertatem, & humilitatem. 4. Et Virgo *pannis eum involvit*, non pretiosis, sed mundis quos ipsa secum detulerat: tu Christū excipe corde mundo, & fove affectibus ferventibus amoris. 5. *Et reclinavit eum in præsepio.* Ecce thronum veri Salomonis, quem tot Patriarchæ videre concupierant, tot Prophetæ prædixerant: quare cùm vilissimū terræ locū ambiat Altissimus, tu cum illo etiā novissimū elige & viliora amplectere.

Punct. III. Non erat eis locus in diversorio. Consid. 1. Quàm molestum & durum fuerit Mariæ jam partui vicinæ cum Iosepho in tenebris plateas omnes oberrare, & ab omni hospitio repulsam ferre, quomodo dolenter hinc inde saxo insideat, num quis fortè misereatur: in quo modestiam & patientiam utriusque imitare, cùm & tu ab aliis contemneris aliisque postponeris. 2. Quoties & tu Christum ad te divertere cupientem excluseris. Offer ei proinde nunc cor tuum, invita illum, ut veniat & cælestibus bonis te cumulet: exclude affectus pravos, & Josephum ac Mariam patronos adhibe.

Anno 5. Decemb. 25 in Bethleem.

IN NOCTE NATIVITATIS DOMINI. 25. Decemb. II.

Christus natus pastoribus ab Angelo revelatur. Luc. 2.

PUnct. I. *Pastores erant in regione eadem vigilantes.* Consid. 1. Non ad Herodem Regem aut Magnates Judæorum, sed ad pastores pauperes ac simplices mitti Angelum cœlestem cum lætissimo nuncio optatæ salutis: talem & tu te exhibe, ac cum talibus libenter conversare, si Angelica conversatione frui volueris. 2. Etiam vigilandum tibi esse super actiones
1. Pet. 5. 8. tuas, ne ab infernali lupo qui semper vigilat, & *circuit quærens quem devoret,* opprimantur. 3. Vide etiam quomodo custodias commissum tibi à Deo gregē, sensus corporis, potentias animæ, ac deinde proximū, nominatim domesticos, quomodo eos bonæ vitæ exemplo conserves & promoveas.

Punct. II. Evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator. Consid. 1. Esse verè materiam gaudij magni, cum nunciatur adventus Salvatoris depulsuri omne malum, & allaturi omne bonum, idque non uni tantùm genti Judaïcæ, sed orbi universo: gaudium verò de rebus terrenis esse vanum & breve, neque eo proinde animum occupandum. 2. Gaudium hoc spirituale posse unumquemque sibi majus reddere, prout studuerit de bono per Christi adventum collato magis participare. 3. Subdit Angelus signum Salvatoris nati, nempe humilitatem & paupertatem: *Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio*: vide num in te hæc signa Christi nati deprehendas, & exprimere stude.

Punct. III. Et facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum. Consid. 1. Angelos de cælo à cælesti Patre submissos, qui Filio ita humiliato omnem cultum & honorem deferant, eoque nos suo exemplo excitent. 2. *Et dicentium: Gloria in altissimis Deo.* Si gloria & laus Deo canenda sit ab Angelis in cælo propter hanc Filij ejus nativitatem, potiori jure hîc in terra id à nobis præstandum, propter quos venit, ideoque cum Ecclesia æterno Patri & Filio succinendum: *Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, &c.* 3. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* His nempe quibus Deus be-
1. Thess. 4. 3. nignè vult, *voluntas Dei sanctificatio vestra,* & qui vicissim sunt bonæ voluntatis erga Deum ejusque mandatum & voluntatis observantiam: non igitur iis pax nūciatur qui sunt boni intellectus, sanitatis, nobilitatis aut potentiæ. 4. Pacem hîc nunciatam haberi cum Deo per remissionem peccatorum, secum per subjectionem pravorum affectuum, & cum pro-
Psal. 118. 165. ximo per concordiam voluntatum: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Bellum verò & quidem acre iis fore, qui manent obdurati in voluntate mala, neque bonæ ac benignæ voluntati Dei re-
Iob 9. 4. Isa 48. 22. spondere student: *Quis restitit ei, & pacem habuit? Non est pax impiis, dicit Dominus.*

IN

IN AVRORA NATIVITATIS DOMINI 25. Decemb. III.

Et Octava Nativitatis ejusdem.

Anno 1. Decemb. 25. in Bethleem.

Pastores inveniunt Christum natum in stabulo. Luc. 2.

PUnct. I. *Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethleem, & videamus hoc Verbum, quod factum est.* Consid. 1. Licet nullum mandatum Angeli apud pastores intercesserit de Christo quærendo, tamen nutum eis suffecisse, atque inde eos hortari se invicem ad quærendum bonum sibi nunciatũ: vide ut & tu pari promptitudine angelicas inspirationes sequaris. 2. Ut Salvatorem invenias, transeundum tibi etiam à curis sæcularibus, à mundo, domo famis, qui satiare non potest, ad Bethleem domũm panis satiantis, à vita veteri ad novam, à tenebris ad lucem.

Punct. II. Et venerunt festinantes, & invenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Consid. 1. Quanto studio quærantur ab hominibus hujus sæculi bona caduca, divitiæ, honores, voluptates, & sanitas, quantò rectiùs hi Pastores festinant, & inveniunt Salvatorem, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*: quare & illis te junge. 2. Ubi stabulum ingressi sunt, illuminati intus à Deo, & emicante forte splendore è vultu parvuli, quanta reverentia eũm mundi Salvatorem adorarunt, quam piè manus pedesque deosculati, quo gaudio perfusi, quas gratias egerunt de accepto primo nuncio, & quæ munera Pastoralia obtulerunt: Tu vide quem cultum, quas gratias, & quod munus ei offeras, quò affectum ejus tibi devincias. 3. Gratulantur parentibus de tali prole, & enarrant quæ ab Angelis de ea viderant & audierant: tu accine cum Elizabetha: *Benedicta tu inter mulieres; & benedictus fructus ventris tui.* Coloss. 2. 3.

Punct. III. Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Consid. 1. Multos auditis vel visis ad salutem nihil aut parum commoveri, aliorum verò motum pium citò evanescere: sed Deiparam ea quæ audiebat, & videbat attentè & piè excipere, accuratè secum expendere & revolvere, conferre infantem cum immensa majestate, pannos cum luce increata, paupertatem cũ divitiis, stabulũ cum cœlo, præsepe cum throno Dei, animalia cum Seraphinis, Prophetarum denique oracula cum rei veritate, atque inde in affectus stuporis, gratitudinis, & amoris se effundere: tu collata tibi à Deo beneficia pariter expende, & confer amorem ejus cum tua ariditate, paupertatem cum tuis commodis, humilitatem cum superbia. 2. *Reversi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant.* Ubi Consid. sicut ipsi acceptum à Deo beneficium in se aliisque cum gratiarum actione deprædicarunt, ita & tibi præstandum. 3. Consid. Ex ipsorum relatione paucos fide viva excitatos, reverentiam & pietatem eorum imitatos, eximium inde fructum atque animæ salutem retulisse: tu his te junge, sed adhære infantulo cum Deipara & Josepho affectu, fidei, spei, & charitatis, ac celer obsequia in servandis constanter ejus non præceptis tantum, sed & consiliis.

IN

Et quotidie per annum.

De divina ac humana Christi generatione. Ioan. 1. *P. I.*

PVnct. I. *In principio erat Verbum.* Consid. 1. Sicut inter homines verbum dicitur id, per quod aliquid vel alteri ore manifestamus, quod verbum oris dicitur, vel ipsi mente cognoscimus, estque verbum mentis; unde & S. Bernardus ait: Verbum tuum consideratio tua: ita & in S. Scriptura Verbum divinum dici cognitionem, qua Deus se aliaque cognoscit, estque ea unigenitus Filius Dei. Consid. 2. Verbum hoc fuisse in principio ante omnem creaturam: unde & tu disce verbum seu considerationem tuam debere esse 1. in principio status suscepti tanquam viæ securioris ad æternam beatitudinem tibi à Deo destinatæ, ut in ea progrediaris, considerando in purgativa peccatorum damna, ac mundanarum voluptatum vanitatem; in illuminativa, virtutum præmia, & Christi, ac Sanctorum exempla; in unitiva, Dei beneficia, ac nominatim cælestis gloriæ mercedem præparatam perseverantibus constanter in divina vocatione. 2. Considerationem hanc debere esse vel fuisse in principio votorum, attendendo hinc vilitatem tuam, ob eamque te undecumque divino conspectu indignissimum: inde verò pietatem ac misericordiam Dei infinitam, in cujus fiducia per statum Ecclesiasticum, vel etiam magis per tria religionis vota te totum in holocaustum Deo obtulisti. 3. In principio cujusque diei debere esse considerationem tuam, mane quotidie in oratione, cognoscendo teipsum, & Deum; te ut fontem omnis mali, illum ut fontem omnis boni; deinde cur ad religionem veneris, & quomodo diem istum perfectiùs transigere statuas.

Punct. II. Omnia per ipsum facta sunt. Consid. 1. Non tantum in principio cujusque diei, sed & cujusque actionis, considerandum an tibi id agere liceat, num Deo gratum, cur & quomodo agendum, juxta illud Sapientis:
Prov 4. 25. *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* 2. Sicut quæcumque per Verbum divi-
Gen. 1. 31. num facta sunt, bona fuerunt; nam *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*; ita & actiones tuas omnes prævia consideratione, bonas fore, illius verò defectu vanas & inutiles ad gloriam cælestem.

Punct. III. Quod factum est, in ipso vita erat. Consid. 1. Sicut creaturæ omnes in Verbo divino vivere dicuntur, non solùm quia in ipso vividè repræsentantur, sed & quia per ipsum omnes nobis cooperantur in vitam æternam; ita & per hanc tuam considerationem præviam fieri omnes posse meritorias vitæ æternæ, sive sanitas sit, sive morbus; sive cōmoda, sive incōmoda; sive speciosa, sive vilia; quidquid acciderit, conferet ad vitam æternam. 2. Cùm Deus per Verbū suum non tantùm ut caussam efficientem, sed & exemplarem omnia creaverit; ita & te debere ad Christi exemplar & similitudinem actiones tuas omnes efformare, imitando in omnibus ejus paupertatem, humilitatem, patientiam, & reliquas virtutes.

IN DIE NATIVITATIS DOMINI, 25. Decemb. V.

Et quotidie per annum.

De divina ac humana Christi generatione. Ioan. 1. P.II.

PUnct. I. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Consid. 1. Christum ejusque gratiam hîc luci comparari; peccatores verò ac peccata tenebris, eò quòd sicut lux inter qualitates naturales nobilissima, purissima, & efficacissima splendorem adfert, calorem, & vigorem cunctis viventibus; ita & Christus per doctrinam suam & gratiæ inspirationes mentem hominum Dei cognitione illuminet, ad amorem accendat, & fervorem in actionibus bonis suscitet, ac tandem suos ad lucem cælestis gloriæ perducat: contrà verò peccatores se in æternas tenebras præcipitent. 2. Licet tenebræ luci accedenti naturaliter cedant, Judęos tamen infidelitatis & malitiæ tenebris obsessos Christum ejusque doctrinam & gratiam quavis luce fulgentiorem noluisse admittere, neque ad hoc etiam Joannis à Deo missi testimonio permotos fuisse: tu expende quoties hanc cælestem lucem excluseris, etiam per Ecclesiam & Concionatores tibi demonstratam.

Punct. II. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Consid. 1. Christum hîc *lucem veram* appellari, ut distinguatur ipse lux increata tum à luce Joannis aliunde accepta, tum à luce fucata & fallaci mundi, hęreticorum & dęmonum, quę ad interitum viam dirigit. 2. Quomodo Christus non Judæis tantùm, sed & omnibus hominibus cujuscumque nationis offerat lucem gratiæ suæ, parvulis per baptismum, adultis verò per actus liberos ad se accedentibus: quam Christi erga omnes benevolentiam tu lauda, gratias age, & imitare. 3. Offerri hanc lucem non quidem omni loco & tempore, sed frequentissimè pro Dei beneplacito: unde disce oblatam gratiam captare, ne sublatam posteà frustra doleas. 4. Argui hîc ingratitudinis nominatim Judæos, ad quos tanquam ad populum præ ceteris electum ac dilectum, & innumeris beneficiis sibi peculiariter obstrictum Christus, velut *in propria venit*, & tamen *sui eum non receperunt*: vide ne tu præ tot infidelibus ad veram fidem vocatus, imò etiam ad altiorem in ea gradum, parem incurras ingratitudinis notam.

Punct. III. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Consid. 1. Altissimam dignitatem & honoris gradum quò extolluntur ij qui viva fide Christum ejusque doctrinam admittunt, ut nempe in filios Dei adoptentur, & non carne, sed spiritu per baptismum regenerati, heredes constituantur regni cælestis, de quo gratias illi animitus age. 2. Vide proinde ut exprimas etiam in te mores ac virtutes cælestis Patris, ac Christi velut fratris primogeniti, ut voluas animo cælestia, terrena despicias, nec quidquam eo statu indignum in te admittas.

De divina ac humana Christi generatione. Ioan. 1. P. III.

PUnct. I. *Et Verbum caro factum est.* Consid. 1. Excessum amoris & humilitatis Filij Dei in tanta majestate, quo non dedignatus est naturam nostram humanam, atque etiam id quod in ea vilissimum est, carnem assumere, ut in carne nostra pro nobis ipse satisfaceret, ac de diabolo triumpharet, ac sic qui nos per carnem vicerat, per carnem quoque vinceretur. 2. Ut nos naturæ suæ divinæ consortes faceret, ad quod Chrysostomus: *Factus est Filius Dei filius hominis, ut filios hominis faceret filios Dei,* de quo gratias ei age. 3. Ut & doceret nos in natura nostra, rectissimam viam ad salutem, non jam ut olim per Prophetas, aut cum terrore in monte Sinai, sed per se cum amore in carne nostra verbo & exemplo.

Punct. II. Et habitavit in nobis. Consid. 1. Christum non obiter transeundo nobis apparuisse, sed per annos 33. conversando inter homines mansionem fixisse, subeundo communes vitæ nostræ miserias, quo pleniùs nos doceret, & ad pleniorem fidem susceptæ carnis excitaret. 2. Elegisse ipsum non vitam solitariam remotam ab oculis hominum, sed *in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* 3. Licet deinde in cælos ascenderit; tamen etiamnum manere nobiscum, tum in Ven. Sacramento, tum per Vicarium suum Romadum Pontificem in Ecclesiæ gubernatione, tum peculiari affectu adhærendo animæ justi, velut sponsum sponsæ, eam beneficiis cumulando, & à malis protegendo: stude igitur sic cum eo habitare ut numquam ab eo separeris.

Baruch 3.28

Punct. III. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre. Consid. 1. Christum in assumpta natura nostra edidisse palàm signa plurima & certissima suæ divinitatis, splendore miraculorum, fulgore transfigurationis, claritate resurrectionis, & gloria ascensionis, quæ, inquit Joannes, quasi in theatro clarè spectavimus, & convincebant eum esse Filium Dei: ubi expende licet beati essent oculi qui hæc viderent, beatiores tamen eos *qui non viderunt, & crediderunt*: ideoque vivam ei fidem & reverentiam impende. 2. Venisse Christum non instructum terrenis divitiis, aut honoribus: sed *plenum gratiæ & veritatis,* utramque nobis liberaliter & gratis communicaturum, & gratiam quidem ad actiones omnes nostras Deo gratas reddendas: veritatem verò ad dispellendas errorum tenebras, & promissa olim Patribus fideliter præstanda: ideoque de hac plenitudine velut fonte largiter nobis hauriendum. 3. Quidquid habemus nos gratiæ aut veritatis, quantumvis multis imperfectionibus obnoxium, agnoscamus cum submissione & gratiarum actione nos totum inde velut ex uberrimo fonte accepisse.

Ioan 20.29.

FESTO

FESTO S. ANASTASIÆ. 25. Decemb.

PVnct. I. Consid. 1. S. Anastasiam Virginem Romanam, generis splendore, divitiarum abundantia, & formæ venustate, sed potissimùm Christianis virtutibus insignem, in his à matre Catholica rectè institutam, sub instructione S. Chrysogoni, amplissimos fecisse progressus, sic ut jam pubilis, non mundi vanitatibus, sed operibus pietatis, charitatis, & humilitatis totam se impenderet, in visendis carceribus, ibique vinctis pro Christo solandis, alendis, roborandis ad martyrium, pedibus eorum abluendis, & vulneribus mundandis. 2. Deinde quantumvis invitam nuptui traditam cuidam Publio juveni paris quidem nobilitatis, sed gentili ac feroci, ideoq; ab illo maximè jam spe sua frustrato in fide Christi expugnanda, durissimè habitam, atque ita amplam habuisse occasionem insignis patientiæ quotidie exercendæ, &, quod unicè cordi habuerat, Virginitatis servandæ. 3. Conjugem deinde ab Imperatore missum legatum in Persidem, reliquisse illam vinculis mancipatam, ibi vel miseriis interim conficiendam, vel si redux superstitem & in priori sententia invenisset, suis manibus interficiendam; sed ipsum in itinere à divina justitia ex hac vita ad debitas scelerum pœnas persolvendas evocatum: unde disce in adversis Dei auxilium patienter expectare.

Punct. II. Consid. 1. Eam per mortem conjugis vinculis liberatam, sibiq; restitutam, statim facultates omnes, prout Deo promiserat, in pauperes Christianos erogasse, & quasi plenis velis se prioribus obsequiis pietatis, caritatis, & humilitatis impendisse: unde disce etiam captare tempus & opportunitatem bonorum operum. 2. Deum propter hunc insignem fervorem, & obsequia Martyribus impensa, etiam voluisse illi dare occasionem & coronam Martyrij: unde collige opera virtutum semper ad altiorem gradum perfectionis viam sternere.

Punct. III. Consid. 1. Eam proinde comprehensam, & à Præfecto interrogatam de suis facultatibus, quibus inhiabat, generosè respondisse, eas à se per manus pauperum in cælum præmissas, quò & speraret se brevi secuturam. 2. Inde reclusam in carcerem ærumnis conficiendam, ibi cælestibus solatiis recreatam, ac toto bimestri sustentatam cibo è cælis delato à S. Theodora, cum qua sæpiùs Martyrij desideria foverat, & quæ jam cum tribus filiabus igne coronā illā fuerat assecuta. 3. Postea in fide constantem cum fidelibus viris 200. ac feminis 70. navigio undique perforato impositam, fluctibus absumendam: sed Spiritu S. navim conservante, ac dirigente omnes incolumes in Insulam pervenisse: ubi ipsa pro Christi fide palis alligata, igne circumstructo exusta, ad cælestem sponsum, & æterna gaudia purior evolavit, reliquis etiam per varia tormenta martyrium consummantibus. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. 18.

Anno 303.

De ejus Vita. Actorum 6. & 7.

P*Unct.I. Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo.* Consid.1. Stephanum ob insignes virtutes electum ab Apostolis, & quidem primum inter septem Diaconos, qui mensæ tam sacræ quàm prophanæ deserviret, laudari hîc *plenum gratia*, quæ in dictis & factis ejus elucebat; *& fortitudine*, qua confidenter & intrepidè agebat pro Christi caussa in prædicando, disputando, ac miraculis patrandis; sustinendis etiam adversis, ac tandem ipsa morte: quam fortitudinem tu etiam imitari stude. 2. Consid. Eum ostendisse potissimùm zelum suum in arguendis Judæis, qui ex variis regionibus Hierosolymam convenerant, *nec poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur*. 3. *Intuentes eum omnes qui sedebant in Concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli.* Addiderat enim Deus vultui ejus splendorem, ut internam mentis ejus pulchritudinem indicaret, qua Angelorum puritatem, innocentiam, sapientiam, & zelum referebat.

Punct.II. Intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei. Consid.1. Stephanum oculis mentis & corporis in cælum intentis eoque anhelantem, vidisse gloriosam Dei imaginem instar Regis majestate fulgentis, & Jesum à dextris ejus stantem instar Ducis militem suum animantis, protegentis, ac palmam offerentis. 2. Subdit: *Ecce video cælos apertos*: Significans se non timere eorum minas, verbera, aut tormenta, cui cælum pateat, quò & ipsos invitat, si voluerint resipiscere: ora ut & tibi in vitæ extremo cælum pateat.

Punct.III. Ejicientes eum extra civitatem, ne eam contaminaret, *lapidabant*
Lev.24.14. tanquam blasphemum, occludentes aures suas ne salutaria monita & increpationes perciperent; quam duritiam detestare, & imitare Stephani patientiam, qui nec falsis accusationibus, nec ejectione è Synagoga velut nota excommunicationis, nec lapidatione qua vitam perdidit, à Christi atque etiam ipsorum sincero amore separari potuit. 2. Jam in extremis clamabat: *Domine Iesu accipe spiritum meum*, quem ab aliis rejectum tibi Creatori ac Redemptori meo integrum & inviolatum restituo: ubi disce rationem piè moriendi cum actibus fidei & spei in Salvatorem, ac condonatione injuriarum, de qua subdit: 3. *Domine Iesu ne statuas illis hoc peccatum*, quo nempe impœnitentes intereant. Attende hîc illustre exemplum remissionis injuriæ, quam etiam à Deo obtinuit Paulo, aliisque pluribus, cùm pro iis ferventiùs, etiam *positis genibus* Deum exoraret; de quo Hilarius: *Nesciebat iis irasci, per quos videbat aulâ regni cælestis sibi aperiri*: ubi & coronam martyrij nomine suo præsignatam, etiam Doctoratus ac Virginitatis primus obtinuit: tu illi gratulare, ac virtutes imitare.
Anno 34.

FESTO S. STEPHANI PROTO-MARTYR. 26. Dec. II.

Anno 34. Martij 22. Jerosol.

Christus arguit impietatem Judæorum in occidendis Prophetis, eamq; puniendam à Deo prædicit. Matt. 23.

P*Vnct. I. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis.* Consid. 1. Christum hîc arguere impietatem Judæorum, quòd non sibi tantùm Messiæ suo, sed & aliis pluribus mox à se legandis Apostolis, virisque Apostolicis, dono prophetiæ, sapientiæ, & scientiæ legis instructis mortem essent illaturi: ubi expende horum Martyrum insignem constantiam, & persecutorum sævitiam, ac quàm disparem deinde mercedem retulerint. 2. Cùm dicat Christus se eos viros mittere, seu proximè missurum, attende dignitatem ac reverentiam viris Apostolicis debitam tanquam Dei legatis, & ad salutem tuam excitatis. 3. Prædicit Christus Judæorum punitionem: *Vt*, inquit, *veniat super vos omnis sanguis justus*: quo significat temporalem pœnam debitam peccatis majorum, tandem impleta mensura ab ipsis luendam, quod olim comminatus fuerat: quare cave ne & tu aliquando impleas præstitutam tibi à Deo peccatorum mensuram. *Deut. 5. 9.*

Punct. II. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt. Consid. 1. Christum hîc se convertere ad populum, ac maximè Magistratum Hierosolymitanum, ingeminata voce ex abundantia & vehementia affectus amoris & misericordiæ, cum exprobratione ingratitudinis post tot beneficia accepta: ubi & tu expende exiguam gratitudinem tuam. 2. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas.* Ubi significat non raro, sed frequenter se eorũ saluti studuisse per Prophetas diversis temporibus submissos, per Angelos, inspirationes internas, externas illecebras, punitiones aliorũ, ac tandem etiam per se ad hoc à cælesti Patre missum. 3. Comparat amorem & studium suum gallinæ singulariter pullos suos diligentis & protegentis. 4. Opponit pervicaciam illorum, *& noluisti*: significans malum omne provenire ex libera nostra voluntate, cui soli perditio nostra adscribenda sit: Tu expende quoties vocanti Deo restiteris.

Punct. III. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Consid. 1. Enunciari hîc clariùs à Christo eorũ punitionem, nempe destituendos non solùm corporali sua præsentia, ac donis gratiæ, sed & templum, civitatem, imò regionem totam deserendam ab incolis, ac divino favore & præsidio, omnesque, qui occisi non fuerint, dispergendos toto orbe, expositos hostibus corporalibus, & spiritualibus; cave ne & tu unquam à Deo deseraris. 3. Adjicit tamen eos qui in fine mundi supererunt, convertendos ad pœnitentiam, & acclamaturos: *Hosanna Benedictus qui venis in Nomine Domini*, id quod majores eorum in pueris subsannaverant: tu utere tempore pœnitentiæ cùm offertur.

Anno 34. Aprili ad mare Gal.

FESTO S. IOANNIS EVANGELISTÆ. 27. Decemb.

Christus Petrum de morte sua præmonitum, ob curiositatem de Ioanne reprehendit. Ioan. 21.

PUnct. I. *Dixit Iesus Petro: Sequere me.* Consid. 1. Petrum juberi hîc à Christo sequi se, non tantùm præsentia corporali, sed etiam in Pastorali munere, ac cura ovium, modoque eas regendi verbo & exemplo, ac potissimùm caritate, prout ipse præcesserat, ac tandem etiam se subsequi in morte sibi simili per supplicium crucis. 2. Petrum curiosiùs inquirentem de morte Joannis, *hic autem quid?* reprehendi à Christo, ut discas etiam
Eccli. 11. 10. in te reprimere vitium curiositatis, *ne in multis sint actus tui.*

Punct. II. Sic eum volo manere donec veniam. Consid. 1. Christum repressa curiositate Petri, sub obscurè indicare Joannem non violenta morte è vita evocandum, sed permansurum, dum ipse Christus veniret excidium Hierosolymæ allaturus, eumque deinde ad se morte naturali evocaturus: interim superstitem Christus voluit, tum ut Judæos metu excidij tempestivè ad Deũ converteret, tum ut hęc longęvitas esset ei loco martyrij, cum ad Christi præsentiam summè anhelaret. 2. Consid. Joannem verè tamen Martyrem fuisse, cùm pro Christi fide Romæ priùs fustibus
Anno 42. de more percussus, inde in ferventis olei dolium missus ea tormenta passus est quæ mortem naturaliter intulissent, nisi miraculo præservatus fuisset: quare cum constantia ei minimè defuerit, nec præmium, aut martyrij coronam illi deesse.

Punct. III. Consid. 1. Joannem natione Galilæum natum Bethsaidæ, arte piscatorem cum fratre Jacobo à Christo vocatum, & singulariter di-
Offic. Eccl. lectum, tum ob insignem castitatem: *Quoniam specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione eum fecerat dignum*: tum caritatem, cujus studium aliis unicè commendabat, tum denique zelum & cõstantiam in bene cœptis: Tu has virtutes imitare, quibus Christi erga te dilectionem adaugeas.
Marc. 3. 17. 2. Consid. eum proinde appellatum etiam à Christo *Filium tonitrui*, assumptum secum in transfiguratione, & horto Oliveti, atque in Cœna ultima in Christi sinu recubuisse; ubi, ait Augustinus, *è Christi pectore arcana divinæ Sapientiæ, & fluenta gratiarum altiùs præ ceteris hausit*, denique in passione & morte Christi solum perstitisse, ibique Deiparæ à Christo moriente pro
Ioãn. 19. 27. se in Filium substitutum, *Ecce Filius tuus: ecce Mater tua.* 3. Expende solatia, documenta, ac fructum quem hausit deinde Joannes ex diuturna familiaritate, ac colloquiis cum Deipara. 4. In Patmos Insulam relegatus plurimos ibi ad Christi fidem convertit: inde post plures per Asiam fundatas, & insigni cum fructu administratas Ecclesias, Ephesum reversus, ibi tandem Apostolorum postremus in Domino obdormivit, unus
An. Chr. 99. æt. 92. omnium aliorum Sanctorum laureas consecutus.

FESTO SANCTORVM INNOCENTIVM. 28. Dec.

Anno 2. Martii in Nazareth.

Christus in Ægyptum abducitur, & Innocentes ab Herode occiduntur. Matt. 2.

PVnct. I. *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Consid. 1. Christum in prima infantia pati persecutionem, ideoque juberi deserere patriæ commoda, ac secedere cùm Matre sua & Josepho in Ægyptum, regionem barbaram, 12. dierum itinere: ut discas & tu, Christi exemplo parare animum ad incommoda & persecutiones, nec affixus esse patriæ, sed ad cælestem patriam adspirare, atque hîc interim omne solùm, ubi Deum Patrem invenis, pro patria habere. 2. Attende in hoc Christi humilitatem, qui licet sine fuga potuisset manus Herodis evadere, tamen tanquam illo debilior, non sine obloquiis hominum, fugam elegit tui caussa, ut & tu aliorum de te ac talentis tuis judicia amori sui postponeres. 3. Deum suos licet adversis exerceri sinat, tamen minime deserere, ac submisso etiam Angelo periculis eripere; monerique etiam nos de fugienda persecutione dæmonis, & remediis humanis adhibendis.

Punct. II. Et esto ibi usque dum dicam tibi. Consid. 1. Insignem resignationem hîc per Angelum requisitam, quam & tu imitare, atque in paterna Dei cura securus acquiesce, quidquid de te statuerit, esto ibi, in eo munere, & loco, labore, molestia, & afflictione, hoc vel illud age, ac patere, usque dum dicetur tibi. 2. Consid. promptam & cæcam obedientiam Josephi & Mariæ media nocte cum Christo consurgentium, ac paucis reculis collectis iter arduum ingredientium: non opposuerunt itineris ignorantiam, distantiam, aut molestiam, non rerum inopiam, non pericula perdendi infantem, sed simpliciter obedientes curam omnem Deo commiserunt: sufficiat etiam tibi inter incommoda esse cum Jesu, Maria, & Joseph.

Punct. III. Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros &c. Consf. 1. Quàm periculosum sit ambitioni aut iracundiæ fræna laxare, dum hinc ad tam crudele consilium Herodes processit, ut teneros infantes ad 14. millia necandos curaverit, ampliando locum ad omnes etiam fines Bethleem, & infantiam ad bimatum, pro majori securitate criminis: attende lamenta matrum, & infantium ejulatus, expressa olim in Rachele posteros deplorante. 2. Voluisse Christum hac Ier. 31. 15. strage nativitatem suam magis divulgare, simulque justitiam ostendere in puniendis matribus Bethleemitis, quæ Genitrici suæ nocte Natalis hospitium denegassent: bonitatem verò in beandis infantibus corona martyrij; nam, *Miscebatur lamentatio matrum, & ad cælum transibat oblatio parvulorum.* Ambros. 3. Consf. Dæmonem quasi alterum Herodem oppugnare in nobis masculos, & virtutũ initia, quæ servanda & fovenda sunt: tu verò peccatorũ & tentationũ initia oppugna, & deplora tot animas per illum intereuntes.

FESTO S. SILVESTRI PONTIF. 31. Decemb.

PVnct. I. Consid. 1. S. Silvestrum Romanum à prima ætate in pietate instructum, cum ætatis & graduum incrementis pariter in virtutibus progressum fecisse. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem.* Inde Cardinalitia dignitate auctum cœpisse magis inter omnes virtutibus inclarescere, sic ut propter eminentem vitæ sanctitatē, S. Melchiadi Pontifici defuncto omnium votis suffectus fuerit. 2. Sæviente Romæ in Christianos persecutione, dum in montem Soracten, confugiens ibi precibus suis Ecclesiæ pacem & quietem enixè efflagitat, Constantinum Magnum Imperatorem incurabili lepra à Deo percussum viam Silvestro ad postulata consequenda aperuisse.

Prov. 4. 18.

Punct. II. Consid. 1. Constantinum, cùm ad curandam lepram impium medicorum consilium admisisset de parando sibi balneo ex infantium sanguine, permotum tamen deinde lamentatione matrum, atque hanc impietatem detestatum, nocte sequenti mitius ac certius è cælo remedium accepisse: unde cave in adversis ad illicita media confugere, sed cum licitis opem Dei implora. 2. Apparuisse ei illa nocte in quiete Sanctos Apostolos Petrum & Paulum præcipientes ei, ut si ex lepra liberari vellet, omissa impij balnei immanitate, Silvestrum in Soracte monte latitantem accerseret, à quo baptisatus imperaret per omnem ditionem Romani Imperij templa Christiano more ædificari, sublatisque inanium Deorum simulachris, vero Deo cultum adhiberet: unde collige corporalis morbi utilitatem, qui & Imperatori huic sanitatem animi, & Ecclesiæ pacem peperit. 3. Imperatorem cælestibus monitis obsequentem, Silvestrum conquisitum ad se evocasse, qui ratus se evocari ad martyrium, Imperatorem sibi supplicem invenit, velut alterum Saulum, & cognita ejus visione, Deo gratiis actis, ipsum priùs fidei mysteriis instructum, ac pœnitentem baptismo regenerat: unde ille corpore & animo persanatus, Deo pariter gratias persolvens, totum se ad tuendam & propagandam Christi religionem devovet: tu disce hinc etiam gratias Deo referre pro tua ad fidem vocatione.

Punct. III. Consid. 1. Imperatorem accepti beneficij memorem, auctore Silvestro mox toto imperio Catholicam religionem propagasse, & eversis idolorum templis, nova eaque magnifica Christianis exstruxisse, donis ac muneribus exornasse, ac proventibus etiam ad alendos Sacerdotes dotasse: unde excita etiam in te affectum pietatis. 2. Silvestrum tandem post exorientem Arrij hæresim in Niceno & Romano Concilio condemnatam, post roboratam Romanæ Sedis potentiam, qua & hæreticos reprimeret, & gentilibus resistere posset, post multa salubriter decreta pro Ecclesiæ bono & Ecclesiastica libertate, ad laborum præmia in cælos

Psal. 125. 5. evolasse. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.*

FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI. 1. Ianuarij.

Anno 1. Januar. 1. in Bethleem.

Christus circumciditur, & nomen Iesu ei imponitur. Luc. 2.

PUnct. I. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.* Consid. 1. Licet parentes Christi summè anhelarent ad imponendum ei nomen toti mundo salutare, ab Angelo prænunciatum; tamen moram octidui à lege præscriptam eos patienter & æquanimiter tolerasse: ut discas & tu non urgere importunè temporis accelerationem, sed constitutum à Deo, sive in afflictione, sive in optati boni dilatione patienter expectare. 2. Consid. In hac Christi circumcisione plures eximias virtutes elucentes, obedientiam licet legi subjectus minimè esset, humilitatem in assumenda nota peccatoris, patientiam in corpore tenero cùm acerrimo doloris sensu, caritatem, qua festinabat hunc sanguinem suum, velut primitias, pro redemptione nostra æterno Patri offerre: stude & tu easdem virtutes cum gratiarum actione imitari. 3. Quomodo exemplo hoc suo exegerit à nobis Christus spiritualem circumcisionem in pravis affectibus potissimùm carnis præscindendis, idque non semel, sed, quoniam assiduè repullulant, quotidie iteratò fervore, sciasque non participaturum te de effectu salutiferi ejus nominis, nisi prævia hac circumcisione. Gen. 17. 12.

Punct. II. Vocatum est nomen ejus Iesus. Consid. 1. Fuisse quidem in veteri lege aliquibus nomen hoc inditū, sed velut umbris imperfectè exprimentibus hanc Christi excellentiam, cui id à Deo per Angelum impositum, cum solus ipse nosset finem & officium Filij incarnati, nempe liberationem ab omni malo, & collationem omnis boni. 2. Consid. Hoc nomen esse quasi compendium omnium aliorum nominum, & continere officia Patris, Magistri, Medici, Pastoris, Advocati, Protectoris, adeoque esse nomen amoris, misericordiæ, clementiæ, sapientiæ, & potentiæ plenissimum, scutum adversus omnes dæmonis machinationes, ac proinde in omni tentatione ac adversitate corde & ore cùm reverentia & fiducia inclamandū, atque aliis cum zelo annunciandū. 3. Quàm sit venerandū cultu interno & externo, in cujus invocatione *omne genu flectatur cælestium,* Phil. 2. 10. *terrestrium, & infernorum.* 4. Vide num & tu nomen hoc & Christiani à Christo acceptum ita expleas imitatione virtutum: *Noli,* inquit Nyssenus, *vanum ferre nomen, sed plenum.* Et Augustinus: *Non sufficit nobis nomen Christiani, si opera non fecerimus.*

Punct. III. Consid. 1. Ab hoc die, novi anni initium desumi; ut & tu novam vitam auspiceris & decurras cum circumcisione spirituali, seu studio mortificationis, & nominis sancti hujus frequenti invocatione. 2. Statue te coram Jesu, & expende beneficia ab eo tibi toto superiore anno collata, ingratitudinem tuam, languorem, & exiguum profectum, atque offer illi in strenam pro effusione sanguinis, vitij alicujus magis noxij constantem peculiari examine oppugnationem.

Anno 9. Jan. 7. in Ægypto.

Christus ex Ægypto reducitur. Matt. 2.

PUnct. I. *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & vade in terram Israël.* Consid. 1. Paternam Dei providentiam de suis sollicitam, & opportuno tempore incommodis ac tribulatione eripientis, qua permiserat per plures annos dilectum Filium suum cum Matre ac Josepho in extera regione affligi: quare cave ne animum despondeas in adversis, sed cum patientia expecta auxilium Dei. 2. Rationem subdit: *Defuncti sunt enim qui quærebant animam Pueri.* Non Herodes tantùm, sed & alij in persecutione illi adhærentes: ubi Consid. potentiam impiorum non esse diuturnam, ac concidere saltem in morte, piorum verò gloriam etiam per tribulationes crescere. 3. Quanto gaudio perfusus fuerit Joseph cum Deipara, accepto hoc nuncio de sublato periculo, & Jesu servato: vide nũ tu tam sollicitus sis de Christo servando.

Punct. II. Qui consurgens accepit Puerum, & Matrem ejus, & venit in terram Israël. Consid. 1. Qua alacritate in viam se dederint Joseph & Maria, ducentes medium Puerum Jesum jam novennem, & pedibus inambulantem, quas gratias Deo egerint, quantum adauxerint fiduciam in ejus paterna providentia, cui videbant se tantopere curæ esse: attende & tu quot & quanta expertus in te sis divinæ providentiæ argumenta, ideoque æquum esse, ut te totum illi committas. 2. Consid. Ægyptios aliquos jam ad Christi fidem conversos, tenerrimè sensisse ejus cum parentibus discessum, precibus ac lacrymis mansionem expetentes, sed quævis opera bona, imò mundi totius conversionem postponendã obedientiæ, dũ aliò nos vocat.

Punct. III. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire, & admonitus in somnis secessit in partes Galilææ. Consid. 1. Statuisse Josephum Hierosolymam divertere ad persolvendas Deo grates in templo pro felici reditu, sed iterum in somnis ab Angelo admonitum de Herodis filio ibi regnante, rectà perrexisse Nazarethum: ita Deus aliquando in solis desideriis bonis, efficacibus tamen ex parte nostra acquiescit. 2. Sicut Joseph prudenter declinavit Hierosolymam, ac Judæam propter Herodis filium ibi regnantem: ita & tibi declinanda esse pericula
Eccli. 3. 27. & occasiones peccandi; nam *qui amat periculum, in illo peribit.* 3. *Quoniam Nazaræus vocabitur*, non solùm quia conceptus & enutritus in civitate Nazareth, sed potissimùm propter hujus significationem in eo expressam, qua
Isa. 11. 1. *floridus* significatur. *Et flos de radice ejus ascendet*, speciosissimus & immarcessibilis. Significatur insuper nomine Nazaræi *Sanctus, Deo consecratus, & coronatus*, quæ Christo perfectissimè cõveniunt. Erant Nazaræi velut religiosi
Num. 6. 3. inter Judæos, abstinentes ab omni quod potest inebriare, & à cõtactu cadaveris, nec deponentes Cæsariem capitis: nos studeamus cũ Christo esse Nazaræi spirituales, abstinentes ab omni amore inordinato, & à peccatis, nec deponentes affectus spirituales.

FESTO

FESTO EPIPHANIÆ DOMINI. 6. Ian. P. I.

Anno I. Jan. 6. in Bethleem.

Magi per stellam evocati Christum quærunt. Matt. 2.

PUnct. I. *Vidimus stellam ejus in oriente, & venimus adorare eum.* Consid. 1. Magos hos fuisse Reges gentiles, astrologiæ peritos, ideoque Magos seu sapientes de more dictos, tres numero, qui in orientalibus regionibus conspecta stella, secundùm scientiam tum ex libris Sibyllinis, tum ex Scriptura Sacra, tum potissimùm ex interna Spiritus sancti illustratione acceptā, cognoscentes Regem populi Israelitici, ac mundi Redemptorem in Judæa natū, mox se cum muneribus & honesto comitatu in viam dederūt versùs Hierosolymam: ubi attende ardentem Pueri Jesu caritatem in trahendis statim hominibus ad salutem, pastoribus è vicino per Angelum, Regibus è longinquo per stellam, singulis per media congrua, te quod viis ac modis? ubi felicitatem tuam præ tot aliis expende. 2. Consf. Obedientiam horum Regum, dum iter arduum ac longum in exteram regionem magnis incommodis & molestiis aggrediuntur: vide num & tu ea promptitudine sequaris Dei inspirationes, ejusque voluntatem per superiores ac regulas quasi per stellam tibi propositam, an dicere cum Regibus possis: *Vidi, & veni.*

Punct. II. Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Consid. 1. Turbari Herodem unde maximè gaudere debebat, sed ambitione excæcatus non capiebat animæ salutaria: frustra etiam regno suo timebat à Christo, quippe *non eripit mortalia, qui regna dat cælestia.* 2. Cogit Concilium Magnum 70. seniorum, ex quibus veritatem inquirit: ubi attende aliquos veritatem inquirere ut alios doceant, quales erant scribæ, alios ut oppugnent, qualis hic Herodes, alios ut agnitam sequantur, & tales hi tres Reges: Tu vide qua intentione scire studeas. 3. Instituto examine etiam cum Regibus, tandem eos dimittit, *& cum inveneritis renunciate mihi,* inquit, *ut & ego veniens adorem eum.* Simulatores virtutum detestatur Deus, cui imponere minimè possunt. Cave etiam ne aliis viam salutis ostendas, quam ipse negligas.

Punct. III. Videntes stellam Magi gavisi sunt gaudio magno valdè. Consid. 1. Stellam Hierosolymæ non apparuisse, ut scias in hominum strepitu divinas inspirationes minùs communicari, sed extra eum in silentio & secessu. Quia tamen constanter ejus ductum secuti fuerant, iterum eis apparet, ducitque rectà ad Christum. Attende stellas à Deo tibi missas, præter pias inspirationes, esse etiam exhortationes, exempla Sanctorum, Regulas, ac mandata Superiorum. 2. Consid. Etiam tibi meritò valdè gaudendum, si expenderis felicitatem tuam, dum egredienti tibi è sæculo stella divinæ lucis apparuit, quam si constanter sequaris, Christum invenies.

Anno 1. Januar. 6. in Bethlecm.

FESTO EPIPHANIÆ DOMINI. 6. Ian. II.

Magi per stellam evocati Christum inveniunt & adorant. Matt. 2.

PUnct. I. *Intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus.* Consid. 1. Domum hanc, super qua viderunt hærere stellam, fuisse stabulum, ubi in præsepio invenerunt Christum, cujus regnum agnoscebant non terrenum esse, sed spirituale: *Invenerunt* autem *Puerum cum Maria Matre ejus:* tu stude ut Jesum & Mariam semper affectu tuo conjunctos habeas. 2. Consid. Majestatem divinitatis occultæ ex vultu & oculis Pueri reluxisse: unde & agnoverunt esse supremum Regem, Deum simul & hominem, Matrem & Virginem. 3. *Et procidentes adoraverunt eum*, prono corpore prostrati & animo, cultu latriæ coluerunt, quem verum Deum, mundi Redemptorem agnoscebant, externa vilitate præsepis aut stabuli, quæ fides non spectat, minimè retardati: tu in oratione ad Deum junge etiam, reverentiam externam cum interna.

Punct. II. Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera. Consid. 1. Eos priùs adoratione seipsos obtulisse, & inde munera, ut scias ante omnia teipsum, cor & voluntatem Deo offerendam. 2. Singulos verosimiliùs munera terna obtulisse, copiosius tamen de eo quod in regione illa nativum erat, atque ita Melchiorem ex Arabia felici aurum obtulisse ut Regi, Gasparem ex Perside myrrham ut homini mortali, Balthazarem ex Saba metropoli Æthiopiæ thus ut Deo; unde Juvencus: *Thus, aurum, myrrham, Regiq; Hominiq; Deoq; dona ferunt.*

Punct. III. Consid. 1. Qua modestia & gratiarum actione Deipara hæc munera acceperit, eaque mox partim divino cultui, partim usibus pauperum consecrarit, reliquū in domesticas necessitates reservans. 2. Christum etiam æterno Patri obtulisse aurum caritatis, thus cultus & religionis, myrrham passionis. 3. Tu offer etiam Christo tres virtutes Theologicas, tria vota Religionis, item aurum caritatis, thus orationis, myrrham mortificationis: tres insuper animæ potentias, quasi tria vasa vacua ab ipso implenda. 4. Christum minimè passum se ab his Regibus liberalitate superari, sed pro Majestatis suæ excellentia reddidisse singulis pro auro cælestem sapientiam, pro thure affectum devotionis, pro myrrha incorruptionem à peccato deinceps saltem graviori, atque ita cum ampla benedictione, porrectis ad osculum manibus eos dimisisse.

Punct. IV. Responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Cons. 1. Hunc, inter cetera, Reges hos fructum referre visitationis suæ ac munerum, nempe Angelicam monitionem de insidiis Herodis sibi paratis declinandis: quare cum hisce etiam fuge tu occasiones lapsus. 2. Sicut illi *per aliam viam reversi sunt*; ita & tu à Deo illuminatus non ampliùs per viam latam mundi ac priora peccata, sed per arctam & imitationem virtutum Christi ad cælestem patriam tende.

OCTAVA EPIPHANIÆ. 13. Ian.

Anno 31. Mart. 2 in Bethania ad Jordanem.

Alterum Ioannis de Christo baptizato testimonium. Ioan. 1.

P*Unct. I. Vidit Ioannes Iesum venientē ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatū mundi.* Consi. 1. Christum postridie ad Joannem iterum prædicantem trans-Jordanem, & in eo turbas undique ad se confluentes baptizantem, iteratò accessisse, ut scias eum suis opere pio occupatis & solatio & auxilio sæpè adesse. 2. Joannem conspecto Christo, mox digito eum palam omnibus demonstrasse, *Ecce*, inquit, *agnus Dei*, agnum compellat ob vitæ innocentiam, & mansuetudinem. 3. *Qui tollit peccatum mundi.* Significat Joannes Christum velut innocentem victimam immolandum pro peccatis non unius gentis, sed mundi totius, atque omnium pœnas in se expiaturum, *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, & ita divinæ justitiæ pro nobis satisfacturum, atque insuper remedia efficacia allaturum, quæ & quotidie præstat adversus omne peccatum originale, mortale & veniale, cordis, oris, & operis: hinc & Sacerdos quotidie in Sacrificio Missæ idem tertiò repetit, quo & significat triplicem Christi statum, agni, amabilis in pueritia, patientis in cruce, & regnantis in cælo, cui proinde gratias age. *Isa 53.6.*

Punct. II. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Consid. 1. Joannem hîc iterum excurrere in laudes Christi, ac se deprimere, excellentiam & opera ejus celebrare, ac sua extenuare, unde & tu discas idem facere erga proximum: & dum asserit eum sibi ab æterno Patre præpositum in gradu honoris, rationem subdit: *Quia prior me erat*, nempe dignitate in utraque natura, & æternitate divinæ. 2. *Et ego nesciebam eum*, significat Joannes se non habuisse notitiam de Christo, nequidem de facie, antequam eum baptizaret, aliam quàm tunc divinitus de eo accepisset, idque ne cognationi, familiaritati, gratiæ, vel affectui dare aliquid videretur: sic & tu lauda in veritate virtutes ac talenta aliena, citra adulationem. 3. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, velut à fonte fluenta donorum cælestium, *gratiam pro gratia*, ob gratiam ejus & merita, & nos accepimus gratiam singulis propriam, pro gratia legis veteris gratiam legis novæ, accepturi deinde pro gratia fidei & caritatis gratiam gloriæ cælestis.

Punct. III. Et testimonium perhibuit Ioannes dicens, quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Consid. 1. Christum licet triplici illustri signo à cælesti Patre palam declaratus esset Messias, apertione cæli, voce cælesti, & descensu columbæ, ac nunc iterum & sæpiùs deinde per Joannem, quem ut Prophetam suspiciebant, tamen à Judæis, neglectum, rejectum, & odio habitum fuisse. 2. Consid. Significari hîc, nos etiam per baptismum Spiritu sancto ejusque donis cumulandos, assumendos in filios Patris cælestis, ac cælum nobis aperiendum.

FESTO

FESTO S. PAVLI PRIMI EREMITÆ. 15. Ian.

PVnct. I. Consid. 1. S. Paulum Thebæum Eremitarum auctorem & magistrum anno ætatis 15. parentibus orbatum, lautoque instructum patrimonio, sæviente persecutione fidelium, relictis omnibus, se in Ægypti erêmo spelunca abdidisse, ibi Deo ac cælestibus divitiis colligendis liberiùs vacaturum: unde collige vitam eremiticam tot Sanctorum ex impia & iniqua persecutione primam originem accepisse. 2. Cons. ejusdem ibi vitæ asperitatem, cum dura humus illi pro cubili esset, fons vicinus potum præberet, palma verò victum & vestitum, inter quæ tamen animus ejus spiritualibus deliciis & solatiis abundabat: disce hinc etiam libenter ferre paupertatis incommoda.

Punct. II. Consid. 1. S. Antonium ætate nonagenarium secum in eremo dubitantem, num quis alius in ea, tamdiu ac tam perfectè Deo serviisset, ab eo monitum ut sanctiorem se in ea eremo degentem viseret, ac Paulum invenisse: ignotos utrimque se proprio nomino consalutasse & ad fontem considentibus corvum, qui Paulo quotidie panem medium adferre consueverat, tunc integrum detulisse, de quo gratias Deo pariter agentes: *Eia,* inquit Paulus, *Dominus nobis prandium misit, verè pius, verè misericors, 60. jam anni sunt cum accipio quotidie dimidij panis fragmentum, nunc ad adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annonam*: ubi expende Dei erga suos providentiam, cui in necessitate confide, ac de acceptis beneficiis gratias age. 2. Eos post sumptum cibum cum humilitatis certamine de fractione panis, persolutis Deo gratiis, totam noctem piis colloquiis ac divinis laudibus transegisse: excita & tuum hîc in iisdem fervorem.

Punct. III. Consid. 1. Paulum cognita divinitus imminente sibi laborum meta, id Antonio significasse, ac rogasse ut pallium ei ab Athanasio Episcopo relictum sibi adferret pro corpore suo involvendo, quod ille dum promptè exequitur, in reditu videt Pauli animam candore fulgentem inter Angelorum choros, inter Prophetarum & Apostolorum cœtus in cælum ascendere, post exactos in eremo annos 98. Hæc si te delectent præmia, etiam asperioris vitæ exempla imitare. 2. Consid. S. Antonium ad speluncam Pauli reversum, invenisse ibi corpus ejus exanime in speciem orantis, flexis genibus, erecta cervice, & extensis in cælum manibus: idque pallio obvolutum, persolutis more Christiano extremis precibus, in foveam à leonibus accurrentibus & complorantibus effossam, reverenter intulisse: disce hinc etiam Sanctorum corpora & reliquias venerari. 3. Tunicam ex palmæ foliis in modum sportæ contextam, ab Antonio deinde servatam, qua non nisi diebus solennioribus indueretur, atque hunc perspectis Pauli virtutibus ita sibi displicuisse, ut suis diceret: *Væ mihi peccatori, qui falsi monachi nomen fero*: tu etiam aliorum virtutes suspice, ac vilem vestitum pro Christo ne erubesce.

Anno 347. *æt.* 113.

FESTO

PUnct. I. Consid. 1. S. Antonium Ægyptium nobilibus & Christianis parentibus natum, iisque in adolescenia orbatum, cum ingressus Ecclesiam audivisset ex Euangelio legi: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me*, mox his monitis Christi tanquam ad se datis obtemperasse: tu vide qua promptitudine pia monita exequaris. 2. Eum erogato in pauperes patrimonio, curisque terrenis liberum, in virrutum studia totum incubuisse, sic ut in visendis eremitis varias virtutes, in quibus eos excellere advertebat, instar apis sibi mox exprimendas deligeret. 3. Eum noctes integras sæpè in oratione transigere solitum, cum ea vitæ asperitate, ut non nisi salem ad panem adhiberet, sæpè biduum triduúmne jeiunus transigeret, sitim non nisi aqua extingueret, somnum humi ex necessitate tantùm caperet: unde disce corporis commoda moderari. Matt. 19. 21.

Punct. II. Consid. 1. Antonium in hoc virtutum studio minimè immunem fuisse à tentationibus dæmonum, sed magis exagitatum: utque adversùs eos se magis muniret, etiam in eremi solitudine sedem fixisse, sed nec hîc ab iisdem liberum, erecta semper in Deo fiducia, invictum perstitisse. *Si consistant*, inquit, *adversus me castra non timebit cor meum.* 2. Eum frequenti victoria in hoc certamine ita in Deo confisum, ut dæmonibus per contemptum imbecillitatem exprobraret: ita sibi diffisum, ut cum omni cautela & circumspectione adversùs eorum insidias sibi incedendum statueret: maximè cum cognovisset laqueos, quibus totum mundum obtectum viderat, humilitate evadi. Psal. 26. 3.

Punct. III. Consid. 1. S. Antonium ita fuisse dæmonibus formidolosum, ut multi per Ægyptum illis agitati, invocato nomine Antonij liberarentur: quid igitur non valebunt sacra nomina *Iesu & Mariæ?* ac tantam fuisse famam ejus sanctitatis, ut Reges ac Principes, atque inprimis Constantinus Imperator ejusque filij se suaque precibus ejus per litteras enixè commendarent, ejusque salutaria monita thesauri instar reservarent. 2. Eum suis pia documenta, quæ sibi utilia cognoverat, studiosè inculcasse, nominatim ut quemvis diem velut conversionis suæ primũ, & vitæ ultimum instituerent, perfectionem sectantes magis exosos esse dæmonibus, adversùs quos remedia suggerens: *Mihi credite*, inquit, *fratres, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, & humilitatem, maximè verò ardentem amorem in Christum, cujus unico crucis signo debilitatus aufugit.* 3. Eum tandem indicto sibi à Deo militiæ fine, post annos 90. divino cultui constanter impensos, cum hilaritate vultus inter præsentes Angelos expirantem, ab eis ad cælestes triumphos gloriosè deductum: ubi expende illud Apostoli: *Non coronatur, nisi qui legitimè certaverit.* Anno 356. æt. 105. 2. Tim. 2. 5.

FESTO CATHEDRÆ S. PETRI ROMÆ. 18. Ian.

& Antiochiæ. 22. Februar.

PVnct. I. Conſ. 1. S. Petrum poſt cõmunicatam primùm Judæis, exemplo Chriſti Magiſtri ſui, lucem Euangelicam, ſed à paucioribus receptam, & diſtributas reliquas orbis partes in Apoſtolos, ſe in Syriam, ibique ceterarum urbium Principem Antiochiam contuliſſe, ut dum electus à Deo populus veritatem rejicit, ea infideles illuſtrentur: in quo Dei ſimul & juſtitiam erga Judæos, & miſericordiam erga gentiles agnoſce.
Anno 36. 2. Fixa igitur ſede Antiochiæ, eum ibi in principio varias ærumnas perpeſſum, vinctum, illuſum, contumeliis & opprobriis laceſſitum, conſtanti manſuetudine ac zelo, ſenſim diſcuſſis errorum tenebris, plurimos ad Chriſti fidem perduxiſſe, converſis maledictis in obſequia & veneratio-
Act. 11. 26. nem, *ita ut cognominarentur primùm Antiochiæ diſcipuli, Chriſtiani*: hinc collige in ſalute animarum procuranda non cedendum difficultatibus occurrentibus. 3. Solennitate Cathedræ recoli annuam memoriã collati à Chriſto in Petrũ Principatus Eccleſiæ, quem cœpit Antiochiæ per orientẽ in infideliũ cõverſionem & ſalutẽ extendere, de qua illi & Chriſto gratulare.

Punct. II. Conſ. 1. S. Petrum poſt exactos Antiochiæ annos 7. in Eccleſiæ regimine, divino monitu Romam progreſſum, ibique fixam ſedem,
Anno 43. poſt 25. annorum indefeſſos labores & moleſtias, etiam ſanguine ſuo ſucceſſoribus in perpetuum firmaſſe, ut ea quæ Caput fuerat orbis imperio Politico, emineret etiam imperio ſacro; unde per orbem reliquum jura diffunderet, ac nominatim Occidentem de propinquo clariùs illuſtraret: in quo & fidei tibi collatæ beneficium agnoſce. 2. Romam tunc fuiſſe à Dei cultu maximè alienam, cum ipſa omnium gentium Domina, omnium ſerviret erroribus, unde facta eſt, Dei commiſeratione, prima diſcipula veritatis: hinc collige neminem eſſe adeò vitiis immerſum, quin accedente benigno Dei aſpectu poſſit reſurgere, ſi collaboraverit. 3. Sicut Chriſtus in titulo Crucis ſuæ litteris Hebræis, Græcis, & Latinis Rex fuerat promulgatus: ita & voluiſſe eum in regnum Eccleſiæ ſuæ primùm Judæos, Græcos, & Latinos tanquam nationum Principes adducere.

Punct. III. Conſ. 1. Ab hoc Romano & ſupremo Capite ſpiritualem vitam in omnes ſubditos derivandam, ſic ut ſiquis ſe ab eo ſeparaverit, vita gratiæ frui non poſſet. 2. Caput hoc Eccleſiæ eſſe unicum, ita ut ſicut humanum corpus uno regitur capite, grex uno paſtore, navis uno navarcho, exercitus uno Imperatore, regnum uno Rege, aliàs omnibus perturbandis: ita & Eccleſia unius Romani Pontificis aſpectabili præſentia & ſapientia regatur, cui omnes debitam obedientiam & reverentiam præſtent. 3. Nec tantùm unicum eſſe ſed & perpetuum, perpetua poſtero-
Matt. 28. 20 rum ſucceſſione ad finem uſque mundi continuandum: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.*

Vide alteram de Evang. Feſto Cath. Antiochiæ. 22. Febr.

FESTO SS. FABIANI ET SEBASTIANI. 20. Ianuar.

PUnct. I. Consid. 1. S. Fabianum patria Romanum, pietatis obsequiis inprimis deditum, cum fortè Ecclesiam S. Petri Romæ ingrederetur, ubi de novo Pontifice in defuncti locum surrogando agebatur, columba de cælo in caput ejus delapsa, visum divinitus ad id munus designatum, adeo ut conversis in eum omnium oculis & animis uno ore Pontifex proclamatus, & unanimi consensu creatus sit: unde collige divinæ providentiæ singulariter curæ esse electionem supremi Capitis Ecclesiæ, atque etiam inferiorum Prælatorum, ut idonei substituantur. 2. Ostendisse eum in munere suo zelum divini honoris erga Philippum Imperatorem, quem in Paschali solemnitate Ecclesiam subire parantem vetuit progredi, nisi publica sua peccata priùs publica pœnitentia expiasset, quod ille non minori submissione præstitit. 3. Eumdem zelum impendit in pluribus templis eversis restaurandis, & novis erigendis, pluribus etiam decretis ad salutem fidelium: dum tandem Decio Imperium occupante, & in Christianos sæviente, ipse inter alios plurimos anno Pontificatus sui xv. martyrij lauream consecutus est. *Anno 250.*

Punct. II. Consid. 1. S. Sebastianum natum in Gallia patre Gallo, & matre Mediolanensi, ibique postea educatum, ob sanguinis nobilitatem, militarem fortitudinem, & prudentiam Imperatori Diocletiano inprimis charum, ideoque ab eo dignitate Tribunitia atque urbis Præfectura donatum, Christianam fidem aliasque virtutes militari sago texisse: unde disce etiam virtutes tuas prudenter tegere, suo tempore pro Dei gloria declarandas. 2. Quamvis Martyrij pro Christo subeundi desiderio summè flagraret, tamen cum magis è divina gloria futurum existimaret, si affectui huic suo ad tempus moderaretur, zelum hunc suum erga proximi salutem strenuè impendisse, potissimùm in Christianis pro fide Christi vinctis solatio & opibus sublevãdis, ac nutãtibus cõfirmãdis.

Punct. III. Consid. 1. Eum de his tandem delatum ad Imperatorem, atque ab eo accersitum, cum nec minis, nec promissis, nec exprobrata ingratitudine post tot beneficia ab eo accepta, de fide Christi à quo ampliora accepisse se meminerat & expectabat, dimoveri posset, jussum palo alligatum à suis militibus, quibus cum potestate præfuerat, sagittis configi, interim psalmos & hymnos Deo canentem pro parata sibi martyrij palma. 2. Inde omnium opinione mortuus, tamen sibi infra paucos dies restitutus, Imperatori obviam progressus, eum impietatis & erroris confidenter redarguit: qui ad conspectum illius velut redivivi perculsus, novoque furore mox succensus, imperat eum fustibus atrociter cædi, dum spiritum exhalaret: atque ita velut bis Martyr martyrij coronam obtinuit, beneficus deinde è cælo in clientes suos ægros, ac nominatim peste infectos sanitati restituendos. *Anno 287.*

PVnct. I. Consid. 1. S. Agnetem Virginem Romanam à prima ætate in Christiana fide educatam, luculenta futuræ sanctitatis jam tum dedisse prælusia; certabat namque in ea cum nobilitate modestia, cùm divitiis studium paupertatis, cum gravitate comitas, cum tenera ætate prudentia ac magnanimitas. 2. In Christi passione ac doloribus recolendis cum singulari pietatis affectu assiduè versabatur; unde illum oblato virginitatis voto jam sibi in Sponsum delegerat, cui ut & fidem suam effuso sanguine probare posset unicè anhelabat: ac vicissim ab eo velut Sponsa cælestibus donis & gaudiis cumulabatur.

Punct. II. Consid. 1. Eam deinde à Romani Prætoris filio in matrimonium enixè expetitam, & ipsum, & conjecta ab eo in sinum suum plurima pretiosa munera, velut ignem aut anguem generosè rejecisse: *Discede*, inquit, *à me pabulum mortis, quia jam ab alio amatore præventa sum, qui annulo fidei suæ subarrhavit me, & tanquam sponsam decoravit me corona, & immensis monilibus ornavit me*: atque hinc disce terrena præ cælestibus contemnere. 2. Exponebat hujus sponsi sui potentiam, ac venustatem: *Ipsi sum desponsata, cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur.* Verborum suavitatem: *Mel & lac ex ejus ore suscepi, & sanguis ejus ornavit genas meas.* Divitias: *Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum respondit.* Unde & concludit: *Ideoq; ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo, quem cum amavero casta sum, cum tetigero munda sum, cum accepero Virgo sum*: ubi expende quàm indignum sit à tali Sponso recedere. 3. Prætori verò, suscepta caussa filij, novis machinis tum blandis tum minacibus pudicitiam suam tentanti pari constantia reposuit. *Et hæc sponsi injuria est expectare placituram.*

Punct. III. Consid. 1. Eam machinis omnibus superiorem, jussam primùm os pugnis contundi, inde ad prostibulum, ut violaretur, damnatam, intrepidè respondisse: *Mecum habeo custodem corporis mei Angelum Domini*, ac mox *ingressa turpitudinis locum Angelum Domini præparatum invenit*: hinc disce Angelo custodi curæ esse observantiam castitatis. 2. Ingredientes ad se affectu libidinis, ad Christi fidem & castitatis amorem convertit, procum verò quia in malo obstinatum ab Angelo morte percussum, ipsa vitæ restituit, qui & inde vitæ auctorem Christum palàm agnovit. 3. Parente licet miraculis commoto, tamen ex metu humano Vicarium munus alteri cedente, ab hoc flammis adjudicata, dum ab his læduntur adstantes, ipsa illæsa expansis manibus Deo gratias agit. 4. Tandem jussa gladio guttur transfigi, tremente ac pallente carnifice, ipsa impavida stetit, oravit, cervicem inflexit: ubi expende in tam tenera ætate soliditatem virtutum. 5. Consi. eam octavo post die parentibus suis ad tumulum in luctu & oratione persistentibus apparuisse cum Virginū choro, & agno, eosq; solatam: *Congaudete mecum, & congratulamini quia cum his omnibus lucidas sedes accepi.*

Anno 260. 41. 13.

FESTO

FESTO SS. VINCENTII ET ANASTASII. 22. Januar.

PUnct. I. Consid. 1. S. Vincentium Hispanum à prima ætate virtutum ac litterarũ studiis deditum, atque inde sacrarum litterarum scientia excultum, sub S. Valerio Cæsar-Augustæ Episcopo Diaconum, ei in concionibus potissimùm strenuum fuisse auxiliatorem, & acerrimum Christianæ fidei propugnatorem, ideoque cum ipso pariter comprehensum & vinctum Valenciam abductum, à lictoribus in itinere diris modis divexatum, insigni patientia constantiæ ampliori prælusisse. 2. Eos Valenciæ in tætrum carcerem conjectos, inedia conficiendos, sed ibi cælestibus deliciis à Deo refectos, qui quò magis sæviebat tyranni immanitas, eò suam in eos benignitatem pleniùs effundebat, ac velut aurum in igne integrum magis illustrabat.

Punct. II. Consid. 1. S. Valerio Episcopo grandævo in exilium relegato, omnem tyranni furorem se in Vincentium effudisse, ac proinde primùm in equuleo atrociter extensum, & membris omnibus laceratum, inde toto corpore velut incudem fustibus percussum, Deo interim laudes decantasse, ac lictorum derisisse segnitiem, de quo S. August. *Si consideretur in ista passione humana patientia, incipit esse incredibilis, si agnoscatur divina potentia, desinit esse mirabilis.* 2. Invalescente tyranni rabie, in ardentem subjectis prunis cratem conjicitur, inde cruci suffixus accensis facibus ustulatur: hinc acutis testarum fragmentis instratus, cælesti luce carcerem illustrante, pristinæ sanitati restituitur, & Angelorum conspectu ac concentu recreatur. 3. Quem tormenta nulla vincere potuerant, tyrannus iterum blanditiis aggressus in molli culcitra jubet collocari; unde etiam invictus ad cælestia gaudia evolavit: disce cum hoc etiam mundi machi- *Anno 303.*
nias generosè vincere, qui ut ait S. August. *Blãditur ut decipiat, terret ut frãgat.*

Punct. III. Consid. 1. S. Anastasium Persam à parente mago etiam magicis artibus institutum, ex delato in Persidem à Rege Chosroa spolio sanctæ crucis, inter plura miracula inde patrata, etiam ipsum ejus vim salutarem expertum, sic ut ex Christiano aliquo fidei instructionem exposcens, eam avidis auribus & animis amplexus, deinde sacro baptismatis fonte ablutus sit. 2. Cùm cognovisset Christianorum aliquos perfectiorem vivendi normam in religione sectari, eò & ipse adspirans, per annos septem Jerosolymæ vitam monasticam insigni submissione, pietate, & diligentia in abjectis potissimùm muniis excoluit: inde Cæsareæ Philippi ut Christianus agnitus, & ad latomiam damnatus, post crudelia flagra cælesti etiam luce, & Angelorum præsentia recreatur, dum in Persidem missus, ibi post plures gravissimos cruciatus, cum aliis 70. Christianis strangulatus, & securi percussus martyrij palmam obtinuit: unde *Anno 628.*
quivis etiam peccator, si seriò resipuerit, ad salutis ac gloriæ æternæ spem provocatur.

Anno 36. Jan. 25 in via Damasc.

Paulus à Christo è cælo in via Damascena prostratus convertitur. Act. 9.

PVnct. I. Consid. 1. Quis & qualis fuerit Paulus ante conversionem, nobili Judæorum genere de tribu Benjamin natus in Tarso Ciliciæ metropoli, secta Pharisæus, indole excelsa, ideoque ad virtutes heroïcas magis idonea. Annorum jam 35. erat Hierosolymæ *spirans minarum, & cædis in discipulos Domini*, quo excitabat eum zelus insincerus pro lege Mosaïca, odium Christi, & invidia de constantia ac gloria Stephani: unde collige divinam bonitatem in tam indigno ad se vocando. 2. *Accessit ad Principem Sacerdotum* Caïpham, *& petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem*, ibi nempe plectendos. Attende curas ejus ac labores, ad legem Christi & se pariter perdendum, suscipit iter sex dierum, militum comitatu ductor ipse stipatus, ita vitia non sinunt hominem quiescere, sed semper ad graviora, ac tandem ad interitum propellunt, nisi divina bonitas occurrat.

Punct. II. Cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco, & subitò circumfulsit eum lux de cælo. Consid. 1. Hac luce quasi vibranti fulmine Paulum cum militibus perstrictum in terram prostratum fuisse, ut furorem ejus Christus pariter prosterneret, ad audiendam attentiùs vocem suam. 2. *Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?* Ubi Consid. Christi curam & affectum pro nova sua Ecclesia ac fidelibus defendendis, non ait: Quid hos, mihi vita cariores, sed me in ipsis persequeris? quare confide de tam benigni & potenti protectione. 3. *Qui dixit: Quis es Domine? & ille: Ego sum Iesus quem tu persequeris.* Ego sum Dominus tuus, tui amantissimus, pro te factus homo & cruci affixus, qui in nullo te læsi, imò quem persequor ego ad vitam cælestem ac regnum: & tu me in meis ad mortem? 4. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Pupugi te hactenus velut equum rebellem ac cervicosum tot miraculis, monitis, argumentis Stephani, inspirationibus internis, remorsu conscientiæ, & semper frustra, imo cum tuo damno, recalcitras potentiori te: quare nunc tandem cede.

Punct. III. Et tremens ob culpas promeritas, *ac stupens* ob tantam majestatem & potentiam, *dixit: Domine, quid me vis facere?* Ecce habes compunctum, subjectum, & resignatum tibi servum, libens succumbo, & transeo in castra tua. 2. *Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Noluit Christus Paulo per se ostendere viam salutis, sed per Ananiam Damasci discipulum, ut doceret nos, alios ab aliis instruendos, ad exercitium humilitatis, obedientiæ, & caritatis. 3. Et surgens *apertis oculis nihil videbat*, cæcitate percussus, ut cognosceret quanta esset gloria & potentia Christi, & oculum mentis colligeret ad ea quæ sunt salutis.

FESTO

FESTO CONVERSIONIS S. PAVLI. 25. Ian. P.II.

Anno 36. Jan. 25. in via Damasc.

PVnct. I. Consid. 1. Constans & accuratum Christi studium pro conversione Pauli, dum monet Ananiam Damasci discipulum, ut eum conveniat in fide instructurus: & opponenti sævitiam Pauli ex communi fama Christianis formidandi, reponit Christus: *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste*, instrumentum singulariter à me ex tot millibus, & præ omnibus Apostolis electum, idque propter generosam indolem ad ardua ferenda, & fortia agenda in fidei propagatione maximè idoneam, tum ob virginitatis adhuc servatæ integritatem. 2. Ad quid eligitur? *Vt portet nomen meum*, velut legatus nomen Regis sui, Doctor Auctoris, & vexillifer insigne sui Imperatoris. Quomodo? in corde per ardentem amorem, in ore per potens eloquium, in scriptis per solidam sapientiam, in opere per continuos & gravissimos labores ac passiones: idque apud populum tam gentilem, quàm Judaïcum, apud Reges, Principes, & Magistratus, æquè ac apud plebem, & subditos. 3. *Ego enim ostendam illi*, concedam, & experiri faciam, *quanta*, quam duca & aspera, *oporteat eum pro nomine meo pati*; nam summa gloria est dilectis concessa pati pro Deo, potiùs quam agere. 4. Quanta autem ipse deinde passus sit, *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*, refert ipse, & verbo complectitur cum ait: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantiùs plus omnibus laboravi.*

1. Cor. 7. 7.

1. Cor. 11. 24

1. Cor. 15. 10

Punct. II. Consid. 1. Recepto deinde per baptismum visu, & per cibum confortatus, *continuò in Synagogis prædicabat Iesum*, aliisque mirantibus subitam mutationem, ipse *multò magis convalescebat & confundebat Iudæos, affirmans quoniam hic est Christus.* 2. Consid. Implevisse etiam Paulum vaticinium de se dictum à Patriarcha Jacob: *Benjamin lupus rapax*, qui ut fuit ultimus Patriarcharum, ita & Paulus, ex eadem tribu, & ut ille à fratre Joseph singularibus privilegiis præ aliis fratribus affectus fuit, ita & hic à Christo præ aliis Apostolis. *Mane comedet prædam*, quando initio crescentis Ecclesiæ in eam sævìit velut lupus spirans minas & cædes, at *vesperi dividet spolia*, cum posteà fideles Ecclesiæ restituit, ipse velut agnus subjectus.

Gen. 49. 27.

Punct. III. Consid. 1. Hîc schema dari peccatoris seriò conversi; nam lux de cælo delapsa gratiam excitantem significat, prostratio adversitatem, vox Domini reprehensionem, stimulus remorsum conscientiæ, Ananias confessarium, cæcitas clausuram mentis circa terrena, receptio luminis agnitionem cælestium, jejunium triduanum satisfactionem pro peccatis, cibus denique confortans usum Eucharistiæ. 2. Consid. Coli peculiariter ab Ecclesia hanc conversionem, ut proponat eam peccatoribus in exemplum conversionis seriæ, utque pro ea Deo gratias agat, atque ipse etiam aliis eam impetret.

FESTO S. IOANNIS CHRYSOSTOMI. 27. Ian.

PVnct.I.Consid.1.S.Joannem cognomento Chrysostomum,sic dictum ob aureum eloquentiæ flumen, natum Antiochiæ, parentibus nobilibus ac opulentis, ab Episcopo ejus loci Christiana fide imbutum, hanc etiam parentibus suis persuasisse,sic ut eos multò nobiliori,quàm ab illis accepisset,vita donaverit. 2.Religiosæ vitæ stimulo sibi à Deo indito,nec fortunæ amplioris illecebras,nec matris viduæ preces,aut lacrymas moratum,Deo vocanti obsecutum, in monasterio humilitatem, vitæ austeritatem,mansuetudinem, orationis, ceterarumque virtutum studia cum sacræ scientiæ studiis ita junxisse, ut & miraculorum splendore, ac doctrinæ fama pariter inclaresceret, ac cælesti visione ad Sacerdotium vocaretur. 3. Mortuo interim Constantinopoli Patriarcha, in locum ejus, communi cleri ac populi rogatu, & Imperatoris Arcadij jussu, invitus & obluctans assumitur: ita sancti plerique præ munerum splendore, humilitatis latebras maluerunt.

Punct.II. Consid.1. Quomodo suscepto muneri impendere se strenuè cœperit, nominatim in depravatis moribus & nobilium vivendi licentia acriùs perstringenda, etiam Eudoxiæ Imperatricis injustitia, cujus proinde & plurium odium incurrit: unde disce ferventem zelum, & cave respectui humano Dei gloriam postponere. 2. Coacto deinde Episcoporum aliquot pravo conventui cum interesse fortiter recusaret,nitente inprimis Eudoxia, in exilium ablegatur: unde disce libenter etiam innocens calumnias, ac injustam depressionem pro Christo, & cum Christo pati. 3. Deo caussam suscipiente pij Præsulis sui, & ingratam urbem horrendo motu concutiente,probis omnibus adnitentibus,ingenti plausu ac solenni pompa ab exilio revocatur. Ita divina providentia suos ad tempus afflictos in lucem evehit.

Punct.III. Consid.1. Joannem nec plausu solennis reditus inflatū, nec exilij incommodis deterritum, quidquam de zeli fervore aut constantia remittere in vitiis increpādis,etiam Eudoxię ambitione:quare cū ingenti piorū luctu iterum exulare cogitur.Imitare & tu in virtute cōstantiam, sic ut nec prosperis animum extollas,nec adversis remittas. 2.Ad S. Basilisci Martyris tumulū enixiùs precatus, lætissimum ab eo accepit nuncium: *Ioannes frater crastinus dies nos loco conjunget*: quare postridie Eucharistiæ
Anno 407. Sacramento refectus,& crucis signo se muniens, animam Deo reddidit
14. *Sept.* laborum præmio donandam. 3. Impietatem in piissimū Præsulem Deus mox Constantinopoli pluvia lapidea ad communem horrorem,vindica-
*Hebr.*10.30. vit,& quatriduo post morte Eudoxiæ. *Mihi vindicta, & ego retribuam*: quibus aliisq; permotus deinde Theodosius Arcadij filius,sancti corpus insigni pompa Constantinopolim deportandū,& honorificè sepeliendū curavit, eo quo nunc in Ecclesia colitur die,ibique pro parentum suorum delictis supplex veniam petiit.

FESTO

FESTO PURIFICATIONIS B. MARIÆ. 2. Febr.

Anno 1. Febr. 2. Jerosol.

Christus in templo offertur die quadragesimo, & à Simeone cognoscitur ac prædicatur. Luc. 2.

PUnct. I. *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundùm legem Möysi, tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino.* Consf. 1. Licet parentes Christi unicè optarent illum, atque ille etiam se offerre æterno Patri in templo pro mundi redemptione; tamen expectasse eos patienter tempus à lege præscriptum, licet ea, sicut nec de oblatione facienda, minimè tenerentur: sed ut exemplum nobis darent ultroneæ humilitatis & obedientiæ, sine exemptione ulla aut excusatione: tu etiam in iis ad quæ anhelas, expecta tempus constitutum, & imple dies purgationis pro peccatis tuis hîc potius, quàm in purgatorio. 2. Obtulerunt illũ Domino, in gratam memoriam pro interfectis primogenitis Ægyptiorum, secundùm legem, & 5. siclis seu florenis redemerunt: tu offer Deo cor tuum, cum iis quæ maximè diligis, & custodiam 5. sensuum, ut sistere te aliquando possis in templo gloriæ. 3. Addiderunt hostiam purificatoriam similiter præscriptam, *par turturum, aut duos pullos columbarum*, quod cum munus esset pauperum, ditiores verò agnum offerrent, non erubuit Deipara paupertatem suam, ut ne & tu erubesceres tuam, in qua offer Deo cultum internum & externum, cum simplicitate, innocentia, ac fœcunditate bonorum operum per columbas designata. Lev. 12. 6. Exod. 13. 12. Num. 3. 47. Num. 18. 16.

Punct. II. Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon. Consid. 1. Ob quas virtutes hic Simeon Sacerdos meruerit Christum videre, nempe quia erat *justus*, liber à peccato graviori, & gratia ac caritate Dei & proximi præditus, deinde *timoratus* timens Deum offendere, quem credebat ubique præsentem, *atque expectans consolationem Israël*, non inanem aut transeuntem, sed solidam ac permanentem à mundi Salvatore præstandam, non sibi tantùm, sed omni populo Israëlitico, ad quam accensis desideriis sæpiùs anhelaverat. 2. Ideo etiam *responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.* Tu quot mandata Dei, quot inspirationes, quot regulas accepisti, totidem fuere responsa non visurum te mortem si ea observes, nam hæc fac, & vives.

Punct. III. Et ipse accepit eum in ulnas suas. Consid. 1. Quanta reverentia illũ exceperit, quo gaudio pectori admoverit, & oscula junxerit, *& benedixit Deũ*, gratias agens, & laudans de promisso jam præstito: petierat tantùm videre Christum, & obtinet contrectare & amplecti: ita Deus excedit suorũ desideria: at tibi insuper conceditur illum etiam ore, & corde excipere in Ven. Eucharistia. 2. Subjecit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbũ tuum in pace.* Paratus mori conspecto mundi Salvatore, nam facilè vitam & temporalia contemnit, qui gustat quàm suavis sit Dominus, ac similes *in pace* moriuntur: peccatores verò in bello cum Deo, & dæmonibus æternũ duraturo.

FESTO

FESTO S. AGATHÆ. 5. Februarij.

Punct. I. Consid. 1. S. Agatham Panormi in Sicilia natam, nobilitatis, opulentiæ, ac formæ, sed in primis castitatis & Christianarum virtutum laude florentem, ardentibus apud Deum precibus hæc duo beneficia sæpiùs expetiisse, ut & virginitatis florem integrum semper illi servare, & sanguinem pro fide ac amore ejus effundere aliquando posset, quòd utrumque gloriosè consecuta est. 2. Eam à Quintiano Siciliæ Prætore Catanæ ad nuptias expetitam, & evocatam comparuisse, sed precibus ac fiducia in Deum præmunitam, nullis ejus technis, aut blanditiis à proposito dimoveri potuisse. 3. Quare Prætor Virginem iterum ad se adductam aggreditur: *Nónne te pudet nobili genere natam humilem & servilem Christianorum vitam agere?* cui illa: *Multo præstantior est Christiana humilitas & servitus regum opibus ac superbia.* Offic. Eccl.

Punct. II. Consid. 1. Prætorem amore in furorem converso, optionem ei dedisse, vel ad cultum idolorũ, vel ad tormentorum vim subeundam: cui illa cum se ad tormenta quævis subeunda paratam promptè responderet, collapsis cæsam jussam in vincula conjici: illa autem *lætissimè & glorianter ibat ad carcerem, quasi ad epulas invitata.* 2. E carcere educta cum in sententia persisteret, in equuleo torquetur, admotis candentibus laminis: inde cum ei mammilla abscinderetur, ad Prætorem conversa, eum virili animo sævitiæ arguit: *Impiè, crudelis, & dirè Tyranne, non es confusus amputare in femina, quod ipse in matre suxisti:* atque ita virgineo sanguine suo perfusa in carcerem retruditur, ibi inedia conficienda. 3. Hîc nocte sequenti spectabilem se illi exhibuit S. Petrus Apostolus, laudans ejus constantiam, & curationem offerens: cui illa: *Quis es tu qui venisti curare vulnera mea?* ad quæ ille persona ignoti deposita: *Ego sum Apostolus Christi, nihil in me dubites filia, ipse me misit ad te, quem dilexisti mente & puro corde, & in nomine ejus scias te esse curandam:* atque ita, abeunte hoc, illa sentiens sibi mammillam & vires restitutas, Deo gratias persolvit.

Punct. III. Consid. 1. Eam quarto die integram è carcere reductam ad Prætorem, cùm ei miranti & exquirenti, se ope Christi per Apostolum Petrum sanatam respondisset, jussam in acutis testulis & candentibus carbonibus volutari. Quo tempore ingens terræ motus urbem concutiens duos intimos Prætoris familiares, supplicij auctores oppressit: in quo vindicem Dei manum etiam gentiles agnoverunt. 2. Prætor proinde veritus populi seditionem, jubet Agatham semi-mortuam in carcerem reduci, ubi illa expansis manibus sic Deum precata est: *Domine qui me custodisti ab infantia, qui abstulisti à me amorem sæculi, qui me carnificum tormentis superiorem præstitisti, accipe animam meam:* in qua oratione ad duplicem virginitatis & martyrij coronam evolavit. Tu disce ex Virgine castitatis amorem, & constantiam in ferendis pro Christo adversis. Anno 251.

FESTO

FESTO BB. PAVLI, IOANNIS, ET IACOBI
Soc. Iesu, sociorumque Martyrum Iaponensium. 5. Febr.

PVnct. I. Consid. 1. Japoniam regna amplius 60. Sparsis insulis sub uno Imperatore complexam, lumen fidei primùm per S. Franc. Xaverium accepisse: sed deinde Imperatorem à dæmone prosperis ejus successibus infenso instigatum ad fidem illam invalescentem supprimendam: atque hanc persecutionem per decennium, sine sanguinis tamen effusione protractam. 2. Acriùs verò sævitum posteà ab Imperatore Taicosama, qui Christianos omnes publico edicto quaquaversùm apprehendi & morte multari jussit, ad quam illi supra 300. millia velut ad nuptias anhelabant. *Anno 1548.*

Punct. II. Consid. 1. Apprehensos Meaci universim 26. ex iis 6. professos Ordinem S. Fräcisci, tres de Societate Jesu, ceteros pios fideles, omnes mox è carcere per civitatem carris devectos esse, prælata in tabula sententia & caussa mortis, ingenti solatio suo & gaudio, commiseratione Christianorum, atque Ethnicorum ludibrio. 2. Ad supplicij locum deductos ibi priùs de more tanquam infames abscissa aure multatos. Inde itinere dierum 20. potissimùm terrestri, per nives & glacialia frigora, variasque incommoda Nangazachum urbem Regiam deductos, insigni animi alacritate, Bongiis Japonum Sacerdotibus pre stupore & indignatione frendentibus ad rarum illud fortitudinis spectaculum. 3. Affulgente tandem optatissima illis luce, omnes numero 26. extra muros Nangazachi, in collis planitie, velut Calvariæ monte, crucibus totidem erectis, magna animi exultatione affixos, ac mox lanceis per latera transcussis, glorioso pro fuso sanguine martyrij palmam primos obtinuisse, quàm iis gratulare, & patrocinium implora ad imitandam eorum constantiam. *Anno 1597.*

Punct. III. Consid. 1. Ex tribus de Societate, primum *Paulum Michi* nobili loco in Japonia natum, post Theologica studia, & militaria exercitia Societatem ingressum, exactis in ea annis XI. ætate 33. Concionatorem eximium, ac zelo ferventi celebrem, jam cruci affixum, ex ea quasi nobilissimo suggestu, se Japonem ac de Soc. Jesu contestatũ, atque ob annunciatã Christi fidem morti addictũ, Deo de tam eximio beneficio non posse sufficienter gratias agere, hanc unicam esse ad salutem viã, & secundùm illam se libenter mortis suæ auctoribus & ministris ignoscere. 2. Alter *Ioannes Gotho* juvenis annos natus 19. in flore innocentiæ, indole candida, moribus integris, magnæ erat expectationis, & ardentis in omnes caritatis. Tertius *Iacobus Chizai*, annos natus 64. vir optimæ ædificationis, unique Deo in omnibus placere studens, meditationi passionis & crucis Christi singulariter addictus, uterque non à multo tempore Societati adscriptus fervore suo consummati multa tempora in brevi expleverunt, spectantes illud Christi: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* *Matt. 16. 25.*

FESTO S. APOLLONIÆ. 9. Februarij.

PVnct.I. Consid. 1. S. Apolloniam Virginem Alexandrinam, integerrimis moribus inclytam, singulari exemplo pietatis, modestiæ ac prudentiæ, omnisque virtutis palàm prælucentem, apud omnes gentiles æquè ac Christianos in veneratione & auctoritate fuisse: tanta est solidæ virtutis efficacia, ut etiam hostium animos penetret sibique conciliet. 2. Sed ut nihil in humanis stabile, magum deinde ibi aliquem malignis sociis instructum cives passim ad evertendam Christianæ fidei religionem, & adstruendum vanum deorum cultum seditiosè concitasse, atque inde Christianos gravibus procellis jactatos, alios direptis possessionibus in exilium actos, *rapinam bonorum cum gaudio sustinentes, scientes se habere meliorem & manentem substantiam,* alios vario cruciatuum genere imperterritos ad meliorem vitam translatos: mirare hîc illorum constantiam, eamque in minoribus pro Christo ferendis imitare.

Heb. 10. 34.

Punct. II. Consid. 1. Inter hos Apolloniam ætate non minùs quàm virtutibus maturam, quòd Christiana esset, comprehensam, cum ad idola sisteretur, eisque venerationem abhibere juberetur, generoso ac constanti animo unicum ac verum Deum Christum Jesum ab omnibus colendam prædicasse, ab hujus cultu numquam se recessuram, aliorum verò deorum falsa ac vana esse numina & nomina. 2. Hinc eam probrosis pugnis atque alapis peracerbè cæsam, sic ut omnes ei dentes contunderentur, ac revellerentur: cave tu illata tibi probra mox vindicare, ac dirosce Christianam mansuetudinem, quam Deus huic etiam in hac vita honore peculiari remunerari voluit, clientibus ejus pro dentium dolore patrocinium supplicantibus, opem & solatium impertiendo, prout innumeri deinde per Ecclesiam tot retrò sæculis experti sunt.

Punct. III. Consid. 1. Cùm nec probris ullis aut verberibus Virginis hujus constantia labefactari posset, impios carnifices incenso rogo comminatos ei, ut vivam in flammas injicerent, nisi à Christianæ fidei cultu recedens deos suos veneraretur; sed ipsam eadem constantia respondisse, se mortem quantumvis atrocem pro Christi sui amore subire paratam: & tu tam levia subinde pro eo subire detrectas? 2. Eam deinde animo præsenti, quasi deliberabundam quid sibi agendum, proposuisse inferorū incendia longè acriora ac perpetua, & Christi pro nobis in crucem acti tormenta acerbissima, atque hinc majori Spiritus S. flamma intus accensam, carnificum manibus elapsam, alacrem se in paratum sibi ignem injecisse, promptiorem ad mortem subeundam, quàm illi essent ad inferendam; unde brevi consumpto corpore purissimus spiritus ejus instar Phœnicis redivivus in cælestem gloriam sibi ab æterno præparatam ad duplicem martyrij ac virginitatis palmam evolavit: sic & tu sequere Spiritus S. directionem, ubi te ad agendum quid aut sustinendum pro Christo impulerit.

Anno 249.

FESTO

FESTO CATHEDRÆ S. PETRI ANTIOCHIÆ. 22. Feb. & Romæ 18. Jan. & SS Petri & Pauli 29. Jun. & S Petri ad vincula 1. Aug.

Anno 35. Julio Cæsaræ Pilil.

Christus Petro confitenti se promittit Principatum Ecclesiæ.

Matt. 16. Marc. 8. Luc. 9.

PUnct. I. *Interrogabat Iesus discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt, alij Ioannem Baptistam,* ob morum vitæq; innocentiam, *alij autem Eliam,* ob prædicandi libertatem & miracula, *alij verò Ieremiam,* ob caritatis & patientiæ præstantiam, *aut unum ex Prophetis:* Unde collige Christum ob raras virtutes passim apud homines in admiratione & veneratione fuisse. 2. *Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis?* quo ostendit, ut observat S. Hieronymus, discipulos esse plus quàm homines, ac majorem se ab iis scientiam requirere, ob meliorem instructionem, & diuturnam secum familiaritatem: hinc collige eminentiam status religiosi, & ab iis qui ad curam animarum destinantur, etiam requiri majorem scientiam & doctrinam.

Punct. II. Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Ubi Consid. 1. Petrum tanquam destinatum à Christo Caput Ordinis Apostolici: ita & zelo præcellentem, suo & aliorum nomine, promptè, clarè, & confidenter respondere: Tu es ille promissus à tot sæculis Messias, unctus unione hypostatica, & consecratus in supremum Regem cæli & terræ, Pontificem, ac Prophetam, nec proinde purus homo, sed simul naturalis Filius Dei, æternum viventis. 2. *Respondens Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Iona,* seu filius Joannis, *quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Ubi Consid. Petrum hîc à Christo singulariter beatum prædicari, propter factam illi non humana aliqua traditione, sed à cælesti Patre revelationem tanti mysterij, eamque non ociosam, sed fructuosam generosa confessione: tu hîc tuam etiam beatitudinem expende in Christi consiliis tibi manifestatis sequendis.

Punct. III. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Consid. 1. Christum Petro in compensationem tam generosæ libertatis in cõfitenda sua excellentia, vicissim exponere illi excellentiam & dignitatem à se decretam, ob quam aliàs nomen ejus Simonis in Petrum commutaverat, eò quòd super illo, velut petra immobili Ecclesiam suam esset fundaturus. 2. Exponit Christus petræ hujus perpetuam firmitatem: *& portæ inferi,* omnis inferorũ frequentia, potentia, & insidiæ, *non prævalebunt adversùs eam:* unde collige non defuturos hostes, qui Ecclesiam & fideles sint persecuturi, sed constanti resistentia, cum Dei auxiliantis gratia victoriam certò reportandam. 3. *Et tibi dabo claves regni cælorũ;* ubi decretam dignitatem explicat metaphora clavium, per quas Regibus oblatas, suprema eorũ potestas in regendis urbibus designatur; ita & illi cõferendam absolutam potestatem regendi Ecclesiam, & aperiendi fidelibus januam regni cælestis.

Anno 34. Maio Jerosol.

S. Matthias in locum Iudæ Apostoli sorte eligitur. Act. 1.

P*Unct.* I. Consid. 1. Turpem & horrendum lapsum Judæ, qui electus à Christo ad munus Apostolatus, in quo tanquam Christi domesticus ac familiaris sermones ejus sæpissimè audiverat, in schola ejus per plures annos instructus, præsentia ejus, quotidiana conversatione & colloquiis ad virtutem excitatus, ipse etiam aliis prædicaverat, miracula patraverat, ac dæmones è corporibus ejecerat; tamen avaritiæ vitio sensim magis succumbens, Magistrum sui amantissimum 30. argenteis vendidit, ac hostibus tradidit, docens nos exemplo suo non præsumere de donis acceptis, sed ea majori cautela & studio conservare. 2. Hinc docemur nullum esse, extra statum beatitudinis, ordinem aut locum adeò sacrum, ubi securitas à peccato sit, cum & in cælo Angeli, & in paradiso primi parentes, & in Christi familia Judas turpissimè lapsi sint. 3. Consid. Eos qui pluribus gratiis à Deo exornati fuerũt, cũ deficere incipiunt, in graviora deinde crimina labi, ac fieri cõmuniter ceteris deteriores, sicut Judas *factus est dux eorũ qui cõprehenderunt Iesum*, ac deinde desperãs laqueo se suspendit: ita ruina ex alto nocentior est, & ex vino optimo acetũ pessimũ. 4. *Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.* Hic fructus est avaritiæ, ut qui argentum immodicè concupierat, illud cõservare minimè potuerit, sed cum eo animam pariter & viscera æternùm crucianda effuderit.

Punct. II. Et statuerunt duos Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam. Ubi Consid. 1. duos hîc proponi Christi discipulos, ex quibus unus in locum Judæ sorte assumatur, quam sortitionem Deo probandam, atque ab ipso dirigendam, peculiari instinctu cognoverant, *sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperatur.* (Prov. 16. 33.) Quare *orantes dixerunt: Tu Domine qui nosti corda omniũ, ostende quem elegeris.* Unde & tu disce rebus deliberandis potissimùm gravioris momenti orationem præmittere, atque homines sępè falli in suis electionibus, vel ex pravo affectu, vel ex ignorantia interiorũ, quæ Deus ab omni vitio liber, in omnibus scrutatur, & penetrat. 2. *Et cecidit sors super Matthiã*; qui licet orationis & mortificationis studio, zelo, ac prudentia excelleret, alteri tamen non multũ pręstare videbatur; sed cum is esset Christo cõsanguineus, testatũ Deus omnibus voluit, in Ecclesiasticis dignitatibus, non spectandũ affectum carnis, sed merita. 3. Consid. quemque debere à Deo vocationem suã expectare, eaq; contentũ strenuè se muneri impendere, licet aliis postponatur: sic Barsabas licet postpositus, prædicationi tamen Verbi Dei insistens, atque in Palæstina Episcopus, post graves persecutiones à Judæis martyrium consummavit. (20. Iulij.) 4. Matthiam post Judæam Apostolico labore excultam, in Æthiopiam profectum, ibi ab idololatris post duras etiam persecutiones, lapidibus primùm obrutum, inde securi obtruncatum, martyrij palmam obtinuisse. (An. Ch. 60.)

Vide alt. de Euang. Com. Mart. xi.

FESTO S. THOMÆ AQVINATIS. 7. Martij.

PVnct. I. Consid. 1. S. Thomam illustri Comitum Aquinatium in Neapolitano Regno genere natum, à prima ætate pietati deditum, inde Neapoli humaniorum litterarum studiis insigni excellentia absolutis, ibi spreta mundi vanitate, Ordinem S. Dominici ardenti pietatis studio, ac divinæ gloriæ zelo amplexum. 2. Missum inde Parisios ad evitandas propinquorum hostiles machinas, in itinere à fratribus per vim raptum, & in castrum perductum, per biennium durè ac variè exagitatum, constantiam suam sic probasse, ut nec matris precibus aut lacrymis, nec sororum blanditiis, nec fratrum minis à divina vocatione abduci potuerit. 3. Castitatis insuper præclarum ibidem specimen dedisse, quando mulierem ad peccatum pellicientem arrepto titione generosè fugavit, eoque mox cruce in pariete formata, flexis ante eam genibus enixiùs Deum rogans, per quietem visus est sibi ab Angelo lumbos constringi: quo ex tempore omni postea libidinis sensu caruit: disce hinc fortiter etiam tentationi resistere.

Punct. II. Consid. 1. E biennali certamine tandem gloriosum, Coloniam pervenisse, ubi sub Alberto Magno Philosophiæ ac Theologiæ studiis vacans, non doctrinæ tantùm præ omnibus palmam tulit, sed & omnis religiosæ virtutis, pietatis, obedientiæ, submissionis, caritatis, modestiæ, & silentij. 2. Inde Parisiis annos jam natum 25. Doctorali laurea insignitum, utramque illam scientiam aliis tradere cœpit, cum omnium admiratione, cujus adeò eximiæ doctrinæ caussam attende: numquam se lectioni aut scriptioni dabat, nisi post orationem; in difficultatibus locorum Sacræ Scripturæ etiam jejunium adhibebat, unde & quandoque fassus est se quidquid sciret, non tam studio aut labore suo, quam divinitus accepisse.

Punct. III. Consid. 1. Eumdem plures Academias Parisiis, Bononiæ, Romæ, Neapoli, doctrinæ suæ excellentia, subtilitate, ac splendore illustrasse, cujus deinde radij per universam Ecclesiam diffusi sunt: sic ut Angelici Doctoris nomen meritò consecutus sit. 2. Neapoli cum ad imaginem crucifixi vehementiùs oraret, hanc vocem audivit: *Bene scripsisti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies? cui ille non aliam Domine, nisi teipsum:* quæ divina approbatio secundò, etiam in doctrina & officio de Ven. Sacramento, ei legitur accidisse: disce hîc magni æstimare hujus Sancti doctrinam, & cum eo non humana aliqua præmia doctrinæ tuæ sperare, sed divina ac Deum ipsum. 3. Tandem à Gregorio X. missus ad Concilium Lugdunense, in itinere æger ad monasterium S. Bernardi divertit, ubi imminentem sibi mortem præsentiens, *hæc requies mea,* inquit, *in sæculum sæculi,* animam Deo reddidit, pluribus miraculis in vita & post mortem clarus. *Psal. 131. 14.* *Anno 1274. æt. 50.*

PVnct. I. Consid. 1. S. Gregorium senatoris Romani filium re & cognomine verè Magnum, ob fortunarum, virtutum, gestorum, ac munerum magnitudinem, Philosophiæ ac Juris-prudentiæ scientiis priùs excultum, Prætorio munere Romæ functum: in vita sæculari ita se pietatis officiis impendisse, ut monasteria sex in Sicilia construxerit, & proventibus dotaverit, septimum verò Romæ in ædibus suis, ubi & ipse spreta mundi vanitate, divitiis reliquis in pauperes distrubutis religiosam vitam amplexus, singulari exemplo humilitatis, & observantiæ aliis præluxit. 2. Inde primùm in Abbatem quantumvis reluctans, deinde in Cardinalem assumptus, à Pontifice ad Imperatorem Legatus Constantinopolim, ibi Eutychium Episcopum resurrectioni corporum renitentem ita convicit; ut hic paulò post in morbum letalem lapsus, instante morte, pellem manu accipiens palam assereret: *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus.* 3. Romam reversus, in demortui Pōtificis successorem unanimi omnium consensu adlectus, omnibus quibus potuit studiis eam dignitatem subterfugit, dum tandem alieno vestitu in spelunca delitescens, indicio igneæ colūnæ divinitus deprehensus, Pōtifex consecratur.

Punct. II. Consid. 1. Eum in principio muneris Pontificalis Civitatem Romanam gravi ac diuturna lue propè exhaustam feliciter liberasse, quando indicta solemni cum Litaniis supplicatione, Deiparæ imaginem ipse circumferens, ad Castrum ubi pervenit, vidit Angelum ibi gladium vaginæ reddentem, in signum placati minimis, unde & Litanias majores per Ecclesiam deinceps indixit, ut offensum peccatis Deum B. Virginis & Sanctorum patrocinio placare, omnes addiscerent. 2. Primam deinde illi curam fuisse suiipsius in virtutum studio promovendi, ac nominatim humilitatem & modestiam cum zelo ac fortitudine jungendi, inde in familiam suam pietatis exercitia inducere, pravis vitiis civitatem expurgare, Schismaticos conciliare, Hæreticos in Africa, Hispania, Gallia, & Anglia Ecclesię restituere indefesso labore, atq; uberrimo cum fructu studuit: unde & disce divinæ gloriæ zelum à te ad alios extendere.

Punct. III. Consid. 1. Eum graves persecutiones ab Imperatore Mauritio, calumnias, ægritudines, & quæcumque adversa semper peccatis suis adscribere solitum, cum hæc etiam minima ob majora tamen accepta à Deo beneficia maximè ponderaret. 2. Honoris titulos omnes aversatus, *servum servorum Dei* se appellabat & in litteris præfigebat, quod & successores exinde secuti sunt: Ecclesiam sanctissimis institutis & legibus exornabat: studia ejus Deus etiam singulariter comprobavit, quando Spiritus sanctus in specie columbæ residere in capite ejus scribentis visus est. 3. Ea quæ scripsit & egit infirma semper & ægra valetudine, superant captum humanum: unde tandem plurimis miraculis editis, laborum præmia cum æterna quiete est consecutus. *Anno 604.*

FE-

FESTO S. IOSEPHI. 19. Martij.

Et Vigilia Nativitatis Domini. 24. Decemb.

In Nazareth.

Ioseph ab Angelo instruitur de Virgineo conceptu. Matth. 1.

PUnct. I. *Cùm esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Consid. 1. Deum, cum jam decrevisset ex Virgine carnem assumere, voluisse eam matrimonio jungi illæsa virginitate, tũ ne hujus violatæ infamia adureretur, tum ut fugiens deinde in Ægyptũ comitem haberet & solatium: unde collige paternam Dei providentiam omnia in bonum nostrum dirigentis. 2. Delegisse Deum ad Virginis hujus conjugem, ac Filij Nutricium, S. Josephum ætate florentem, vitæ verò sanctitate omnibus legis veteris præcellentem; nam sicut Mariæ eximia sanctitas rectè colligitur ex munere Deiparæ, ita & Josephi ex munere conjugis Deiparæ ac Nutricij ipsius Christi. 3. Mariam, cum adverteret Virgineum uterum à divina prole grandescente sensim intumescere, consciam sibi innocentiæ suæ, eventum omnem divinæ providentiæ commisisse, ut discas etiam nec laudes tuas jactare, nec aliorum de te sinistras suspiciones, aut falsas accusationes operosè purgare, sed cum fiducia Deo committere.

Punct. II. Ioseph vir ejus cũ esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Consid. 1. Eluxisse in hoc insignem Josephi virtutem, quòd, cum videret conjugem suam gravidam, nec tamen à se, qui virginitatem Deo pariter voto obtulerat, anxius & nescius quid suspicari, nollet tamen eam traducere in jus vocando, imò nec eam expostulando aut quærendo affligere, sed consulto sæpiùs in precibus Deo, decerneret tandem se subducere: Hinc disce defectus proximi non temerè & sine fructu referre, nedum aggravare, neque in dubiis præcipitare, sed Dei nutum oratione exquirere. 2. *Hæc eo cogitante, ecce Angelus apparuit in somnis ei dicens: Ioseph Fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Ubi Consid. Deum permittere quidem suis ad tempus tribulationes & anxietates, sed postea, probata constantia, quasi discussis nubibus serenitatem adferre.

Punct. III. Pariet autem Filium, & vocabis nomen eius Iesum. Consid. 1. Quanta mysteria hîc Angelus aperiat Josepho, nam præter conceptionem conjugis miraculosam, subdit ex ea filium nasciturum tot sæculis expetitum Messiam, unigenitum cælestis Patris, cui & ipse ex officio paterno nomen inditurus sit Salvatoris. 2. Consid. Quanto gaudio plenius Josephus accepto hoc nuncio ad Virginem accesserit, veniam de suspicione supplex rogaverit, & cum ea Deo pariter gratias egerit. 3. Hinc collige maximam fuisse auctoritatem Josephi, paternam nempè circa personam Filij Dei, maritalem verò circa Matrem Dei: qui si ante hoc conjugium tam singulari sanctitate eluxerit, quantùm profecisse existimandus erit ex tam diuturno tot annorum consortio cum Christo & Virgine, inspector virtutum utriusque & imitator?

FESTO

FESTO S. BENEDICTI. 21. Martij.

PVnct.I. Consid. 1. S. Benedictum nobili genere in Italia natum, Romæ liberalibus disciplinis eruditum, ibique mundi vanitatibus & periculis, quæ prospiciebat, rejectis, ut virtutum studiis totus vacaret, se in solitudinem ac speluncam recepisse, ibique triennio asperam quidem, sed cælestibus deliciis suavem vitam egisse. 2. Non defuisse tamen ibi diaboli machinas, subjicientis ei acres stimulos carnis, quos ut superaret, se in vepribus tamdiu volutavit, dum lacerato corpore, voluptatis sensus dolore opprimeretur, unde vita reliqua ab iis planè immunis remansit: tanti est vel semel fortiter tentationi resistere. 3. Inde in vicini Monasterij Abbatem, post reluctantiam ægrè assumptus, cùm eorum vivendi licentiam verbis & exemplis paternè corrigere studeret, hi ex prava consuetudine medicinam respuentes, venenum illi in potione offerunt, quod ipse, crucis signo poculum confringens, dissipavit, ac solitudinem repetiit: ubi adverte efficaciam signi Crucis.

Punct. II. Consid. 1. Increbrescente fama ejus sanctitatis, undique plurimos vitæ vanitatem pertæsos, ad eum confluxisse, monasticam sub eo vitam amplectentes, sic ut brevi 12. Monasteria exstrueret, eaque sanctis legibus communiret; imò & primates ac nobiles viros filios suos ad eum misisse in pietate ac litteris instruendos, quibus operam ipse suam perlibenter magno labore, zelo, ac fructu impendit. 2. Hinc in Cassinum montem profectum, destructo, quod adhuc ibi vigebat, simulachro Apollinis, incolas omnes Christianis præceptis instituisse, ac singularium virtutum exemplis plurimùm ædificasse. 3. Pernoctanti in oratione, luce cælesti subitò exorta, exhibuit Deus in lucis radio totam mundi machinam, quo significabat, ut S. Gregorius ait, ipsum & affectu esse extra mundum, & omnem hujus pompam instar puncti despicere.

Punct. III. Consid. 1. Plurimis ac stupendis miraculis sanctitatem ejus, adhuc in vita à Deo illustratam, inter cetera S. Maurum jussum ab eo succurrere Placido in vicino lacu submerso, ac posteà Martyri, accepta paterna benedictione, aquam pedibus calcasse, sociumque incolumem eduxisse. 2. Accedebat donum prophetiæ, quo arcanas suorum cogitationes & affectus iis pandebat, ac Totilæ Gothorum Regi post detectam armigeri simulationem, fata ac mortem prædixit, atque ad vitæ emendationem ferventer est adhortatus. 3. Etiam obitum suũ aliquot ante mentibus prędixit, jussoq; sepulchro sex diebus ante parari, die sexto in templum delatus, sumpta ibi Eucharistia, sublatis in cælum oculis orans, inter discipulos suos animam efflavit, quàm duo ejus religiosi pallio pretioso ornatam viderunt in cælum ascendere, stratamque inde in cælum viam, qua Regula ab eo præscripta significabatur, cum hac voce: *Hæc est via, qua dilectus Domino Benedictus in cælum ascendit.*

Anno 542. æt. 63.

FESTO

FESTO ANNUNCIATIONIS B. VIRG. 25. Mart. P. I. In Nazareth.

& Feria IV. Quat. Temp. in Adventu, Decemb.

Filius Dei nuncio Gabriele Archangelo in utero Mariæ Virginis incarnatur. Luc. 1.

PUnct. I. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, &c.* Consid. 1. Advenisse tandem tempus & horam tot sæculis desideratissimam, qua divina bonitas nostri miserta, id quod ab æterno decreverat, miseriis nostris gravissimis finem aliquando imponere, nunc per Filij sui incarnationem exequitur: quare gratias ei age de tam benigna cura salutis nostræ, & nominatim quod ante tempora nostra hoc opus peregerit. 2. Delegasse eum ad hoc nunciandum, Archangelum Gabrielem, quo nomine *fortitudo Dei* significatur, necessaria ad nos è dæmonum captivitate vindicandos: quem misit in Nazareth civitatem Galilææ ad Virginem Mariam nomine, quindecim jam annos natam, ac Josepho matrimonio junctam, è regia quidem Davidis stirpe cum conjuge descendentem, sed nunc ad inferiora pariter redactam: unde collige Deum non tam sanguinis quàm animæ nobilitatem spectare: tu si Angelico solatio frui velis, Virginis virtutes imitare.

Punct. II. Ave gratia plena. Cons. 1. Angelum ad eam ingressum uti communi salutandi formula *Ave*, seu *Pax tibi*, sed illam vocem ab Ecclesia assumptam, ut significaretur Virgo miserias nostras ab Eva prima parente invectas in supremam felicitatem conversura, *mutans Evæ nomen*: disce hinc Virginem cum Angelica puritate & reverentia salutare. 2. *Gratia plena.* Fuit quidem anima Christi etiam gratia plena, sed velut fons eam in omnes diffundens, Maria verò velut fluvius fonti proximus, ceteri sancti ut rivuli pro varia capacitate & munere. Hac autem Virginis plenitudine provocamur, ut ad eam in necessitatibus nostris confidenter recurramus.

Punct. III. Dominus tecum. Cons. 1. Adesse quidem Deum per immensitatem suam omnibus præsentem, sed favore ac beneficentiæ studio non nisi cum justis: singulariter autem hîc significari esse cum Virgine, propter singulare ac excellentissimum munus Deiparæ, ad quod eam delegerat: stude & tu, ut Deus favore ac protectione tua tecum sit, & permaneat: erit autem ipse tecum, quamdiu tu fueris cum eo per ferventem orationem, & observantiam voluntatis ejus. Etiam Virginem roga ut & ipsa in omni afflictione tecum sit. 2. *Benedicta tu in mulieribus.* Ab hominibus hujus sæculi benedicti ac beati prædicantur ij, qui divitiis, honoribus, ac voluptatibus terrenis putantur abundare, verùm hæc Virgo ab Angelo suprà omnes beata prædicatur, quia virtutibus emicat, ideoque in cælestis Regis Matrem electa est. Gratulare ei hanc tantam felicitatem, eamque roga, ut & te benedictionis suæ participem faciat.

J. Naza-reth.

FESTO ANNVNCIATIONIS B. VIRG. 25. Martij. P. II.

Et Feria IV. Quat. Temporum in Adventu.

Filius Dei nuncio Gabriele Archangelo in utero Mariæ Virginis carnem assumit. Luc. 1.

PVnct. I. Consid. 1. Mariam ab Angelo salutatam non verbis, sed verecundia respondere, idque proprium esse submisse de se sentientibus, ad laudes suas erubescere, ac virtutum suarum præconiis turbari, quæ uni Deo bonorum omnium fonti tribuenda agnoscunt. 2. Angelum depulso ejus timore caussam exponere prçconij sui, ac simul legationis: *Ecce*, inquit, *concipies & paries filium*, re ac nomine mundi Salvatorem: *Hic erit Magnus*, quia natura Deus, & officio Mediator Deum inter & homines, regnaturus in domo Jacob spirituali sive Ecclesia in æternum: Roga eum, ut & tu Magnus sis virtutibus coram illo, ac cum illo regnare deinde possis in cælo.

Punct. II. Consid. 1. Qua modestia Virgo auscultet, qua prudentia expendat verba singula, ac sollicita de Virginitate sua Deo per votum oblata, *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* præferens observantiam voti sui dignitati ac titulo Matris Dei: disce & tu castitatem constanter colere, ac pro nulla re mundi Deum offendere. 2. Reponit ei Angelus, hanc conceptionem & partum fore opus non humanum, sed divinum, purissimum ac sanctissimum, cùm ipse Deus potentia sua eam salva Virginitate sua sit fecundam effecturus: quo & nobis ipse fons puritatis, exemplum proponere voluit amandæ & amplectendæ castitatis.

Punct. III. Consid. 1. Illam, cùm nihil minùs cogitaret quàm se in Matrem Dei assumendam, felicem se ratã, si vel lambere vestigia talis Matris sibi liceret, hoc honoris nuncio nihilò magis elatã: ancillam se vocat, velut omnium minimam, talemque se obsequiis exhibere parata, non Deo tantùm, sed & omnibus domesticis ac subditis ejus. 2. *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Consid. Promptam obedientiam, qua se submisit divinæ voluntati, simul atque eam cognovit, idque in mysterio maximè arcano, & supra omnem captum humanum: unde & tu disce promptam & cæcam obedientiam, & offer te divinæ voluntati ad omnia sive prospera, sive adversa. 3. Consid. Dato hoc consensu, mox opera Spiritus sancti, cui divinæ erga nos bonitatis opera attribui solent, momento temporis formatum in utero Virginis ex purissimo ejus sanguine corpus humanum, membris suis omnibus instructum, eique infusam animam rationalem, ac Dei Verbum utrique unitum, atque ita hominem simul & Deum, Mediatorem nostrum apud cælestem Patrem extitisse: Pro quo adeò eximio beneficio tu cum ipsa Virgine Deo instanter gratias age, ac sic vive, ut illud tibi ad salutem æternam proficiat.

FESTO

FESTO S. FRANCISCI DE PAVLA, 2. Aprilis.

PVnct. I. Consid. 1. S. Franciscum de Paula, Paulæ Calebriæ oppido, loco humili natum, parentibus facto voto, patrocinio S. Francisci Minorum Patriarchæ à Deo datum: inde à prima ætate in pietate educatum, in adolescentia perfectionis Christianæ desiderio se in eremum recepisse, ibique annos sex orationum exercitiis ac vitæ austeritate Angelicam magis quàm humanam vitam duxisse. 2. Deinde multis ad eum, diffusa virtutis fama, concurrentibus, permotum fuisse, ut animarũ salutem solitudini præponeret; unde egressus cùm propè Paulam Ecclesiam cœpisset exstruere, in ejus area amplianda S. Franciscum patronum suum sibi apparentem hortatorem habuit, fiducia non vana: ubi etiam disce in operibus pietatis Deo confidere.

Punct. II. Consid. 1. Eum ibi etiam monasterium instituisse, sociis aliquot adlectis, illudque in humilitate potissimùm & caritate erga proximum & inter se fundasse. In quo ut ipse aliis esset exemplo, omnium se minimum existimabat, appellabat, & gerebat, atque ad infima humilitatis obsequia demittebat, suosque etiam Minimorum nomine appellari voluit: Tu hîc etiam indue affectum humilitatis. 2. Consid. Ejus vitæ austeritatem, nominatim in religione: rudi amictu, nudis pedibus incedens, humi cubabat, omni nocte flagris corpus severè excipiebat: ea erat abstinentia, ut semel in die tantùm post solis occasum corpus reficeret, ac tunc ad panem & aquam vix aliquid obsonij Quadragesimalis adhiberet, quam consuetudinem ut fratres sui toto anni tempore servarent, quarto eos voto adstrinxit. 3. Consid. Cum hac vitæ austeritate, quam ad ultimam usque senectutem produxit, singularem jungebat comitatem ac benignitatem erga omnes; unde omnibus se gratum exhibebat, ac nominatim Ludovico XI. Francorum Regi, à quo expetitus ut ægro sibi sanitatem restitueret, facilè ei persuasit, ut divinæ voluntati in ea ægritudine ac morte secutura acquiesceret.

Punct. III. Consid. 1. Multis ac stupendis miraculis sanctitatem ejus adhuc viventis à Deo testatam fuisse, è quibus hoc celebre quòd à nautis ob defectum nauli rejectus, cum socio è Calabria Siciliæ fretum strato pallio trajecerit: aliàs per medias flammas transivit innoxius, cæcis visum, mutis loquelam, ægris variis sanitatem, mortuis etiam vitam reddidit. 2. Tandem Turoni agnoscens paratam sibi laborum palmam, in templum delatus, ac sacra communione refectus, adhortatus suos ad virtutum studia, ac nominatim humilitatis & fraternæ caritatis, dictis illis verbis, *In manus tuas Domine &c.* spiritum Deo reddidit, ipso die veneris sacro, ac hora qua Christus suum Patri cælesti reddidit: Corpus verò ejus licet dies undecim inhumatum, Deus in testimonium perpetuæ virginitatis integrum servavit, etiam cum suavi odoris fragrantia.

Anno 1507. æt. 91.

FESTO S. MARCI EVANGELISTÆ. 25. April. I.

PUnct. I. Consid. 1. S. Marcum unum è 72. Christi discipulis, individuum S. Petri comitem, & cum eo Romam profectum, hujus monitu, sociorumque rogatu propter eloquentiæ facultatem scripsisse Romæ Latino sermone breve Euangelium, a S. Petro probatum, ejusque auctoritate per Ecclesias prælegi jussum: ita & tu ne difficilem te præbeas in iis quæ ad proximi salutem præstare pro viribus potes. 2. Consid. Eum post operam annis aliquot S. Petro, ut Patri ac Magistro strenuè impensam, missum ab eo in Ægyptum, ibique primùm Cyrene ac Pentapoli Barbaras illas gentes in superstitionem maximè pronas Euangelij sui luce cum insigni fructu illustrasse, permotas tum doctrinæ efficacia, tum vitæ sanctimonia, tum stupendis, quæ per eam Deus patrabat, miraculis.

Punct. II. Consid. 1. Eum deinde Pentapoli Alexandriam Ægypti Metropolim profectum, ibi Christianam fidem primum prædicasse, & iisdem præsidiis uberrimum fidelium fructum tum ex gentilibus, tum ex Judæis collegisse, primamque Ecclesiam S. Petri Magistri sui nomine insignitam exstruxisse: attende hîc & imitare singularem ejus zelum & labores, quibus Deus singulariter benedixit. 2. Ex novis hisce Christianis plurimos sanctioris vitæ ejus exemplo excitatos non acquievisse communi gradu Christianæ virtutis, sed de ejus directione in silvas & ardua montium se recepisse, ut ibi quietiùs ac perfectiùs uni Deo atque animæ suæ saluti vacarent. 3. Illos ibi primos sub ejus disciplina vitam instituisse Monasticam, cum observantia trium votorum, possessionibus
Act. 2. 44. in commune collatis, prout Jerosolymæ inter primos Christianos actum
Act. 3. 32. refert S. Lucas: eratque eis etiam *cor unum & anima una*, dies integros transigebant in studio orationis, ac piæ lectionis, silentio, modestia, submissione, atque ardua abstinentia.

Punct. III. Consid. 1. Gliscente invidia de tam felici progressu Christianæ disciplinæ, & idolorum Sacerdotibus in S. Marci necem conjuratis, ipsum Dominicæ Resurrectionis Festo die, ad aram Missæ Sacrificio intentum, injecto cervicibus laqueo abreptum, & per celebriora urbis compita fœdè raptatum, dum toto corpore laceratus sub vesperam in carcerem detruderetur. 2. Ea nocte ibi Angelico conspectu & solatio, inde etiam Christi præsentia & encomio recreatū, actis submissè gratiis, ad novos cruciatus se fortiter obtulisse, unde manè injecto iterum laqueo, per asperrima urbis loca inmani crudelitate raptatus, gloriosam animam Deo reddidit, cujus corpus Venetias deinde translatum, atque
Anno 64. honorificè conditum, ibi eximia pietate colitur. 3. Consid. Indictas hoc die Litanias majores tum in gratiarum actionem de cessante plaga mortis subitæ ex sternutatione & oscitatione, tum ad conservandas & promovendas terræ fruges alendis hominibus necessarias.

FESTO

FESTO S. MARCI. 25. Aprilis. II. & S. Lucæ. 18. Octob.

Anno 33. Octob. in Judæa.

Christus mittit & instruit discipulos 72. ad prædicandum. Luc. 2.

PUnct. I. *Designavit Dominus & alios 72.* Consid. 1. Sicut olim Moyses initio principatus sui, pro regimine necessariò 12. tribuum, elegit primùm ex singulis tribubus principes seu duces totidem, ac deinde substituit singulis senatores senos, universim 72. ita & Christum pro numerò tribuum totidem elegisse Apostolos, ac pro numero senatorum discipulos; inde verò sicut Apostolis successores excitavit Episcopos, ità & discipulis sacerdotes, ac viros religiosos: quare vocationis hujus dignitatem agnosce, Deo gratias age, ejusque missionem per superiores venerare & amplectere. 2. *Misit illos binos*, tum ad mutuam caritatem & pacem, tum etiam ad auctoritatem majorem & fidem, quod & religionum fundatores deinde plerique amplexi sunt: *Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* 3. *Ante faciem suam misit*, ut significaret se habere oculos intentos in ipsos, & ipsos debere vicissim oculos habere intentos in se, cum Davide: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.*

Num. 7. 22. & 11. 14.

Prov. 18. 29.

Eccl. 4. 10.

Psal. 24. 15.

Punct. II. *Messis quidem multa, operarij autem pauci.* Consid. 1. Christum proponere eis hîc materiam lucrandi animas copiosam, sed paucos esse qui se ob laborum & incommodorum molestiam seriò iis impendant: ubi argue acediam tuam, ac Deum roga, ut plures excitet salutis ac perfectionis, propriæ & alienæ studiosos, de quorum prospero successu gaude, & dole de adverso. 2. *Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Consid. Christum prædicere hîc suis persecutiones, ne iis posteà turbentur, suumque iis exemplum proponere, & auxilium promittere, dum dicit: *Ego mitto vos. Ne timeas à facie eorum, quia tecum sum, ut eruam te.* Hostes quibuscum certandum est, lupis comparat ferocibus & indomitis, sed simul arma suggerit, nempe agnorum innocentiam, & mansuetudinem, qua illos non tantùm superaturi sint, sed & in agnos conversuri.

Jer. 1. 8.

Punct. III. *Nolite portare sacculum, neque peram.* Consid. 1. Christum docere hîc eos modum in missionibus servandum, atque inprimis commendare iis studium paupertatis, fiduciam in divina providentia, ac diligentiam in opere, rejectis inutilibus distractionibus. 2. Promittit pacem ac benedictionem iis qui ipsos benignè excipient, maledictionem verò iis qui excipere detrectabunt: interim ipsos non frustrandos præmio laboris sui, conferendo non pro numero conversorum, sed pro caritate & studio impenso: unde S. Bernardus: *Requiritur à nobis cura non curatio, fac quod tuum est, Deus quod suum est curabit.* 3. Addit: *Dignus est enim operarius mercede sua*: quæ supra principalem in cælis reservatam, hîc etiam, ut in labore subsistant, liberaliter adjicitur.

FESTO S. CATHARINÆ SENENSIS. 30. Aprilis.

PUnct. I. Conſ. 1. S. Catharinam Senis in Hetruria pijs parentibus natam, à prima ætate piorum libellorum lectioni, ac cultui Deiparæ ſingulariter deditam, ſic ut per domeſticos gradus ſcalarum ſingulos ſalutationem ejus ſupplex pronunciaret, & obſequijs, modeſtiâ, ac morum integritate animos ſibi omnium conciliaret. 2. Virginitatis voto perpetuo ſe Deo obſtrinxit, quam ut ſervaret, vitæ auſteritati intenta, carnem catenâ ferreâ arctè conſtringebat, & flagris etiam ferreis quotidie ad horam & ultrà caſtigabat, jejunijs aliquando à die Cinerum, uſque ad Aſcenſionē Domini protractis, ſolâ Euchariſtiæ, cui unicè afficiebatur, refectione contenta. 3. S. Dominici inſtitutum amplexa, ampliores in omni virtute progreſſus fecit, ſilentij in primis maximè obſervans: aſſiduo orationis ſtudio eam cum Chriſto familiaritatem acquiſiverat, ut hic ſæpiùs ſpectabili forma ei apparens, etiam coram Deipara alijſque cælitibus eam in ſponſam ſingulariter aſſumere dignatus ſit, ac cæleſtibus favoribus magis quotidiè cumularet.

Punct. II. Conſ. 1. S. Catharinam à Chriſto edoctam vacare potiſſimū notitiæ ſui & Chriſti, ſuiq; curam ut Chriſto penitus cōmitteret, quod inſigni fiducia præſtitit, roborando animum ad proſpera omnia hujus mūdi, ac corporis commoda contemnenda: adverſa verò, quibus frequenter exercebatur, morbos, ac dæmonis tentationes fortiter ſuperanda. 2. Cùm aliquando fœdis tentationibus à dæmone divexata, de eo feliciter triumphaſſet, mox apud Chriſtum ſibi apparentem amanter queſta: *Ubi fuiſti Domine? cur me ſolam reliquiſti?* reſponſum ab eo retulit: *In corde tuo fui, certaminis tui ſpectator & adjutor.* 3. Calumnijs etiam ex impenſis caritatis obſequijs impetita, cùm ſe ad Deum innocentiæ ſuæ teſtem per orationem reciperet, Chriſtus ei apparens, duas coronas, dexterâ auream, lævâ ſpineam ut eligeret, obtulit: illa ſpineam mox apprehenſam capiti ſuo altè cum gravi cruciatu impreſſit, dicens: *Volo Domine in hac vita tibi ſimilis eſſe.*

Punct. III. Conſid. 1. Eam Chriſti præſentiâ & alloquijs ſæpiùs recreatam, juſſam aliquando cum illo deambulare, & pſalmos, quos antè non noverat, ſimul recitare edoctam. 2. Paſſioni Chriſti recolendæ cùm impenſiùs aliàs poſt ſumptionem Euchariſtiæ vacaret, vidit Chriſtum è quinque vulneribus, totidem radios in manus, pedes & cor ſuum diffundentem; ipſumque pro modeſtia ſua deprecans, ne eorum in ſe veſtigia relinqueret, ſolum doloris ſenſum, eumq; acerrimum retinuit. 3. Salutis proximorum ſemper fuit amantiſſima, ac pro viribus ſtudioſa, ſic ut nemo illam acceſſerit, qui non melior ab ea rediret, eoſq; religioſos qui ſe ſaluti proximorum impendebant, maximè ſuſpiceret, odia & capitales
Ann. Chri. inimicitias prudenter ſedaret, etiam Pontificum legationibus feliciter
1380. æt. 33. perfuncta: dum tandem Romæ puriſſimam animam in ſponſi manus commendans, Deo reddidit.

FESTO

FESTO SS. APOST. PHILIPPI ET IACOBI. 1. Maij. I.

P*Vnct. I.* Consid. 1. S. Philippum natum Bethsaidæ in Galilæa, inter primos Apostolos à Christo vocatum, quem ex frequenti lectione Scripturæ Sacræ, faciliùs cognovit promissum Orbis Messiam, mox pro zeli sui ardore, vocationis primitias Nathanaëlem Christo instruendum obtulisse: unde & tu disce captare occasionem zeli exercendi. 2. Quàm familiaris ei fuerit cum Christo consuetudo ob sinceram in primis pietatem, colligere licet tum ex eo, quòd Christus turbas in deserto pasturus, Philippum quasi in consilium adhibuerit: *Vnde ememus panes, ut manducent hi?* tum ex eo, quòd gentiles, post suscitatum à morte Lazarum, cupientes videre Christum, ipse ad eum adduxerit, tùm quòd in ultimo Christi sermone ad mentionem Patris cælestis, mox ejus videndi desiderio accensus peteret: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* 3. Post acceptum Spiritum sanctum, cùm illi superioris Asiæ provincia ad prædicandum Christi Euangelium obtigisset, primùm in Scythiam profectus, omnem propè illam gentem ab idolorum cultu ad Christi fidem adduxit: unde pari ardore ac constantiâ Phrygiam excolens, Hierapoli pro Christi nomine flagris primùm concisus, tum cruci affixus, lapidibusque obrutus, gratias Deo egit, quod sibi simili mortis genere cum Domino suo triumphare contingeret.

Ioan. 1. 46. *Ioan. 6. 5.* *Ioan 12. 22.* *Ioan. 14. 8.* *An. Chri. 54*

Punct. II. Consid. 1. S. Iacobum dictum Minorem, quia posteriùs altero Zebedæi filio ad Apostolatum vocatum, Christo sanguine cognatum, ac vultu simillimum, ideoq; fratrem Domini appellatum, cognomento justum, ob singularem vitæ sanctitatem, etiã perpetuam virginitatem Apostolico muneri junxisse: unde & disce tu vocationem tuam præclaris virtutibus stabilire. 2. Post acceptum Spiritum sanctum, Hierosolymis Episcopum creatum, mox Apostoli & vigilantissimi Pastoris officio strenuè fuisse perfunctum, in Iudæis plurimis ad Christi fidem convertendis. Emicuisse in eo potissimùm mortificationis & orationis studium, cui sic afficiebatur, ut ea pasci videretur, atque ex orandi assiduitate, genua illi instar duræ pellis camelorum occalluissent.

Punct. III. Consid. 1. S. Iacobum ob hanc vitæ sanctitatem in ea passim fuisse apud homines æstimatione, ut certatim fimbriam vestimenti ejus attingere contenderent, & in Sancta sanctorum, soli illi accessus daretur. 2. Eum post Ecclesiam Hierosolymis per annos 30. insigni zelo & fructu administratam, plurimis miraculis illustrem, propter prædicatum Christi Euangelium, lapidibus primùm appetitum, inde in templi fastigium adductũ, ut suã de Christo doctrinã corã frequenti populo retractaret, cũ ardentiùs eam inculcaret, ex alto præcipitatum, & confractis cruribus semivivum, elatis in cælum manibus, pro salute percussorum, Christi exemplo, deprecatũ: *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*; qua in oratione fullonis fuste graviter in capite percussus, animã Deo reddidit. *An. Chri. 62. æt. 96.*

FESTO

Anno 34. Martij 24. in cœnaculo.

Christus Apostolos tristes solatur. Ioan. 14.

PUnct. I. *Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite.* Consid. 1. Christum hîc Apostolos suos tristes ob ea quæ prædixerat de morte sua instanti, & illorum lapsu, hortari ne animis cadant, sed eos erigant & componant, cum tranquillitas animi fundamentum sit fortitudinis, eoque remedium addere firmam fidem in Deum & se, qua velut scuto adversùs ictus omnes sint muniti. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Armat eos etiam spe cælestis gloriæ, ejusque promissis solatur & excitat, amplitudinem proponit, ac diversos in eo gradus dignitatum, non perituros, sed permanentes, conferendos singulis pro mensura meritorum, sine ulla invidia de præcellentia, sed pari omnium gratulatione. 3. *Vado parare vobis locum.* Monet se abire non tam sua caussa, quàm illorum, quibus per mortem & ascensionem suam reseraturus sit cælum, ac missurus Spiritum sanctum, qui ipsos etiam eò paret. Et post hæc: *Iterum venio*, in morte cujusque & in extremo judicij die, *& accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.*

Punct. II. Ego sum via, veritas, & vita. Consid. 1. Christum hîc docere per observantiam doctrinæ suæ certò vitæ beatitudinem consequendam. Via est non fallax sed vera, ducens ad felicitatem non mundanam sed cælestem, non ad mortem sed ad vitam: via est per doctrinam, per exempla, per merita. 2. Veritas est, qui certò præstet ea quæ promisit: vita, qui non se tantùm, sed & suos etiam occisos vivificet æternùm: S. Bernardus: *Via est incipientium, veritas proficientium, vita perfectorum.* 3. Consid. Eum qui per viam graditur, debere semper viam habere ante oculos, ita & nos doctrinam, exempla, & merita Christi, & cavendum ne ab hac via pedes seu affectus animi avertamus: proponere quidem atque etiam spondere speciosa mundum, carnem, & diabolum, sed falsò, iisq; minimè credendum.

Punct. III. Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Consid. 1. Philippum avidum videndi Patrem cælestem primùm moneri hîc à Christo, quod sub disciplina sua triennali tam parum profecerit, nec cognoverit se esse Filiū Dei ejusdem naturæ cum Patre: hinc etiam collige indignum esse nos tanto tempore fuisse in schola Christi, nec magis profecisse. 2. *Philippe qui videt me, videt & Patrem,* docet eum qui se videt sive oculis corporeis, sive spiritualibus fidei aut gloriæ, etiam cognoscere Patrem: & rationem subdit, *quia ego in Patre, & Pater in me est.* 3. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Excitat eos Christus etiam splendore miraculorum, ad roborandam fidem, qua deinde quædam etiam Christi opera superarunt, cum locuti sunt linguis variis, cum ægros etiam umbra sua

Act. 2. 8.
Act. 5. 15.

sanitati restituerunt, ac multò plures cæcos & mortuos spiritu curarunt, quàm Christus corpore.

FESTO S. ATHANASII. 2. Maij.

Christus instituit Apostolos prædicatores, & monet contemnendam mortem temporalem. Matt. 10.

Anno 32. Julio in Galilæa.

PUnct. I. *Cùm persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Consid. 1. Christũ hîc prædicere suis persecutiones, ut animum adversùs eas præmuniant, & ubi sine proximi scandalo aut periculo poterunt, eas fugiendo declinent: quod & licitum est; nam *non negat Christum fugiendo, qui ideò fugit ne neget*, inquit Chrysostomus, & quandoque laudabile ac necessarium, ut alio loco uberiores fructus colligat. 2. *Non consummabitis civitates Israël, donec veniat Filius hominis.* Significat hîc Christus mansuros Judęos in errore suo usque ad extremũ suũ adventũ, interim gentes ad Ecclesiam convertendas: quare gratias Deo age de tua vocatione ad fidem præ multis aliis.

Punct. II. Non est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum: sufficit discipulo, ut sit sicut Magister ejus, & servus sicut Dominus ejus. Consid. 1. Christum hîc hortari suos ad tolerantiam persecutionem exemplo suo; neque ęquum esse, ut ipsi discipuli sui majorem plausum & honorem appetant, quàm Christus eorum Magister & Dominus. 2. *Si Patrem-familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus? Ne ergo timueritis eos.* Probat etiam ipsis expectanda probra & injurias, eaque exemplo suo fortiter & patienter toleranda.

Punct. III. Nihil opertum, quod non revelabitur: & occultum, quod non scietur. Consid. 1. Significari hîc & innocentiam piorum, & sævitiam impiorum aliquando publicè manifestandam, cum horũ ignominia, & illorum gloria. 2. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Hortatur eos ad generosum zelum, ut quæ à Christo privatim & per mysteria audierunt, ipsi deinde palàm & apertè per totum orbem alios confidenter edoceant. 3. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Monet, ut timorem mortis temporalis pellant timore mortis æternę, sicut sensus gravioris mali, leviori opprimitur.

Punct. IV. Consid. 1. S. Athanasium Alexandriæ Metropoli Ægypti nobili familia natum, à prima ætate pietatis officiis deditum, ea deinde sub S. Antonij disciplina pleniùs hausisse, dum juncto pariter scientiarum studio Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus & Patriarcha, acerrimum se exhibuit contra hæreticos, ac nominatim Arrianos Ecclesiæ defensorem. 2. De falsis criminationibus, quæ sæpiùs contra eum à malevolis adornatæ sunt, gloriosior semper triumphavit; ob varias & graves persecutiones coactus sæpiùs locum mutare, dum deniq; Alexandriæ multis defunctus periculis, post Ecclesiã illã annis 64. in sũma temporũ varietate fortiter administratã, laborũ præmia est consecutus: Ex eo disce certissimũ esse illud Apostoli: *Si Deus pro nobis quis contra nos?* *An. Ch. 371. Rom. 8. 31.*

PVnct.I. Consid. 1. S. Helenam post illustrem victoriam filij sui Constantini Imperatoris ab hostibus reportatam, ex conspecto in aëre crucis signo, cum hac Epigraphe: *In hoc signo vinces*, excitatam à Deo fuisse ad thesaurum illum sanctæ Crucis abditum conquirendum, ideoque insigni zelo & pietate se Jerosolymam contulisse: Tu oblatam tibi à Deo crucem saltem æquo animo admitte. 2. Ubi ad locum pervenit Montis Calvariæ, invenisse in eo Veneris statuam ad memoriam Crucis abolendam, quam generosa animi fortitudine cùm evertendam curasset, nullos humanos respectus reverita, altè defossa terra, sacrum thesaurum cum
A.Chr.326. duabus aliis crucibus latronum invenit, eumque miraculo à Deo declaratū, femina à gravi morbo ejus contactu per S. Macarium Jerosolymæ Episcopum subitò liberata, quò duæ aliæ cruces priùs adhibitæ nihil potuerant, ac pluribus deinde illustribus miraculis idem comprobantibus: Expende hîc gaudium quo perfusum fuit piissimum pectus hujus Imperatricis, ac tu etiam tribulationes, crucis signa disce cum gaudio accipere.

Punct. II. Consid. 1. S. Helenam curasse ibi mox Jerosolymæ magnificum templum extrui, in quo partem hujus sanctæ Crucis gemmis auroque ornatam, ad piorum cultum reliquit; alteram verò secum detulisse ad filium Imperatorem, Romæ deinde in templo, ad hujus sanctæ Crucis memoriam extructo, similiter fidelium venerationi propositam. 2. Consid. Constantinum Imperatorem, accepto hoc sacro pignore, signum ejus in majori deinceps honore habuisse, lege lata nequis in posterum supplicio crucis afficeretur, ut quæ Christo nobisque fuisset quasi currus triumphi & gloriæ, omnibus esset venerationi; unde & Regum coronas exornare cœpit, roborare in prælio milites, & monetis impressa in humano commercio omnia impetrare: quare crucem amplectere, &
Gal.6.14. dic cum Apostolo: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*

Punct III. Consid. 1. Hoc signum crucis debere etiam nobis esse maximè familiare, sicut & fuerat fidelibus a principio Ecclesiæ ad omnem actionem, ac dæmonis insultum; unde & meritò illa orat: *Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.* 2. Quia etiam *hoc signum Crucis erit in cælo,*
Matt.24. 30. *cùm Dominus ad judicandum venerit*, ut docet Ecclesia ex verbis Christi, maximo solatio, gaudio, & gloriæ tunc futurū iis, qui in eo fiduciā habuerint, & tribulationes per crucem designatas hîc fortiter & constanter sustinuerint. 3. Expende encomia Crucis apud S. Chrysostomum: *Crux*, inquit, *est spes Christianorum, resurrectio mortuorum, consolatio pauperum, refrenatio divitum, destructio superborum, pœna malignantium, triumphus adversus dæmones, spes desperatorum, periclitantium portus, requies tribulatorum, consiliarius justorum, virginum castitas, ægrorum salus.* Et S. Leo: *Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

FESTO

FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS. 3. Maij. II. A.31.Martij 28.Jerosol.

Christus Nicodemũ ad se nocte venientẽ instruit in mysterijs fidei. Ioan. 3.

PUnct. I. Consid. 1. Nicodemum miraculis Christi inter alios plures permotum ad credendũ in ipsũ, retardatũ tamen inde fuisse per bona fortunæ ac naturæ; erat enim dignitate præcellens, opulentus, & legis doctor, quare ausus non fuit tum ex pudore, tum ex timore Judæorum palàm Christum convenire; unde collige dona humana subinde esse impedimento ad salutem, eoq; per simplicitatem & humilitatem nos meliùs disponi. 2. Agnoscit Christum Magistrum suum, ac populo suo totique orbi à Deo datum, dicens: *Scimus quoniam à Deo venisti Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* 3. Attende eum nec rejectum fuisse à Christo ob temporis importunitatem, nec exprobratum ei timorem humanum, sed benignè admissum, & invenisse media nocte lucem quã quærebat, ac viã salutis, quã deinde constanter tenuit.

Punct. II. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Consid. 1. Doceri hìc Nicodemum à Christo necessitatem baptismi, ut qui per peccatum originale eramus spiritualiter mortui, per hunc spiritualiter renasceremur, & ex filiis Adæ peccatoris, efficeremur filij Dei, & heredes regni cælestis. 2. Confirmat Christus dictum suum, eò quòd vita & operatio sequatur naturam: *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Sicut carnalis homo carnalem vitam degit, ita renatus spiritu, spiritualem: quare adlaborandum ut hanc vitam conserves, nec perdas per peccatum mortale, aliàs statim per pœnitentiam resuscitandam. 3. Ostendit Christus baptismum, sicut & cetera fidei mysteria, non tam sensu percipienda quàm fide; ideoque nec curiosiùs esse scrutanda. *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat aut quò vadat*: sicut venti origo nobis ignota est, cujus tantùm sonus aliquis percipitur, ita & accidere in mysteriis fidei humiliter agnoscendis.

Punct. III. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Consid. 1. Christum statim hìc in principio edocere etiam Nicodemum mysterium crucis, eò quòd sciret nihil esse illa efficacius ad veram conversionem, & vitam sanctè instituendam. 2. Adfert Christus illustrem ejus figuram datam à Moyse, cùm post punitum populum *Num.21.5.* per ignitos serpentes propter murmurationes, pro eo Deum deprecatus, jussus est serpentem æneum in altum erigere, cujus conspectu à venenatis morsibus sanarentur: atque ita etiam se in specie peccatoris erigendũ in crucẽ, cujus viva fide sanarentur à morsu serpentis infernalis. 3. Cons. Necessitatem crucis, quam Christus hìc significat ex decreto Patris cælestis, *Oportet exaltari Filium hominis*, etiam nobis incumbere, quibus omnibus dictum est, ut *tollant crucẽm suam*: nam *non est alia via ad vitam, & ad veram internam pacem, nisi via sanctæ crucis & quotidianæ mortificationis.* *Matt.16 24* *Thom. à Kem,*

FESTO S. MONICÆ VIDVÆ. 4. Maij.

Punct. I. Consid. 1. S. Monicam Africanam honoratis & copiosis ortam parentibus, à prima ætate in pietate educatam fuisse, sic ut etiam noctes frequenter orationi impenderet, pauperibus juvandis mirè afficeretur, virginalem integritatem Deo dicare ardenter exoptaret, nisi parentum imperio ad matrimonium inflexa fuisset, disponente sic divina providentia, ut S. Augustinum Ecclesiæ pareret. 2. Illam moribus comem & benignam, maritum nactam durum & ira fervidum ac gentilem; unde licet frequentem & propè assiduam haberet Christianæ tolerantiæ & mansuetudinis materiam, numquam tamen de illo apud alios, teste Augustino, vel verbo questa est, adeò ut tandem illustrium virtutum exemplis, ipsum senio confectum etiam Christo conciliaverit. 3. Quantumvis filium Augustinum in pietate ac Dei timore educare studeret, cavere tamen non potuit, quin ille in flore juventutis, multis se vitiis, ac nominatim hæresi Manichæorum illaquearet, quæ animum piæ matris acerbè cruciabant; unde Augustinus: *Majori sollicitudine me parturiebat spiritu, quàm carne pepererat.*

Punct. II. Consid. 1. S. Monicam exegisse viduitatem in perpetua castitate, operibus misericordiæ, & assiduis orationibus ac lacrymis diu noctuque pro filij salute, sic ut loci Episcopus etiam ab ea pro filio interpellatus diceret: *Fieri non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat.* Cujus veritatem ipsa etiam cælesti viso edocta est: tu etiam deplora cæcitatem ac miserum statum peccatorum, nominatim qui curæ tuæ commissi sunt. 2. Augustinum ad altiores honorum gradus Mediolanum profectum pia mater secuta, ibique eum S. Ambrosij Episcopi familiaritate devinctum conspiciens, fiduciam in Domino roboravit: quare & filium hortabatur ut porrò pergeret Ambrosio adhærere, & hunc, ut in filij salute curanda incumberet.

Punct. III. Consid. 1. Augustino tandem anno ætatis trigesimo manus Deo dante, & ab Ambrosio prævia instructione baptizato, quibus gaudiis mater illa incesserit, longè magis quàm unici filij defuncti mater eo ad vitam corporalem revocato. 2. Eam cum filio jam bis suo, quem & mundo & cælo pepererat, Africam repetentem, ad ostia Tiberina, medij diei itinere Roma, dum navigandi opportunitatem præstolatur, ad feliciorem æternitatis portum desideria direxisse, de quo suavissimis & ardentibus cum filio colloquiis habitis, nihilque jam sibi in hac vita reliquum desiderabile reputans, velut grandævus Simeon completo desiderio in conspectu Salvatoris, febri correpta, unumque hoc filium precata, ut defunctæ matris animæ ipse suis etiam apud Deum precibus subveniret, ad cælestem portum feliciter abiit: unde & tu disce defunctis subvenire, nec fiduciam in Deo deponere.

An. 389. Æt. 56.

Vide in Evang. Dom. 15 post Pentec.

Festo S. Ioannis ante portam Latinam. 6. Maij. Vide festum S. Iacobi. 25. Iulij.

FESTO S. MICHAELIS ARCHANG. 8.Maij. & Sept.29.

Anno 33. Augusto Capharnai.

Christus discipulos de primatu contendentes docet humilitatem exemplo parvuli. Matt. 18. Mar. 9. Luc. 9.

P*Vnct. I. Accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis, putas, major est in regno cælorum?* Vbi Cons. discipulos Christi adhuc terrenis immersos persuasisse sibi, Christum hic in terris erecturum sibi suisque regnum splendidum & gloriosum, in quo optabat quisq; esse ei proximus honore, dignitate & auctoritate: quam eorum ambitionē refutat ipse tribus rationibus, eosque hortatur ad studium humilitatis. 1. Ex pœna superborum, quos ait cælesti regno excludendos: *Nisi conversi fueritis*, ab illo ambitioso desiderio præcellentiæ, *& efficiamini sicut parvuli*, humiles, simplices, & omnibus cedentes, *non intrabitis in regnum cælorum.* 2. Ex præmio humilium. *Quicumque ergo humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum*: significans illum fore majorem in cælis, qui se magis humilitate parvulis assimilaverit. 3. Ex conformitate secum infra omnes humiliato; unde subdit, *& qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit*, eamdemque à me mercedem accipiet: quare qui optat esse proximus Christo in gloria, studeat se cum illo hic infra omnes demittere.

Punct. II. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Cons. 1. Christum hic ostendere quàm isti humiles spiritu Deo cordi sint, quāq; graviter peccent, qui eos verbo, exemplo, vel iniqua afflictione avertunt à via virtutis, sic ut melius illis sit gravissimo supplicio hanc vitam finire, quàm Deum tam graviter offendere. 2. Inculcat peccati hujus gravitatem, & simul frequentiam, *Væ mundo à scandalis*, ob mala in hac & altera vita illis impendentia; *necesse est enim ut veniant scandala*, suppositâ nempè tanta hominum fragilitate & corruptione, quæ tamen quia libertatem peccandi non tollit, *væ homini illi, per quem scandalum venit.* 3. Subdit quo studio nobis scandala cavenda sint: *si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, & projice abs te.* Atque idem dicit de oculo eruendo, quo monet eos, qui nos avocant à Dei cultu, & præbent occasionem lapsus, licet aliàs maximè cari aut utiles nobis sint, tamen omni studio fugiendos.

Punct. III. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Cons. 1. Inculcare hic Christū peculiarem curam, quam habet humiliū, quos velut pupillā oculi sibi caros, vetat vel externo vel interno actu ab alijs deprimi aut affligi. 2. Et addit alterā rationē à præsidio Custodis Angeli; *dico enim vobis quia angeli eorū in cælis sēper vident faciē Patris mei, qui in cælis est*, quo monet angelos singulis hominibus à Deo adjunctos, cùm habitationē fixerint apud illū in curiâ cælesti, expposituros illi injurias cliētibus suis illatas, & acceptā ab eo potestate ulturos.

PVnct. I. Consid. 1. S. Norbertum nobilissimis parentibus prope Coloniam natum, in adolescentia liberalibus disciplinis eruditũ, posteà in aula Imperatoris ob morum comitatem ac naturæ dotes omnibus percarum fuisse: sed aulæ favoribus ac mundi vanitatibus, in quibus animi pacem minimè inveniebat, rejectis, sacerdotio initiatum, ac splendida veste cum pellicea melote commutatâ, totum se divino cultui & operibus pœnitentiæ tradidisse, atque inde altioribus scientijs excultum, ad populum raro fervore conciones habuisse. 2. Eum deinde Euãgelicæ perfectionis studio, abdicatis proventibus Ecclesiasticis, & patrimonio amplo in pauperes erogato, austeriorem vitam instituisse, sic ut semel tantùm de die, sub vesperam, cibo quadragesimali uteretur, nudis pedibus, & veste lacerâ, etiam sævienti frigore, incederet.

Punct. II. Cons. 1. Eum sic Romam profectum, post expositam ibi & probatam Gelasio Papæ vitæ suæ rationem, ab eo benignè exceptum, atque oblatos favores modestè deprecantem, potestatem, quam petebat verbi Dei ubiq; prædicandi, amplissimam accepisse, qua mox per vicos, & oppida, & urbes, potens verbo & opere ad plurimorum salutem usus est. 2. Eum Coloniam reversum à Deo monitum de novo Ordine religioso instituendo; pro quo & à Deipara vestem candidã, ad declarandum ipsius ac sociorum vitæ morumq; candorem, & à S. Augustino Regulam litteris aureis exaratam accepit, atque hinc in diœcesi Laudunensi loco deserto, qui Præmonstratus dicebatur, cum socijs 13. Ordinis Præmonstratensis fundamenta jecisse: unde collige religiosæ vitæ instituta Deo singulariter placere & curæ esse. 3. Antuerpiam accersitum, ibi nefariam hæresim Tanchelini per se suosque insigniter profligasse, peccatores ad pœnitentiam, dissidentes ad concordiam, quod & antè alibi præstiterat, magno zelo adduxisse.

Punct. III. Cons. 1. Eum, plurimis undique socijs confluentibus, iterum Romam profectum pro Ordinis sui confirmatione, quam ab Honorio II. tum Pontifice, cum alijs pluribus favoribus facilè obtinuit: sed cùm discessum inde pararet, divinitus Archiepiscopum Magdeburgensem designatum: quò, quantumvis reluctans, profectus, ibique ad Ecclesiam solenni ritu deductus, vili veste, ac nudis pedibus processit, docens medios inter honores humilitatem. 2. In munere hoc pastorali cœpit gregem suum verbo & exemplo pascere, corruptos mores insectari; unde improborum odijs in se concitatis, etiam ad necem à sicarijs subinde expetitus, divinitus ereptus est: ubi tandem post Ecclesiam illam zelo verè Apostolico annos 8. administratam, plenus virtutibus & meritis, clarus miraculis ac dono prophetiæ, candidam animam, quæ sub lilij imagine conspecta est, in cælestem paradisum transmisit.

An. 1134.

FESTO S. BARNABÆ. xi. Iunij.

PVnct. I. Conſ. 1. S. Barnabam Levitam, genere Cyprium, aliàs Joſeph dictum, miſſum à parentibus ſtudiorum cauſſa Ieroſolymam, ibi ſub Gamaliele cum S. Paulo & Stephano legis ſcientiam hauſiſſe, atq; huic virtutum ſtudia ſedulò junxiſſe; unde cùm Chriſtum docentem audiviſſet, *Vendite quæ poſſidetis, & date Eleemoſynam*, &c. mox amplo, quod habebat, patrimonio in pauperes erogato, à Chriſto inter 72. diſcipulos aſſumptus eſt: unde diſce etiam affectum paupertatis. 2. Conſ. Eum de Pauli, ſui olim condiſcipuli ſalute ſolicitum, multas ac ferventes pro ejus converſione preces Deo obtuliſſe, quas vanas minimè fuiſſe evẽtus edocuit. 3. Miſſum deinde ab Apoſtolis Antiochiam Syriæ Metropolim ad fideles ibi in ſuſcepta fide roborandos, id ſtrenuè & ferventer præſtitiſſe, *quia erat vir bonus, & plenus Spiritu ſancto & fide*. ubi attende tales maximè idoneos eſſe ad fructum in proximo operandum. *Luc. 12. 33.* *Act. 11. 24.*

Punct. II. Conſ. 1. Ipſo cum Paulo, alijſq; Eccleſiæ primoribus ibi orantibus & jejunantibus, Spiritus ſancti oraculum interveniſſe: *Segregate mihi Paulum ac Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos*, nempè ad prædicandum gentibus ubique Euangelium; unde & mox Epiſcopi conſecrati, ac Spiritu Apoſtolico repleti ſe in viam dederunt. 2. Antiochiam Piſidiæ ingreſſi, Iudæos ibi Euangelio Chriſti contradicentes conſtanter redarguerunt: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos facitis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*: Tu cave ne Dei monitis obſurdeſcas. 3. Concitantibus deinde Iudæis in eos turbas & ſeditiones, urbe expulſi *excuſſo pulvere pedum in eos*, diſceſſerunt: ubi adverte hanc maledictionem fuiſſe à Chriſto inſtituta in eos, qui diſcipulos ſuos reijcerent; unde collige Chriſtum eſſe operariorum ſuorũ patronũ ac defenſorem. *Act. 13. 2.* *Act. 13. 46.* *Matt. 10. 14*

Punct. III. Conſ. 1. Barnabam cum Paulo Iconij copioſam multitudinem Chriſti fidei adjunxiſſe, intrepidè ac *fiducialiter agentes in Domino*, ſeu Euangelio ejus prædicando, illudq; pluribus manifeſtis miraculis comprobando. 2. Lyſtris cum ob claudum ſanatum gentiles ijs tanquam dijs divinos honores & ſacrificia deferre cuperent, Paulo ut Mercurio, Barnabæ ut Iovi, ijs ſe fortiter oppoſuiſſe dicentes: *Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum*. Hinc & tu diſce gloriam tuam in operibus non quærere, ſed ſolius Dei. 3. Licet animis conjunctiſſimi, poſteà tamen ut pluribus januã ſalutis aperirent, ab invicẽ diſceſſerũt: Barnabas verò pluribus regionibus Chriſti fide illuſtratis, in Cyprum reverſus, Salaminæ à Iudæis, quos jam convicerat Chriſtum eſſe Meſſiam, diris tormentis cruciatus, tandem velut blaſphemus lapidibus obrutus ad Apoſtolatus & virginitatis perpetuæ palmam, etiam martyrij coronam adjunxit. *Act. 14. 3.* *Verſ. 14.* *Anno 62.*

Vide alteram Med. de Euang. Commiſſ. S. Pauli. 30. Iunij.

FESTO SS. GERVASII ET PROTASII. 19. Iunij.

PVnct. I. Consid. 1. SS. Gervasium & Protasium fratres geminos, filios SS. Vitalis & Valeriæ, qui cùm ambo etiam pro Christi fide martyrium obijssent, ipsos, ut se ad parentum vestigia sectanda disponerent, terrena omnia impedimenta à se removisse, distributo in pauperes patrimonio: tu etiam vide quid te impediat, tibiq́ue de religiosa paupertate gratulare. 2. Eos deinde, ut pleniùs Deo vacarent, conclusisse se Mediolani loco angusto, ibiq; assiduas orationes pia lectione miscentes, ac jejunijs instantes, alijsq́ue corporis incommodis fortiter subeundis decennium perdurasse. Tu constantiam tuam hîc confer, & vide quàm citò propter incommoda à benè cœptis aut propositis deficias.

Punct. II. Consid. 1. Gentilium sacerdotes non ferentes hanc fratrum piè vivendi rationem, à dæmone incitatos persuasisse Astasio Comiti in prœlium profecturo, frustra eum sperare victoriam, nisi illos ad immolandum dijs compelleret; vnde collige virtutem communiter invidiæ expositam, ac Dei providentia justis tribui materiam amplioris potẽtiæ & coronæ. 2. Evocatum proinde Gervasium, ac jussum à Comite dijs immolare pro felici victoria obtinenda, generosè respondere, victoriam non ab idolis vanis & mutis, sed ab uno Deo, qui in cælis est, & à quo omne donũ in terris, petendam, atque ab ejus cultu se numquam recessurum; quare plumbatis tamdiu cæsus est, dum inter verbera expiraret.

Punct. III. Consid. 1. Evocatum posteà etiam Protasium, cui cùm miseriam suã Comes exprobraret, pari fortitudine respõdisse, se miseria nulla vexari, sed gaudere certa spè supremæ felicitatis, atque ęternæ beatitudinis; illum autem verè miserum, qui verum Deum unicum felicitatis fontem non agnosceret. 2. Acriùs deinde correptum quasi de pervicacia ac mentis cæcitate reposuisse, nulla se pervicacia aut iracundia in eum cõmoveri, neq; etiam laborare mentis cæcitate, sed ejus induratam cæcitatem se unicè dolere; pro qua tamen tollenda, exemplo Christi pro crucifixoribus orantis, etiam cælestem Patrẽ esset precaturus: unde disce etiã injurias & opprobria æquo animo tolerare. 3. Eum propterea fustibus cõtusum, post edita amplissima Christianæ fortitudinis argumenta, securi percussum, cum fratre martyrij palmam consecutum; de quibus meritò
Ann 169. Ecclesia: *Hæc est vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine, qui effuso sanguine secuti sunt Dominum.* 4. Corpora eorum deinde à S. Paulo indicata S. Ambrosio oranti, ut debita veneratione colerentur, pluribus à Deo miraculis honorata fuisse: unde disce Sanctorum reliquias piè venerari, ac Deum honorantes se etiam hîc in terris honorare, & omnibus fidelibus honorandos proponere.

FESTO B. ALOYSII GONZAGÆ. 21. Iunij. I.

PVnct. I. Consid. 1. B. Aloysium Marchionis Castilionensis in Mantuana ditione filium primogenitum, Romani Imperij Principem, à prima ætate pietatis studiis, atque in primis cultui Deiparæ singulariter deditum, observatum aliquando salutationes ejus in singulis scalarum gradibus recitare, de eà libentissimè sermones serere, & audire, ejusque perfectiùs imitandæ desiderio, anno ætatis decimo coram miraculosa ejus imagine, virginitatem ei voto dicasse, quam sine ullo libidinis sensu integram semper servavit. 2. Cons. Eum hoc virginitatis tuendæ studium sic orationis præsidio stabiliisse, ut plures ei quotidie horas impenderet, nec ab ea sive deliciis paternæ domus, sive irritamentis aulæ apud ducem Hetruriæ, Mantuæ, Regemque Hispaniæ avocaretur, ubi quinas & ultrà non raro ei indies dabat; non sine pio ac suavi lacrymarum fluxu. 3. Orationi jungebat vitæ austeritatem, atque in primis abstinentiam, quot hebdomadis ternam, sic ut feria 6. præter panem & aquam admitteret nihil, idque per annos plures: carnem suam toties etiam per hebdomadam flagris severè excipiebat; ultimis verò annis in sæculo quotidiè, ac tandem tertiò noctis inter & diei spatium, quo spectaculo parentis animum sibi in Societate ineunda obnitentem, tandem etiam emollivit.

Punct. II. Consid. 1. Eum jam Societatem ingressum, anno ætatis 18. abdicato Marchionatu ac fortunis avidiùs, quàm eas alij ambiant, hoc cavisse inprimis, ne ulla umquam in re eximius haberetur, omnem singularitatem, in tenera licet valetudine maximè aversatus: imò & humilia officia ea obibat alacritate, ac si in illis semper educatus fuisset. 2. Id etiam à principio studiosissimè cavit, ne quid ex iis, quæ regulis, vel Superiorum statutis præscribebantur, vel levissimum prætermitteret; unde neque umquam visus est, quod jurati plures asseruere, regulam aliquam vel mandatum transgredi; imò neque ipse sub vitæ finem alicujus transgressi conscientiam habuit, sibi aliisque persuadens in eorum observantia, sanctitatis perfectionem consistere.

Punct. III. Consid. 1. Eum in Philosophiæ ac Theologiæ deinde studio, ingenij, quo valebat, præstantiam cũ diligentię, pietatis, ac modestiæ studio sic cõjunxisse, ut vel aspectus ejus socios ad virtutem excitaret, juxta illud: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur*. 2. Actiones omnes secundùm ra- *Ps. 118. 74.*
tiones non temporales, sed æternas instituebat, variis virtutum affectibus exornatas. 3. Humilitatis studio in victu, vestitu, & habitatione sibi vilissima deposcebat, ratus hęc sibi ut omnium vilissimo maximè competere. 4. Corporis austeritatem, non nisi ex Superioris præcepto temperabat, dicens ex ejus intermissione naturam ęgrè in virtutum studio contineri, sed ad veterem hominem deficere: quare jacturam illam aliis pietatis officiis compensare satagebat.

FESTO B. ALOYSII GONZAGÆ. 21. Iunij. II.

PVnct. I. Consid. 1. Amorem ejus erga Deum, unde hoc obtinuerat, ut quocumque se verteret, numquam Dei præsentis memoriam deponeret, ac fateretur non minorem sibi fore difficultatem in mente à Deo avocanda, quàm aliis esse possit in ea Deo jungenda; nam verus amor numquam satiatur præsentia ejus quem amat. 2. Hinc recreationis tempore, affectu tanto loquebatur de Deo, ut plures certatim se ei adjungerent, colloquium ejus exposcentes; nam verus amor de nullo libentiùs loquitur, quàm de amato. 3. Hinc etiam studiosissimè cavebat, ne vel levissima culpa Deum offenderet, sic ut socij ejus plures etiam jurati affirmaverint, se numquam in eo vel umbram delicti observare potuisse? nam verus amor cavet in omnibus displicere amato.

Punct. II. Consid. 1. Amorem ejus erga Ven. Eucharistiam in hoc inprimis enituisse, ut coram ea orationem fundere singulari pietatis sensu & oblectamento appeteret: quare & eo potissimùm habitu illam submissè adorantis, depingendum in tabulis placuit. 2. Post eam Dominico die receptam, sic hebdomadam quamlibet partiebatur, ut tres ferias proximas tribus SS. Trinitatis personis sigillatim gratiis agendis de eo beneficio consecraret, tres verò posteriores auxiliis implorandis ab ijsdem divinis personis, pro digniori ad eam præparatione. 3. Pridie ejus diei eo ardore de illa differebat, ut plures sępiùs asseruerint se nūquam majorem pietatis sensum ex sacra Communione retulisse, quàm cùm ipsum de ea pridie disserentem audivissent.

Punct. III. Consid. 1. Amorem ejus erga Christum patientem, cui se conformare quàm maximè studebat, sic ut capitis dolorem, qui eum tota vita plurimùm exercuit, proposito sibi capite Christi spinis coronato, non patienti tantùm, sed & læto animo constanter perferret. 2. In extremo morbo, quem ex obsequio ægrorum in hospitali contraxerat, è lecto, dum poterat, ad crucifixi in mensa positi amplexus & oscula adrepebat: morbo deinde ingravescente, cùm ad oblatam sibi crucifixi effigiem caput detexisset, monitus de eo tegendo: *Christus*, inquit, *in cruce moriens capite operto non fuit.* 3. Extremo vitæ triduo crucifixi effigiem perpetuò appressam pectori tenuit, iteratis piissimis affectibus, dū spiritū Deo redderet.

Punct. IV. Consid. 1. Quàm jucunda & secura mors vitam piissimè actā exceperit; nam cognito divinitus mortis die, lætum sibi nuncium mox cum socio communicans, eum ad persolvendas Deo pariter grates hortatus est, hymno *Te Deum laudamus.* 2. Alterum deinde in cubiculum ingredientem, ex gaudij plenitudine alloquitur: *Pater mi, lætantęs imus, lætantes imus.*
Phil. 1. 23. *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Dum tandem viatico atque indul-
Ps. 39, 6. gentia Plenaria à Pontifice munitus, anno religionis sexto, ingeminans
A. Chr. 1591. Æt. 24. illud: *In manus tuas Domine*, spiritum illi redderet.

VIGILIA

VIGILIA S. IOANNIS BAPTISTÆ. 23. Iunij. 24 Septem. in Hebron.

Nunciatur ab Angelo nativitas Ioannis, cum ejusdem elogijs. Luc. 1.

PVnct. I. Consid. 1. Vitæ sanctitatem Zachariæ & Elisabethæ parentum Joannis Baptistæ, hîc nobis ad imitandum propositam. *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini, sine querela:* quare tu etiam sectare virtutes non coràm hominibus tantùm, ut hypocritæ faciunt, sed coràm Deo inspectore cordium; observa ejus præcepta, nō aliqua, sed ut ipsi, omnia, nec tantùm graviora, sed & leviora; etiam ceremonias, regulas, ordinata, ac nutus Superiorū, idq; sine justa cujusquā querela, nemini prębens caussam offensę. 2. Post plures annos ab eis in ea vitæ sanctitate constanter transactos sine prole, apparuisse Angelum Gabrielem Zachariæ in templo ad altare intento, ac discusso timore lætum nuncium significasse, *Exaudita est deprecatio tua,* non tantùm pro filio nascituro, sed & tali qui eximiis prerogativis compensabit diuturnam patientiam: Tu si orationes tuas velis à Deo exaudiri, vitam istorum imitare. 3. Subdit: *Et erit gaudium tibi & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt:* Cave igitur ne animum despondeas in afflictione, sed patienter expecta cæleste auxilium, quo luctus tuus vertatur in gaudium.

Punct. II. Erit enim magnus coram Domino. Consid. 1. Enunciari hîc etiam ab Angelo peculiares gaudij caussas, eò quòd filius ille potiturus sit magnitudine atque excellentia, ad quam omnes adspirant, non vana sita in hominum æstimatione, sed vera apud Deum & Angelos: talem etiam magnitudinem tu sectare; nam, ut rectè S. Franciscus, *tantus quisque est, quantus coram Deo est, & non amplius.* 2. *Et vinum & siceram non bibet.* Addit vitæ ejus asperitatem, sic ut abstenturus etiam sit ab omni quo posset inebriari: unde & tu disce mortificationem sensuum. 3. *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Declarat affluentiam opū ejus cælestium, quibus non serò, sed etiam ante nativitatem suam ditabitur: iis opibus etiam tu stude ad exortum cujusque diei.

Punct. III. Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum. Consid. 1. Hîc quartam gaudij caussam, nempè singularem zelum honoris divini, quem & in te excita. 2. *Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* Ecce quintam caussam officium Præcursoris, quod sicut obibit Elias ante postremum Messiæ adventum in fine mundi terribilem, ita & hic ante primum ac benignum, pari cum Elia fervore spiritus, & animi fortitudine; quem fervorem & fortitudinem etiam in te suscita. 3. *Vt convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum.* Hic finis & scopus est quò collimabit, ut fidem & affectum Patrum erga Messiam omnibus inculcet, atque ita eos disponat ad eum dignè & cum fructu excipiendum: eodem & te excita.

In Hebron. IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ. 24. Iunij. I.

Nascitur Ioannes, & parens eius loquelam recipit. Luc. I.

PVnct. I. *Ioannes est nomen ejus.* Consid. 1. Nato Joanne advenisse vicinos & cognatos ejus parentibus congratulantes; unde disce etiam gratulari aliis dona Dei tam corporalia, quam spitiualia, quod propriè Sanctorum est, & cave invidere, quod dæmonibus est proprium. 2. Cùm nomen esset imponendum, placuisse amicis nomen parentis Zachariæ, sed & hunc & matrem prætulisse nomen Joannis ab Angelo datum: ubi disce sequi voces non mundi aut amicorum, sed Dei & Angelorum. 3. Meritò impositum ei nomen *Ioannes*, quod gratiam significat, eò quòd ipse nunciaturus esset fontem gratiæ in totum genus humanum diffundendæ, atque in hunc finem ea copiosiùs super omnes Prophetas esset replendus adhuc in utero, eamq; deinde constanter aucturus per exercitia virtutum: unde etiam disce nomen Christiani ac patroni tui virtutibus exprimere.

Punct. II. Quis, putas, puer iste erit? Consid. 1. Rationes admirationis fuisse stupenda miracula; nempè conceptionem à matre sterili in ætate senili, eamque ab Angelo cum singularibus præconiis prænunciatam, sanctificationem ejus & exultationem in utero, linguam patris priùs impeditam, atque in nativitate solutam: ubi attende quomodo ipse expectationi de se concitatæ deinde responderit. 2. Laudatum fuisse Joannem non
Mal. 3. 1. tantùm à propinquis, sed à Propheta *Angelum* appellatum, ab Angelo
Luc. 1. 15. Gabriele *Magnum coram Domino*, ac potissimùm à Christo de constantia,
Matt. 11. 7. non esse *arundinem vento agitatam*; de vitæ austeritate, non esse *hominem mollibus vestitum*, ac munere præcursoris superare Prophetas; denique quo
V. 11. *non surrexit inter natos mulierum major.* 3. *Etenim manus Domini erat cum illo*: ubi attende exprimi fontem hujus benedictionis in Joannem; nempè, paternam Dei prouidentiam, curam, & favorem: quo affulgente magna meritò expectanda sunt, ubi quis strenuè eis fuerit cooperatus.

Punct. III. Puer autem crescebat & confortabatur spiritu. Consid. 1. Crevisse Joannem statim ab ipsa sanctificatione magnis incrementis per ferventes actus virtutum, cùm simul donatus esset usu rationis, quem & deinde retinuit. 2. Sic confortatum in spiritu, ut ne vel levi culpa toto vitæ spatio Deū offenderit. 3. *Et erat in deserto usquè in diem ostensionis suæ ad Israël.* Ubi Consid. Abductum eò à matre adhuc infantem ob persecutionem Herodis, eoque deinde ablactatum recessisse, ubi cælestem cum solo Deo & Angelis vitam instituit, singulari asperitate in victu, vestitu, ac somno. 4. Tandem anno ætatis 30. progressus, Doctor populi, timore gehennæ, ac spe cælestis gloriæ exstimulavit omnes ad fidem & amorem erga Messiam; virginitatem voto firmatam servavit illibatam. Martyr deniq; pro castitate & fide, triplici aureola insignis jam fulget in cælis: quare stude quotidie exempla virtutum ejus imitari.

IN

IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ. 24. Iunij. II.

Zacharias recepto usu linguæ Deum laudat de adventu Meßiæ, & filio præcursore. Luc. 1.

PVnct. I. *Benedictus Dominus Deus Israel.* Consf. Zachariam hîc recepta loquela, ac spiritu prophetiæ donatum, primitias loquelæ suæ Deo offerre, eiq; gratias agere, primùm de salute præstanda humano generi per adventum Messię, deinde de filio sibi dato in ejus pręcursorem. Tu etiam offer Deo primitias actionum, eiq; gratias age de collatis tibi beneficijs. *Quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Ipse non per angelum aut legatum, sed per seipsum venit visitare electum populum suum, tanquā medicus ægrum destitutum, ac captivum sub jugo peccati. *Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui.* Potentiam in familia Davidica priùs vigentem, sed deinde collapsam, ipse nobiliùs ac meliùs restauravit ad nostrā salutem. *Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, prophetarum ejus.* Idque secundùm promissa sua per prophetas inde à multis sæculis data, *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.* protecturus nos contra inimicos omnes dæmones, & homines improbos; parum enim prodesset hostes aliquos, aut vitia superare, nisi omnia superentur, idque *ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui.* Caussam subdit, nempe singularem Dei misericordiam, ac fidelitatem in præstando pacto cum Abrahamo & Patriarchis inito, etiam juramento firmato. *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.* Ecce bona ex adventu Messiæ secutura; nempè perfectam libertatem, qua depulso acerbissimo jugo hostium nostrorum, securi respiremus, sub tutela supremi Regis, *in sanctitate* erga ipsum per orationem, *& iustitia* erga proximum per caritatem, & erga nos per affectuum mortificationem, *coram ipso omnibus diebus nostris*, cum perseverantia usque ad vitæ finem. Gen 22. 16.

Punct. II. Et tu Puer propheta Altißimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Alloquitur infantem, quia ratione utentem, eique significat demandatum munus præcursoris Messiæ. *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus*, ut doceat eos à solo Messia salutem sperare & quærere. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Quæ eximia beneficia tribuenda non sunt meritis nostris, sed puræ misericordiæ Dei. *Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Venit ille velut sol ex alto, ut nos errorum tenebris atque extremis miserijs immersos, illuminaret, ac liberaret, viamque securam ostenderet, ac præiret nobis ad cælestem beatitudinem.

FESTO SS. IOANNIS ET PAVLI. 26. Iunij.

PVnct. I. Conſ. 1. SS. Ioannem & Paulum Romanos, fratres germanos, domeſticos pijſſimę virginis Cõſtantię Conſtãtini Imp. filiæ, comites deinde datos Gallicano exercitus Cæſarei Præfecto ad bellum Scythicum profecturo, cui ab hoſte ibi arctiſſimè obſeſſo & in manifeſto diſcrimine verſanti fratres illi pro ſua in Deũ fiducia ac zelo ſuaſerunt, ac perſuaſerunt fidem Chriſti amplectendam, dicentes: *Fac votum Deo cœli, & eris victor meliùs quàm fuiſti.* 2. Eum edito voto de fide amplectenda, mox hujus virtutem illuſtri & inexpectata victoria prodigiosè expertum; quam fidem proinde adeò ardenter amplexus eſt, ut victor in urbem reverſus, abdicatis honoribus, Xenodochio ac duobus templis ſplendidè exſtructis ac dotatis, patrimonium reliquũ ampliſſimum in pauperes erogaret, illis & peregrinis miniſtraret, ac pedes ablueret, Deo interim hæc humilitatis obſequia miraculis illuſtrante, dum tandẽ ſub Iuliano Imperatore ob ſuſceptã fidem ſecuri percuſſus, martyrij coronam obtinuit, pridie obitus horum Martyrũ: imitemur & nos hujus in Chriſtiana fide fervorem.

Offic. Eccl.

Punct. II. Conſid. 1. Hos fratres, cùm facultates amplas ſibi à Conſtantia in morte relictas etiam in pauperes erogare cœpiſſent, mox à Iuliano Imperatore ijs opibus inhiante invitatos in numerum ſuorum familiarium, ſed liberè negaſſe ſe apud eum eſſe velle, qui à Ieſu Chriſto defecerat, neque propoſitis ſibi ab eo favoribus aut minis dimoveri à ſententia potuiſſe, dicentes: *Nos unum Deum colimus, qui fecit cælum & terram.* Hinc diſce etiã favores & minas humanas divinis poſtponere. 2. Præfinito eis deinde decem dierum ſpatio ad deliberandum, eos interim reliquas omnes facultates in pauperes diſtribuiſſe, ut ſic ad iter in cælum eſſent expeditiores: ubi etiam in te excita amorem & ſtudium paupertatis. 3. Terentiano Prætoriæ cohortis Pręfecto die decimo ad eos miſſo cum Iovis effigie, ut eam juſſu Iuliani Imperatoris venerarentur, aliàs morte multandos, eos pari conſtantia, prout erant orantes, reſpondiſſe: *Si tuus Dominus eſt Iulianus, habeto pacem cum illo, nobis alius non eſt, niſi Dominus Ieſus Chriſtus.*

Punct. III. Conſ. 1. Terentianum veritum ſibi à commotione populi, ſi publicè necarentur, cùm ob ſingulares virtutes paſſim in amore eſſent & æſtimatione, juſſiſſe eos domi ſuæ privatim capite plecti, ibique ſepultis, rumorem ſparſiſſe, eos in exilium amandatos: ubi attende nequitiam ſemper eſſe timidam, nec eſſe conſilium contra Dominum. 2. Hinc mortem eorum à malignis ſpiritibus in obſeſſis corporibus evulgatam; cumque inter hos eſſet etiam Terentiani filius unicus à dæmone obſeſſus, perductus ad Martyrum horum corpora, ac mox liberatus, & ipſe, & parens ejus hoc miraculo permoti, fidem Chriſti amplectentes, delictorum veniam ſupplices precati ſunt: attende & tu qua promptitudine Dei monitis obſequaris.

Anno 362.

VIGILIA SS. APOST. PETRI ET PAVLI. 28. Iunij.

Christus Petro commendat oves, & mortem prædicit. Ioan. 21. Anno 34. Aprili ad mare Gal.

P*Unct. I. Simon Ioannis diligis me plus his?* Conf. 1. Christum commissurum Petro prælaturam universalem Ecclesiæ, priùs examinare eum in charitate, ut ostendat prælatos hac debere alijs præcellere, nec velle se cuiquam committere fideles suos nisi amanti. 2. *Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te.* Petrus edoctus infirmitatem suam recenti lapsu modestiùs respondet, nec audet se alijs in amore præponere, sed eum refert ad Christum; vide an & tu cum Petro idem dicere possis. 3. *Dicit ei Iesus: Pasce agnos meos.* significās amorem erga se exhibēdum esse in cura suorum fidelium, quos inquit *pasce*, seu rege ut pastor bonus, cujus est exponere etiam vitam temporalem pro eorum spirituali. *Agnos*, vocat fideles ex materno in eos affectu, ob vitæ novitatem & innocentiam, dum per baptismū regenerantur.

Punct. II. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? atq; idem ut suprà utrimque reponitur. Conf. 1. Christum iteratò exigere à Petro declarationem amoris sui, & inculcare ut hunc impendat erga suos fideles, in quo ostēdit suam erga nos omnes dilectionem. 2. *Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me?* voluit Christus palàm ostendere, Petrū hac trina declaratione amoris abundè eluisse maculas trinæ negationis, & prælaturam animarum debere esse fundatam in vera charitate per triplicem viam, purgativam, illuminativam, & unitivam. 3. *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò: amas me? & dixit ei: Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minus amori lingua serviat, quàm timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminēs, quàm vita præsens.* *August.* 4. *Et dixit ei: Pasce oves meas.* Per oves intellige robustos in fide & aliorum curæ sub universali pastore præpositos, ut sunt ceteri Apostoli, & discipuli, successuri deinde pastores & religiosi, omnes velut matres fideliū. Hinc collige primatum Petri in omnes fideles. Trina autem illa commendatione fidelium monet Christus *Pasce mente, ore, & opere; animi oratione, verbi exhortatione, & exempli exhibitione.* *Bernard.*

Punct. III. Cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Conf. 1. Christum hìc consolari Petrum tristem & sibi de amore diffidentem, eiq; promittere in præmium curæ Pastoralis mortem sui amore & exemplo in cruce obeundam. 2. Ostendit duo genera passionum, alias sponte susceptas, ut voluntarias mortificationes, quas, inquit, priùs suscepisti, alias verò ab alijs inferendas, quæ manent te in supplicio crucis, gratæ quidem spiritui, sed carni contrariæ. 3. *Hoc autem dixit significans qua morte esset clarificaturus Deum.* Vnde collige gloriosum esse, pati & mori pro Christo, & disce gaudere cùm te participem facit crucis suæ per afflictiones, morbos, & tribulationes.

FESTO

FESTO SS. PETRI ET PAVLI, 29. Iunij.

PVnct. I. Consid. 1. S. Petrum natione Galilæum, Bethsaidæ piscatorem, primùm ab Andrea fratre natu majore ad Christum fuisse adductum, qui perspecta ejus animi fortitudine in rebus arduis perfringendis, id quod ab æterno decreverat, commutato nomine ejus Simonis in Petrum, ostendit jam tum se eum in fundamentũ Ecclesiæ suæ destinare: deinde cùm utrumque ad sequelam suam vocaret, *illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.* Tu etiam Christianum nomen virtutibus exprime, Deumque vocantem sequere. 2. Cons. Eum posteà individuum comitem Christo constanter adhæsisse, etiam ad arcana spectanda præ ceteris assumptum, tum in transfiguratione Christi, tum in suscitatione filiæ Principis à morte, tum in extrema agonia: unde disce etiam Christo per rationem & virtutum studia constanter adhærere, ut particeps etiam esse possis arcanorum.

Ioan. 1.4. Matt. 4.20. Matt. 17.1. Marc. 5.37. Matt. 16.37

Punct. II. Consid. 1. Profundam Petri humilitatem, cùm in piscatu Christum agnoscens, *procidit ad genua ejus, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum Domine.* Et cùm in cœna ultima Christo volenti sibi pedes lavare ait: *Domine tu mihi lavas pedes?* Idem & tu applica tibi, cùm Christus in Eucharistia ad te descendit. 2. Cons. Firmam ejus fidem, cùm in eodem piscatu dixit Christo: *In verbo tuo laxabo rete.* Cùm ad vocem ejus: *Veni, descendens de navicula ambulabat super aquam*: ac potissimùm cùm hanc fidem suam palam intrepidè professus est dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi.* qua & meruit tunc Principatum Ecclesiæ sibi promitti. 3. Consid. Ferventem amorem eius erga Christum, quem ostendit, cùm Christo ob aliquorum defectionem interroganti: *Numquid & vos vultis abire?* reposuit: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Cùm lapsum suum ad vocem ancillæ assiduis lachrymis reliqua deinde vita deflevit; ac potissimùm cùm rogatus tertiò à Christo num se plus ceteris Apostolis diligeret, respondit: *Domine tu scis quia amo te.*

Luc. 5.8. Ioan. 13 6. Luc 5.5. Matt. 14.29 Matt. 16.16. Ioan. 6.69. Ioan. 21.17.

Punct. III. Consid. 1. Ardentem zelum S. Petri, quo post acceptum Spiritum sanctum, ipso die primus omnium mysterium crucis Iudæis exposuit tanto ardore, ut ad tria millia fidei Christi adjungeret, & altero die quinque millia: prohibentibus verò Principibus Iudæorum hanc Christi prædicationem, Apostolicâ libertate respondit: *Si justum est in conspectu Dei vos potiùs audire quàm Deum, judicate; non enim possumus quæ vidimus, & audivimus non loqui.* 2. Hunc zelum ejus stupendis miraculis à Deo illustratũ, *ita ut in plateas ejicerent infirmos & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis, qui curabantur omnes.*

Act. 2.4. Act. 4.4. A. 4.18. Act. 5.15.

Vide alteram de Euangelio Festo Cathedræ Antiochiæ, 22. Februarij.

FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI. 29. Junij. II.

PUnct. I. Consid. 1. S. Petrum Romæ in culmine politici imperij fixa pariter sede Christiani Principatus, inde in totius Ecclesiæ curam sedulò incubuisse, eamque insigni prudentia, zelo, ac fortitudine gubernasse, missis Sacerdotibus & Episcopis in varias orbis provincias ad Christi fidem propagandam. 2. Acre illi certamen ibi fuisse cum Simone Mago, cœptum jam inde à pluribus annis in Samaria, ubi eum poscentem etiam oblato pretio facultatem conferendi Spiritum sanctum, Petrus redarguit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri.* Act. 8. 19. Inde magicis artibus se altiora, imò & divinam gloriam superbo volatu sectantem Petrus oratione sua in terram publicè prostravit, unde fractis cruribus altero die infelicem spiritum exhalavit: Attende hîc fervorem & efficaciam orationis Petri, & exitum superbiæ.

Punct. II. Consid. 1. Hunc lapsum Simonis Magi permovisse Neronem Imperatorem, cui is percarus fuerat, ad Petrum & Paulum tanquam capita Christianæ religionis custodiæ mancipandos, eoque pondus addidisse duas pellices per ipsos à Nerone ad Christi fidem, & castitatis observantiã adductas; adeoq; non pro fide tantùm, sed & castitate tuenda, exemplo Joannis Baptistæ, martyrij palmam consecutos. 2. Consid. Petrum in carcere nihil de solito fervore remisisse, sed & ibi assignatos sibi custodes ad Christi fidem, quam posteà præcipui suo sanguine firmarunt, convertisse, eosque fonte ibi de petra subitò scaturiente baptisasse. 3. Consid. Eum, cùm victus suorum precibus, quantumvis martyrij cupidissimus, se è carcere subduxisset, & Christum sibi mox obvium interrogasset: *Domine quò vadis?* respondente illo: *Venio Romam iterum crucifigi*: cognita inde Christi voluntate de se tanquam in membro suo crucifixione, carcerem ultrò repetiisse: unde disce etiam in arduis exequi divinam voluntatem.

Punct. III. Consid. 1. Lata tandem post novem mensium captivitatem in utrumque sententia mortis, crucis in Petrum ut Judæum, gladij verò in Paulum ut civem Romanum, utrumque priùs de more acriter virgis cæsum, propinquæ palmæ prælusisse. 2. Extra portam deductos ad supplicium, propter fidelium affluxum, jussos separari diverso loco plectendos, ibi dato mutuo amplexu, jucundum vale invicem dixisse, mox in cælesti gloria sibi adventum pariter & victoriæ palmam gratulaturos. Anno 67. 3. Petrum in editiore colle Montis Vaticani, qui mons Aureus dicitur, crucifixum, gaudio cælesti perfusum, eò quòd liceret sibi in mortis supplicio Dominum ac Magistrum suum imitari, sed ex modestiæ studio lictores exorasse, ut se pedibus sursùm porrectis, versoque deorsùm capite in crucem agerent, ut sic saltem corporis situ servus à Domino discreparet: disce hinc humilitatis exercitia etiam cum incommodo obire.

PVnct. I. Consid. 1. S. Paulum jam vocatum à Christo è cælis glorioso, in via Damascena, ac subitò è lupo in agnum conversum, post acceptam instructionem aliquam ab Anania, mox impensè cooperatum fuisse
Act. 9. 22. divinæ gratię; nam continuò *convalescebat & confundebat Iudæos*, & bene cœp-
1. Cor. 15 10 tis insistens ait: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi.* 2. Consid. Quantos labores, afflictiones, & pericula semper alacer
2. Cor. 11. 23. pro Christo sustinuerit: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*, à Judæis quinquies, à Romanis ter virgis cæsus, semel lapidatus, ter naufragium fecit, &c. unde disce saltem leviora pro Christo pati.

Punct. II. Consid. 1. Ejusdem singulares virtutes, ac I. humilitatem; un-
2. Cor. 15 9. de ait: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam*
1. Tim. 1. 15. *persecutus sum Ecclesiam Dei. Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere,*
1 Cor 4. 12. *quorum primus ego sum.* 2. Patientiam: *Maledicimur & benedicimus, persecutionem*
1. Cor. 9. 27. *patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus.* 3. Pœnitentiam: *Castigo corpus*
2. Cor. 11. 27. *meum, & in servitutem redigo: In fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.*
1. Cor. 7. 7. 4. Castitatem: *Volo omnes vos esse sicut meipsum.* 5. Contemptum respectus hu-
Galat. 1. 10. mani: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: Mihi pro minimo est ut à*
1. Cor. 4. 3. *vobis judicer, aut ab humano die.* 6. Caritatem in proximum: *Optabam ego ipse a-*
Rom. 9. 3. *nathema esse à Christo pro fratribus meis:* eamque puram: *Non quæro vestra, sed vos.*
2. Cor. 12. 14 & universalem: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* 7. Denique ca-
1. Cor. 9. 22. ritatem erga Christum: *Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio, an angustia,*
Rom 8. 35. *an fames? &c.*

Punct. III. Consid. Ad has singulares virtutes etiam singularia Dei dona accessisse, ac I. doctrinam non ab homine, sed divinitus acceptam;
2. Cor. 12. 4. nam *raptus ad tertium cælum audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* 2. E-
1. Cor. 2. 4. loquentiam, de qua ait: *Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis*; unde quot verba tot sagittas & tonitrua in corda movebat. 3. Miracula stupenda & propè innu-
Act. 19. 12. mera, ita ut etiam sudaria ejus & lintea attactu suo morbos & malignos spiritus è corporibus depellerent. 4. Conscientiæ securitatem, qua post omnes propè orbis provincias Euangelij luce illustratas, instante labo-
2. Tim. 4. 7. rum meta ait: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* 5. Caussam mortis eamdem illi fuisse cum S.
Anno 67. Petro; propter fidem nempè & castitatem; in ipso autem supplicio, id
Æt. 68. singulare accidisse, ut è præcisò capite pro sanguine lac flueret, in symbolum innocentiæ, & castitatis, illudque tertiò sacrum Jesu nomen palàm proclamaret, & toties è terrâ subsiliens, totidem ibi fontes excitaverit, etiamnum miraculis celebres: Imitare ex eo Apostolicas ejus virtutes, si præmia secteris.

COMMEM.

COMMEM. S. PAVLI. 30. Iunij. II.

Et S. Barnabæ 11. Junij.

Anno 32. Julio in Galilæa.

Christus prædicit Apostolis persecutiones. Matt. 10.

P*Unct. I. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Consid. 1. Christum Apostolis jam instructis à se cælesti armatura cum potestate miraculorum hîc patentes tradere suæ missionis, *Ecce ego mitto vos. Ego*, qui misi Prophetas, eos dirigens, protegens, ac feliciter promovens, idem & vos mitto, non minùs vobis, quàm illis adfuturus; quò humanum timorem illis excutit, & fiduciam in se provocat. 2. Modum tradit, quò se gerere debeant, nempè *sicut oves*, non cum lupo uno alteróve, sed *in medio luporum*, ac proinde ut assumant exemplo suo ovium innocentiam, & mansuetudinem, qua adversarios omnes sicut lupos indomitos non solùm superaturi sint, sed etiam in oves conversuri: id quod Christi potentiam & gloriam, atque etiam suorum maximè illustravit. 3. Insuper inquit: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ:* sicut serpens valet calliditate ut noceat aliis, & sibi caveat, caput defendat objectu corporis, obturet aures cōtra incantatores: ita ut & ipsi valeant ad alios salvandos, ac spiritui suo ante omnia caveant ne lædantur vel seducantur: deinde ut sicut columbæ careant felle amaritudinis, sint sinceri, simplices, & veraces sine fuco ac dolo.

Punct. II. Tradent vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad Reges & Præsides ducemini propter me. Ubi Consid. 1. Christum prædicere eis etiam sigillatim adversa, ne ab iis incauti opprimantur, nec putent hæc ex ignorantia aut infirmitate Christi accidere; mitigat tamen cùm addit *propter me*; nam ingens est solatium pati pro Christo. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Act. 5. 41. 2. *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini.* Vetat iis non diligentem præparationem aut prudentem præmeditationem, sed anxietatem & pusillanimitatem, ac commendat fiduciam in Deo, maximè sub tempus dictionis: *dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini* ex humana sapientia & affectu, *sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*, suggerens sapientiam & eloquentiam, & animi robur.

Punct. III. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & eritis odio omnibus propter nomen meum. Conf. 1. Augeri hîc iterum persecutiones tùm à consanguineis, à quibus major benevolentia erat expectanda, tum ab hostium multitudine, sed Dei timorem & amorem omnibus esse anteponendum: *Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Attende hîc etiam 1. Pet. 3. 13. quemvis posse spirituale martyrium subire resistendo pravis affectibus, qui nos velut tyranni persequuntur. 2. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* De quo Bernardus: *Tolle perseverantiam, neque obsequium habebit mercedem, neque beneficium gratiam, neque laudem fortitudo.*

PUnct. I. Consid. 1. S. Rumoldum Regis Scotiæ filium unicum ab ipsa infantia futuræ sanctitatis dedisse præludia, cùm etiam tum ter in hebdomade maternis uberibus abstineret; quam jejunandi consuetudinem reliquo vitæ tempore constanter servavit. 2. Eum primùm sub Episcopi Dublinensis disciplina in pietate instructum, inde anno ætatis 15. ad patris regiam evocatum, omnem regni pompam, & aulæ vanitates aspernantem, totum se orationi cum Deo & misericordiæ operibus impendisse. 3. Accedente mox matrimonij illecebra, illudque urgentibus cum parente regni primoribus generosè respondisse, fixum sibi esse, spretis mundi honoribus & carnis voluptatibus in paupertate & castitate Christo servire, ejusque regnum hîc in terra pro viribus promovere.

Punct. II. Consid. 1. Mortuo deinde Episcopo, eum divino monitu à clero in successorem unanimiter electum: quod licet præ modestia primùm detrectaret, agnita tamen Dei voluntate se ei submisisse, & suscepto muneri insigni zelo in pascendis ovibus verbo & exemplo respondisse. 2. Mortuo autem patre iterùm à regni primoribus sollicitatum ad regnum capessendum, sed ab Angelo monitum se fuga inde subduxisse, ac per Angliam, Galliam, Germaniam doctrina & miraculis Christi fidem propagasse: Hinc Romam ad pia loca veneranda profectum, ibique salutis animarum promovendæ ac martyrij desiderio magis æstuantem, monitum iterùm ab Angelo de petenda Brabantia, ibi eum utrumque, quod optabat, reperturum. 3. Mechliniam igitur in Brabantiam appulsum, homines ibi rudes & incultos ad Dei cognitionem, Christique fidem & amorem plurimos adduxisse, ac cum S. Gummaro viro vitæ sanctitate & nobilitate inclyto, haud longè inde commorante consilia communicasse, ac frequentes de mundi vanitatibus ac divino cultu promovendo sermones habuisse.

Punct. III. Consid. 1. Eum post filium Adonis Comitis, quem ei precibus suis à Deo obtinuerat, submersum, jamque iteratis precibus licet triduanum littori ac vitæ restitutum, rejectis amplis muneribus sibi ab eo oblatis, non nisi exiguum locum pro Dei cultu admisisse. 2. Intentum deinde templo ibi exstruendo, cùm operarios mercede donaturus sæpiùs verbo salutis pasceret, & à vitiis ad virtutem hortaretur, odium incurrisse aliquorum non ferentium salutaria monita, adeò ut in necem ejus conspiraverint. 3. Operas deinde de more lustrantem, ab uno eorum fabrili instrumento in capite graviter percussum, ex inflicto amplo vulnere mortuum concidisse, atque inde triplici aureola Martyrij, Virginitatis, &
Anno. 775. Doctoratus insignem ad cœleste regnum evolasse: corpus verò in flumen dejectum cælesti luce demonstratum, & inventum, plurimis miraculis à Deo illustratum, piorum omnium venerationi fuisse expositum.

FESTO VISITATIONIS B. MARIÆ. 2. Iulij. I. In Hebron.

Et Feria 6. 4. temporum in Adventu.

Maria prægnans visitat cognatam Elizabetham. Luc. 1.

PVnct. I. *Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione.* Consid. 1. Mariam statim à discessu cælestis nuncij, jam Deo gravidam, & ab hoc excitatam, conferre se Nazaretho in Hebron civitatem montanam Iuda, 5. dierum itinere, tum ad gratulandum cognatæ Elizabethæ conceptam prolem, & obsequia caritatis & humilitatis ei impendenda, tum ad ipsam prolem, filij sui præcursorem, in utero sanctificādam. Quare & tu exurge etiam ad montana & fastigia perfectionis, libenter te junge inferioribus te, nec dedignare humilitatis obsequia. 2. *Abijt cum festinatione.* *Nescit* Ambros. *enim tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Disce & tu divinos instinctus, dum exequi potes, non differre, ac festinare potissimùm ad depellendum peccatum.

Punct. II. Vt audivit salutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus. Consi. 1. insignem fructum hujus visitationis Mariæ, per filium utero conclusum; nam Elizabetham cognatam replet Spiritu sancto, & dono prophetiæ: Ioannem verò etiam utero matris clausum abluit à peccato originali, gratia exornat, & usu rationis exinde retento. Disce hinc quàm beati sint qui à Christo & Maria visitantur, & confide te ab ijs etiam quævis obtenturum. 2. Consid. Ioannem in utero jam sanctificatum præ gaudio miraculosè exultantem, convertere se ad Dominum suum in carne præsentem, eum adorare, & cum ardenti amore, & humilitate gratias agere.

Punct. III. Consid. 1. Elizabetham cognoscentem divina illustratione Mariam cognatam suam Deo gravidam, exclamare gratulabundam, *Benedicta tu inter mulieres*, super omnes quas terra umquam tulit felicissima, imò & cæli Domina & Regina: idque quia *benedictus fructus ventris tui*, Mundi Salvator, benedictionem suam non in te tantùm, sed & in omnes nationes copiosè effusurus. 2. *Vnde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* Ita meritò Elizabetha, sed quod tu potiori jure dicere potes, cùm toties non mater Domini, sed ipse Dominus Iesus Christus, & quidem jam gloriosus in Ven. Sacramento, ad te & in te descendit. 3. *Magnificat anima mea Dominum.* Consid. 1. Mariam à cognata laudatam non vices reddere in ea laudanda more sæculi, neque sibi etiam laudem arrogare, sed eam Deo, à quo omne bonum, penitus tribuere. Idem & tu imitare, ac fuge omnem adulationem & gloriam inanem. 2. Mansisse eam cum Cognata *quasi mensibus tribus*, deserviendo ei in domesticis obsequijs, in quibus adverte quomodo invicem certatim prævenerint, quàm pia inter se colloquia miscuerint, & quantùm Elizabetha ex tam diuturno Mariæ consortio profecerit.

In Hebron. FESTO VISITATIONIS B. VIRGINIS. 2. Iulij. II.

In Canticum B. Mariæ Deum laudantis de beneficijs sibi ac humano generi collatis. Luc. 1.

PVnct. I. *Magnificat anima mea Dominum.* Conſ. B. Virginem aliàs in verbis parcam, hîc effuſam eſſe in Dei laudes, & in hoc Cantico decem verſuum, quaſi pſalterio 10. chordarum, non voce tantùm, ſed & ſpiritu exultare, ejuſque gaudij ac gratitudinis decem cauſſas exponere, tres ſibi proprias, reliquas 7. omnibus communes. E quibus 1. eſt, *quia*, inquit, *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Miratur Deum tantæ majeſtatis in ſe adeò vilem & abjectam benignos oculos conjeciſſe. 2. Quod ſe tot tantiſque donis adimpleverit, propter quæ, inquit, *beatam me dicent omnes generationes.* Vide igitur ne tu in hac Marianæ laudis prædicatione deficias. 3. *Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Priùs præparando ſibi in me ab ipſa conceptione inſignibus prærogativis purum habitaculum, in quo deinde carnem noſtram ipſe fons ſanctitatis aſſumere dignatus eſt, ideoque meritò ab omnibus colendus & adorandus.

Punct. II. Subenctit deinde Virgo hîc alias cauſſas omnibus communes; neque enim, inquit, in me tantum Deus liberalis fuit, aut erit, ſed (quæ 4. eſt cauſſa) *miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum*, diffundet miſericordiæ ſuæ radios inſtar Solis latiſſimè per omnia tempora in omnes ſibi non obſiſtentes. 5. Ob *potentiam*, quam *fecit in brachio ſuo*, cùm ultra mirabilia ante patrata in mundi creatione, gubernatione, alijſque ſignis mirabilibus, nunc omnium maximè ſtupendum effecit, Unigeniti ſui incarnationem. 6. Ob Juſtitiam in ſuperbis omnibus Lucifero, Pharaone, Nabuchodonoſore, alijſque ſuperandis & illaqueandis in ſuis conſilijs; nam *diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.*

Punct. III. Adfert 7. & 8. cauſſam ob juſtitiam ſimul & miſericordiam, cùm *depoſuit potentes de ſede & exaltavit humiles.* Nam potentes dæmones de cælo deturbavit, & viles homines eò evexit: Iudæos etiam religione & opibus florentes potentia ſua exuit, quibus ethnicos ſubſtituit. 9. Ob Paternam providentiam, qua in tempore opportuno *eſurientes implevit bonis*, cùm ſicut olim populum Iſraeliticum paverat manna in deſerto, & ditaverat bonis hoſtium in terra promiſſa: ita nunc quoſcumque cujuſcumque nationis, avidos bonorum ſpiritualium implebit, alios verò ſibi atque in divitijs ſuis confidentes ſpoliabit, ac nudatos dimittet. 10. Denique ob fidelitatem in præſtandis promiſſis Abrahæ ejuſque poſteris factis, cùm nunc *ſuſcepit Iſrael puerum ſuum*, hunc populum quaſi filium ſibi dilectum amplexus eſt per Unigeniti ſui ex eo incarnationem. De quo eximio beneficio nobis potiſſimùm gratiæ quotidie agendæ incumbunt.

OCTAVA

OCTAVA SS. APOST. PETRI ET PAVLI. Iulij 6.

Et Sabbato post cineres. 33. Martio in mari Galilææ.

Christus ambulat super aquas. Matt. 14. Mar. 6. Ioan. 6.

P*Vnct. I. Compulit Iesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum.* Consid. 1. Christum post satiatas turbas pane miraculoso, præmittere discipulos suos, ut novi miraculi patrandi occasionem inde accipiat, illos verò invitos ab eo avulsos, tum ex amore in ipsum, tum quòd sibi sine eo diffiderent. 2. *Et dimissa turba ascendit in montem solus orare*, idque ut nos doceret etiam secessum mentis in oratione, & strepitum fugere, gratias Deo agere pro beneficijs, atque ipsi omnia tribuere.

Punct. II. Vespere autem facto, navicula in medio mari jactabatur fluctibus; erat enim contarius ventus. Conf. 1. Christum permisisse hanc tempestatem, tum ut suos adversis subeundis assuefaceret, tum ut eorum fiduciam & orationem provocaret. Ubi, ut notat S. Augustinus, *navicula est Ecclesia, mare hoc sæculum, venti & fluctus persecutiones; illis turbatur navicula, sed non mergitur, quia mox adest Christus.* 2. *Quartâ autem vigilia noctis videns eos laborantes in remigando,* Mar. sup. *venit ad eos ambulans super mare.* Differt Christus ad eos venire usq; ad finem noctis, ut doceat etiam nos adversa constanter tolerare, adfuturum se in tempore opportuno, & tunc gratius fore auxilium. *Ad punctum in modico* Isa 54.7. *dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.* 3. *Statimque locutus est eis dicens: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* Ego sum Magister vester, quem nostis, cujus potentiam & beneficentiam tot miraculis experti estis: adsum vobis liberator, non eversor.

Punct. III. Respondens autem Petrus dixit: Domine si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait: veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad Iesum. Conf. 1. Petrum ex ardentiori amore & fide petijsse citiùs ante alios adesse Christo, atque in verbo ipsius mare calcasse. Tu calcato mundo perge ad Christum vocantem, & in verbo ejus confide; dic cum Augustino: *Da Domine quod jubes, & jube quod vis.* 2. *Videns verò ventum validum, timuit, & cum cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine salvum me fac.* Validus ventus induxit Petrum ad timorem, timor in diffidentiam, & hæc in lapsum, quo significantur infirmi in fide & spiritu. Tu cum Petro in omni difficultate clama cum fiducia: *Domine salvum me fac.* 3. *Et continuò Iesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei quare dubitasti?* Hęc & tibi vacillanti applica. *Et cùm ascendisset in naviculam, cessavit ventus.* Tu Christum invita & excipe in animam tuam cum fiducia ac reverentia, qui discussis ventis tentationum adferet serenitatem, securitatem, & gaudium, ac deducet te in portum æternæ felicitatis. *Impulsus eversus sum ut caderem, & Do-* Ps. 117 13. *minus suscepit me. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Ps. 92. 6.

FESTO

FESTO S. BONAVENTVRÆ. 14. Iulij.

PVnct. I. Conſ. 1. S. Bonaventuram in Etruria parentibus nobilitate & opibus inclytis natum, cùm infans in vitę periculum incidiſſet, à matre facto voto dicatum religioni S. Franciſci, ſi ſanitatem obtineret; eâ obtenta pro accepto beneficio gratum, exinceps S. Franciſcum ſingulari pietatis affectu coluiſſe, ac deinde liberalibus diſciplinis eruditum, abdicatis mundi illecebris, religioſum ejus inſtitutum amplectendô, maternum votum perſolviſſe. 2. In religione fuiſſe eum orationis ac ſilentij ſingulariter ſtudioſum, humilitate etiam ac comitate omnibus charum, ſic ut de eo pronunciaret Magiſter ejus in Theologia Alexander de Ales: *Hic eſt verè Iſraelita, in quo non videtur Adam peccaſſe.* 3. In ſtudijs ſuis ad felicitatem ingenij addidiſſe eum & laboris & orationis conſtantiam, qua tantùm profecit, ut poſt ſeptennium Theologiam Pariſijs publicè ſumma cum laude docuerit, & doctoratus laurea cum D. Thoma ſolenniter ſit inauguratus. 4. Amicitiam coluit cum D. Thoma in virtutum ac doctrinæ ſtudijs fundatam; rogatus ab eo undenam potiſſimùm tam ſublimia dogmata ſua erueret, oſtendit crucifixum, ad cujus pedes, & Miſſæ miniſterium ajebat ſe plus luminis accipere, quàm ex labore ſtudendi. Tu attende ut & tales ſint amicitiæ tuæ & ſtudia.

Punct. II. Conſ. 1. Vulgata fama doctrinæ ejus & ſanctitatis, delatum ſibi à Pontifice Archiepiſcopatum Eboracenſem in Britannia enixè deprecatum, prępoſita illi religioſa paupertate & humilitate. 2. In Generalem Ordinis ſui, quantumvis invitum aſſumptum, anno ætatis 35. ſingulari prudentia zelum religioſæ diſciplinę eum ſpiritu mãſuetudinis temperaſſe, atq; in omni difficultate ad Deiparam velut cõmune perfugium cõfidenter recurriſſe. 3. Cùm dies aliquot Euchariſtiæ ſacramento ex humilitate abſtinuiſſet, ſacrificio præſens poſt fractionẽ hoſtiæ, hujus parte per Angelos ori ſuo impoſita, gratijſq; Deo actis, didicit magis placere Deo uſum hujus ſacramenti ex amore, quàm abſtinentiam ex reverentia aut timore, cùm *deliciæ* ejus ſint *eſſe cum filijs hominum*: quare eòdẽ etiã tẽ excita. *Prov. 8. 31.*

Punct. III. Conſ. 1. Eum in ſcriptis ſuis ſic illuminare intellectum, ut & ſimul pietatis ardore accendat voluntatem; unde & *Seraphici Doctoris* nomen obtinuit. 2. Poſt ordinem ſuũ pluribus annis feliciſſimè adminiſtratum, miſſum à Pontifice ad Concilium Lugdunenſe in Galliam, atque ad hoc ab eodem Cardinalem & Epiſcopũ Albanum creatũ, ut illi majori auctoritate intereſſet: ibi prudentia ſua, doctrina & eloquentia cõtroverſias pleraſque ſopiviſſe, ac Græcos Pontifici, qui Concilio præſidebat, cõciliaſſe. 3. Sub finem Concilij morbo correptũ, gravi omnium ſenſu ad la-
Anno 1274. borum pręmia in cęlos evocatum, pluribus miraculis editis, quem adhuc
Ætat. 53. viventem D. Thomas ſanctum appellaverat; cùm enim vitam S. Franciſci ſcribentem comperiſſet, *Sinamus*, inquit, *ſanctum pro ſancto laborare.*

FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ. 22. Iulij, P.I.

Anno 32. Junio in Naim.

& Feria V. poſt Dom. Paſſionis, & Fer. VI. Quat. Temp. Sept.

Converſio Mariæ Magdalenæ. Luc. 7.

P*Unct. I. Rogabat Ieſum quidam de Phariſæis ut manducaret cum illo, & ingreſſus domum ejus diſcubuit.* Conſid. 1. Benignitatem Chriſti & promptitudinem in captanda occaſione inſtruendi & convertendi ad ſe etiam ſuperbos Phariſæos : tu attende quo affectu illum invites ad te in Euchariſtia, & quonam ille ad te veniat. 2. *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix.* Conſid. Mulierem hanc fuiſſe Mariam Magdalenam, origine Judæam, opulentam ac nobilem, ſed vitiis infamem, è qua Chriſtus ſeptem dæmonia ejecit : quare meritò *Ecce* dicitur, velut rem miram cùm ex inveterata peccandi conſuetudine reſurgit, in ſpeculum omnibus pœnitentiæ, amoris, & conſtantiæ, ut qui non cecidit, ne cadat; qui verò ceciderit, ut cum illa reſurgat. Luc. 8. 2.

Punct. II. Vt cognovit quod accubuiſſet Ieſus in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti. Conſid. 1. Eam audita fortè concione Chriſti, ac potiſſimùm intus ab eo illuminatam, ut miſerum animæ ſuæ ſtatum agnoſceret, non differre moras, ſed ſtatim ad eum recurrere firma fide, qua ipſum Meſſiam Dei Filium credebat, dolore de commiſſis, ac ſpe veniæ obtinendæ. 2. *Attulit alabaſtrum unguenti.* Non vacuis manibus venit, ſed cùm theca unguentaria, qua & deſignabat, cor ſuum repletum unguento fidei, ſpei, caritatis, humilitatis, & contritionis. 3. Sic inſtructa irruit non invitata in convivium, & alienam menſam, contemnens humana judicia, quæ priùs contempſerat divina, nec pudore coërcita, quo in peccatis committendis coërceri non potuerat, ea publicè nunc deteſtatur, quia illis priùs publica ſcandala dederat.

Punct. III. Et ſtans retrò ſecùs pedes ejus. Conſid. 1. Profundam ejus humilitatem, qua indignam ſe exiſtimans divino ac puriſſimo Chriſti conſpectu, ad pedes ejus ſe confert, ſciens hinc petendum ſalutis initium. 2. *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Conſid. vim amoris, qui dolore pariter accenſus ex oculis illis in peccata obduratis, & quibus ipſa plures ad peccandum illexerat, copioſos fontes elicit lacrymarũ ad eluẽdas copioſas maculas delictorum. 3. *Et capillis capitis ſui tergebat.* Non deerant illi lintea, ſed voluit capillos capitis ſui priùs vanitati & peccato impenſos, nunc pietati & Chriſto dicare. 4. *Et oſculabatur pedes ejus,* deteſtata iniquos greſſus ſuos, veſtigia Chriſti recta amplectebatur, & oſculis premebat, optans ab eo oſculũ pacis & reconciliationis. 5. *Et unguento ungebat,* ut & ipſa ab illo ungeretur meliori unguento virtutũ. Unge & tu Chriſtũ unguento optimo cõtritionis de recordatione peccatorũ, ac devotionis de recordatione beneficiorũ. 6. Eam hîc non verbis ullis loqui, ſed intimis ſuſpiriis de profundo cordis altũ clamare, ac veniam poſtulare ab eo quem cognoverat cordium ſcrutatorem.

Converſio ejuſdem.

PUnct. I. Conſid. 1. Chriſtum inſpecto interno murmure, ac temerario judicio Phariſæi de ſe ac Magdalena: *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia pecccatrix eſt:* remedium rei adhibere non aſperum, ſed lene, quo eum & erroris ſui convicit, & ad ſe convertit. 2. Parabolam priùs allegatam de duobus debitoribus obtenta condonatione, rectè eum mox explicare de ipſo ac Magdalena, qui cùm ambo debitores eſſent Chriſto, ac rei pœnæ de commiſſis peccatis; hanc tamen eò quòd ampliùs deliquiſſet, agnoſcere ſe plura debere, ac pro eorum remiſſione conſequenda Chriſtum ardentiori amore, & pietatis obſequiis demereri. 3. Conſid. Chriſtum duos habere debitores in hac vita, innocentem & pœnitentem; illum debere Chriſto innocentiam ſervatam, hunc verò peccata remiſſa: majus quidem eſſe donum Dei in ſe innocentiam, remiſſionem verò eſſe majus donum reſpectu perſonæ indignæ cui confertur, ac proinde utrumque certare debere de gratiis referendis.

Punct. II. Conſid. 1. Oſtendere Chriſtum quanti faciat obſequia ſibi à Magdalena exhibita, dum eis ſigillatim enumerandis, ac ponderandis inſiſtit, nihilque prætermittit, ut ſcias etiam ſingula opera tua bona ab eo obſervari & notari præmianda in cælis. 2. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Significat Chriſtus cauſſam remiſſionis, & quidem pleniſſimæ, etiam quoad omnem pœnam, fuiſſe ardentem ejus amorem piis illis obſequiis expreſſum, quem poſteà remiſſione obtenta longè magis accendit. Atque hîc attende magnos peccatores non rarò per ferventem converſionem aſſurgere ad altiorem gradum amoris, quàm tepidos per actus ſimiles; unde S. Gregorius: *Gratior eſt Deo fervens poſt culpam vita, quàm ſecuritate torpens innocentia.*

Lcu. 8. 3. *Punct. III.* Conſid. 1. Eam magno labore & conſtantia Chriſtum velut
Ioan. 11. 43. diſcipulam pedibus ſecutam, aluiſſe ipſum & Apoſtolos de ſua ſubſtantia, ideoq; Chriſtum & precibus ejus fratrem Lazarum à morte ſuſcitaſ-
Luc. 10. 41. ſe, defendiſſe eam doctrinæ ſuæ intentam ab otio contra Martham ſoro-
Matt. 26 10 rem, & contra Judã à profuſione unguenti. Ubi attende felicitatem ejus
Matt. 27. 56 qui Chriſtum habet advocatum. 2. Etiam in crucis ignominia eam Chri-
Luc. 24. 1. ſto adhæſiſſe, veniſſe tertio die ad ungendum mortuum, nec acquieviſſe
Ioan 20. 13 in ſolatio Angelorum, ſed perſeveraſſe, dum quem unicè diligebat, inveniſſet. 3. Poſt Chriſti aſcenſionem eam à Judæis cum ſorore & Lazaro aliiſque fidelibus navigio malè inſtructo expoſitam fluctibus hauriendam, ſed Deo dirigente Maſſiliam Galliæ portum appulſam, ibi poſt plurimos Chriſtianæ fidei adjunctos, in ſolitudine vitæ reliquum per annos 30. orationi ac corporis afflictioni impendiſſe; unde quotidie ſepties ab
An. 80. Angelis in altum ſublata, cœleſtes cantus percipiebat, dum tandem ad cæleſtem ſponſum ac Magiſtrum ſuum Chriſtum evolavit. FE-

FESTO S. APOLLINARIS. 23. Iulij.

Anno 34. Martij 24. in cœnaculo.

Christus reprehendit certamen Apostolorum de primatu. Luc. 22.

PUnct. I. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Consid. 1. Peracta cœna Christi cum discipulis, motum inter eos certamen de primatu, tempore importuno: unde apparet quàm parum illis cordi esset periculum Christi, & huic quàm parum solatij ab illis; sedat tamen hic eorum contentionem, non insultando nec exprobrando, sed suaviter corripiendo & instruendo. 2. *Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Monet eos Christus appetentiam illam excellentiæ, honorum, & dignitatum non decere discipulos suos, licet in gentilibus Dei notitia destitutis tolerandam: illis verò maximè competere humilitatem, eòque magis quò in altiori sunt gradu. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Domino invenies gratiam.* Eccl. 3. 20. & Augustinus: *Quantò majus est ædificium, tantò altius est fundamentum, & quantò arbor excelsior, tantò est profundior.*

Punct. II. Quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nónne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum sicut qui ministrat. Consid. 1. Christum hîc monitionem suam confirmare exemplo suo, quomodo se in omnibus coram ipsis demiserit, & ostendere humiliationem, seu sui abjectionem esse viam ad humilitatem, hanc autem certam & securam viam ad cælestem gloriam. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Phil. 2. 7. 2. *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Laudat eos de constantia, sed laudando suaviter monet ne in fine deficiant, nam *absq; perseverantia neque qui pugnat, victoriam, neque palmam victor consequetur.* Bernard. 3. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Promittit illis Christus veros honores & voluptates, si fucata contempserint; sicut autem, inquit, Pater cælestis mihi paravit & decrevit regnum celeste per humilitatem, labores, dolores, & tormenta: ita & ego vobis nunc moriturus, quasi testamento decerno; atque idem de nobis pari modo decrevit.

Punct. III. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Consid. 1. Christum hîc præmonere eos, ut se præmuniant adversùs tentationes diaboli, qui, sicut agricola agitando triticum paleas excutit, ita & ipsos tentatione sua velut cribro, agitando, & affligendo sit exercitaturus, ut minùs solidos excutiat. 2. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Ostendit Christus se duplex beneficiū Petro oratione sua à cælesti Patre obtinuisse; alterum personale, ut in fide numquam deficiat ipse; alterum commune successoribus, ne umquam deficerent in regimine Ecclesiæ; unde & hæc dicta est *Columna & firmamentum veritatis,* à qua qui defecerit, salvus esse non possit. 1. Tim. 3. 15.

FESTO S. IACOBI MAIORIS, APOSTOLI. 25. Iulij. I.

Punct. I. Consid. 1. Jacobum filium Zebedæi ac Mariæ Salomes, fratrem natu majorem Joannis, natione Galilęum, opificio piscatorem, inter primos Apostolos à Christo vocatum, mox *relictis retibus & patre* Matt. 4. 22. secutum, ideoque Majorem seu priorem dictum respectu alterius Jacobi posteà vocati. Imitare hîc promptam obedientiam in sequendo Christo vocante. 2. Consid. ipsum cum fratre Joanne ob singularem fervorem appellatũ à Christo *Boanerges*, seu filios tonitrui, eò quòd tanquam prin-Marc. 3. 17. cipales duces exercitus prædicatione sua, atque ardenti zelo quasi tuba & tonitru fidem Christi essent propagaturi: quare zelum eorum tibi imitandũm propone. 3. Cùm in hoc zelo deerrarent, rejecti à Samaritanis, ad quos prędicandi caussa à Christo missi fuerant, ideoque eis ignem de Luc. 9. 55. cælo imprecarentur, statim correctos à Christo fuisse: *Nescitis cujus spiritus sitis*: competere eis spiritum non vindictæ, sed mansuetudinis sibi proprium.

Punct. II. Consid. 1. Eum cum Joanne & Petro præ ceteris Apostolis assumptum tanquam conscium & testem arcanorum in transfiguratio-Matt. 17. 2. ne, in suscitatione filiæ Principis Synagogæ à morte, & in extrema ago-Marc. 5. 37. Matt. 26. 37 nia. Attende hîc quomodo etiam majorem familiaritatem cum Christo consequi possis. 2. Post Christi in cælos ascensum, accepta uberiore Spiritus sancti gratia, hanc mox insigni fervore & fructu per Judæam ac Samariam impendisse: inde in Hispaniam profectum per novem, quos ibi tantùm ad Christi fidem adducere potuerat (è quibus à S. Petro septem Episcopi creati) Hispaniæ provincias deinde Christiana fide feliciter illustrasse: unde disce successum laborum Deo committere, qui requirit à nobis, ut ait S. Bernardus, *curam, non curationem.*

Punct. III. Consid. 1. Eum ex Hispania reversum Jerosolymam, ibi fidem Christi non minori zelo, sed majori fructu promovisse, ideoque à Judæis accusatum, & ab Herode capitis damnatum, primum inter Apostolos Martyrij coronam obtinuisse, Virginitatis & Apostolatus lau-Anno 44. rea decoratam: ubi & ductorem suum ad supplicium, ea animi fortitudine permotum, ejusdem pro Christo martyrij socium habuit. 2. Eum posteà de cælo sæpiùs Hispanis in auxilium contra hostes adfuisse, ac nominatim sub Rege Raymiro, cùm juxta promissum ei factum palàm spectabilis, equo candido vectus & candidum vexillum præferens se-Anno 804. ptuaginta millia Maurorum profligavit: tu ora eum, ut etiam contra hostes spirituales nobis velit succurrere. 3. Consid. Corpus ejus Compostellam translatum maxima ibi veneratione à confluentibus undique coli, sic ut hunc diem translationis Ecclesia colendum assumpserit, pro Psal. 138. 17 die martyrij 30. Aprilis. Ita Deus honorat honorantes se. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

FESTO S. IACOBI MAIORIS, APOSTOLI. 25. Iulij. II. & S. Ioannis ante portam Latinam. 6. Maij.

Ann. 34. Martij in via Ierosol.

Christus docet filios Zebedæi primatum regni sui non cognationi, sed meritis tribuendum. Matt. 20. Marc. 10.

PVnct. I. *Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dextram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.* Consf. 1. Mariam Salome uxorem Zebedæi, matrem Iacobi & Ioannis Apostolorum, Christo sanguine conjunctam, & à filijs instructam occasione promissi à Christo facti, *Sedebitis & vos super sedes 12.* &c. Matt.19.28 Christum rogare primùm in genere, ut petitioni suæ proponendæ velit annuere, inde jussam exprimere: *Quid vis?* petere ijs primatum in ejus regno; ubi attende errorem matris & filiorum, vel quòd regnum Christi putarent carnale fore ac terrenum, vel si spirituale & cæleste, ignorarent illud meritis, nō verò cognationi sanguinis tribuendum. Hîc te examina quid à Deo velis, & cave vel terrena simpliciter appetere, vel cælestia indebito modo. 2. Hinc rectè ijs à Christo responsum: *Nescitis quid petatis.* Nesciebant enim terreni regni pericula, molestias, curas, & vanitatem, & *regnum* Christi *non esse de hoc mundo*: cælestis verò obtinendi modum & viam. Ioan.18.36.

Punct. II. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Consf. 1. Christum hîc docere eos viam qua regnum cæleste obtinendum sit, nempe per passionem & tribulationem, ad quam invitat eos & specioso nomine calicis, & exemplo suo: hinc disce malè peti triumphum ante victoriam, aut victoriam sine certamine. *Regnum cælorum vim patitur.* 2. Consf. Calicem Christi parum habere amaritudinis, sed deinde æterna dulcedine animum recreare; contrà verò calicem mundi seu Babylonicum parum habere dulcedinis, sed posteà æterna amaritudine torquere: elige ex his uter placeat. 3. *Dicunt ei: Possumus.* Offerant se illi ad ardua subeunda & amplectenda, offer & te, sed cum intentione recta, & animi fortitudine; atque ita dic cum illis: *Possumus*, & cum Apostolo: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Matt.11.12. Apoc. 17.4. Phil.4.13.

Punct. III. Calicem quidem meum bibetis. Consid. 1. Christum prædicere hîc utrique martyrium tanquam calicem honoris & amoris illis dilectis suis à se propinandum, ac proinde plura illis donare quàm petijssent, nempe pro excellentia terrena similitudinem suæ passionis. *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Phil.1.29. 2. *Sedere autem ad dextram meam, vel sinistram non est meum dare vobis*, docet eos & nos Christus ob sanguinis conjunctionem non deflectere à regula virtutis aut rationis. 3. *Sed quibus paratum est à Patre meo.* Vbi Consid. primatum in cælo paratum ijs qui hîc fortiùs certaverint, & primi fuerint in humilitate; unde subdit: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*, docens eos etiam in munere altiori constitutos modestè ac demissè se gerere.

FESTO S. ANNÆ. 26. Iulij.

PVnct. I. Conſ. 1. S. Annam Bethleemitidem, uxorem S. Ioachimi Nazarethani, cum illo pariter de tribu Iuda, ac regia Davidis ſtirpe, ſed nunc ad ioferiora pariter redactam, in ea ſtatus depreſſione ſe inſigni hu-
2 militate & magnanimitate geſſiſſe, atq; avitam nobilitatem eximijs virtutibus illuſtraſſe. 2. Totam ſe impendiſſe in accurata obſervantia divinę legis, aſſiduis orationibus, jejunijs, alijſque operibus pietatis & caritatis, ſic ut temporales proventus trifariàm partiretur, in templum ejuſque miniſtros, in pauperes, ac familiæ ſuſtentationem. 3. Poſt diuturnam 20. annorum patientiam in conjugij ſterilitate, ac frequentes preces, tandem ampliſſimè à Deo exauditam, nunciante Angelo eam parituram filiam Mariæ nomine nuncupandam, quæ omnes ſuperiorum ætatum illuſtres heroinas longè eſſet ſuperatura. Attende hîc quanta fuerint hujus Annæ gaudia, maximè ubi vidit eventum promiſſo reſpondere, & quo pietatis ſenſu repetierit Canticum illud alterius Annæ de nato illi Samuele: *Exultavit cor meum in Domino.* Diſce hinc etiam dilata deſideria
1. Reg. 2. 1. in patientia & ſpe ſuſtinere.

Punct. II. Conſ. 1. Eam partu hujus filiæ & Angelos in cælo, & Patres in limbo plurimùm exhilaraſſe, ac quod de Præcurſore Domini dictum eſt, *Multi in nativitate ejus gaudebunt*, in ea vel maximè locum habuiſſe. 2.
Luc. 1. 14. Eam ex filiæ hujus nomine feliciſſima omina concepiſſe, fore illam velut ſtellam maris in periculis commune perfugium, perducturam errantes luce ſua in portum ſalutis, dominam fore ac reginam, ac proximam imitatricem Dei altiſſimi: quare has Filiæ dotes Matri gratulare, tibique ut proſint, precare. 3. Conſ. Quomodo hanc Filiam ſuam anno ætatis tertio ablactatam mox cum conjuge Ioachimo Ieroſolymam ad templum duxerit Deo offerendam, quantumvis durum illi eſſet à tam charo pignore avelli, idque tum ut voti ſui obligationi ſatisfaceret, tum ut juxta divinam inſpirationem, eam potiùs cæleſtis, quàm terreni Regis aulæ conſecraret: unde diſce etiam promptè, licet cum incommodo, obligationi voti, & divinò inſpirationi ſatisfacere.

Punct. III. Conſid. 1. Sicut conſtat nobis Filiam ejus Marjam eximijs donis à Deo cumulatam, eò quòd in Dei Matrem eſſet evehenda; ita & Annam, quia in hujus Deiparæ Matrem electa erat, à proportione etiam ſingularibus donis fuiſſe à Deo ornatam, ac nos proinde ei ſingularem cultum & gratias debere. 2. Conſ. Fuiſſe Annam velut radicem, è qua virga prodijt cæleſti flore Chriſtò decorata, velut templum & ſanctum ſanctorum, ex quo arca prodijt complexa ſupremum legiſlatorem; denique velut cælum quod auroram nobis protulit nobilioris Solis prænunciam: qLare Matrem hanc pijs obſequijs venerare, & apud Filiam maximè de ſe pronam, patronam adhibe.

FESTO

FESTO S. MARTHÆ. 29. Iulij.

PVnct. I. Consid. 1. S. Martham Virginem natione Hebræam, nobilibus & copiosis parentibus natam, sed hospitio Christi clariorem, eum sæpiùs, & quidem cum Apostolis suis non solùm perbenignè ac reverenter excepisse, & de facultatibus suis aluisse; sed etiam voluisse ei ex affectus amplitudine suis manibus cibos parare ac ministrare. 2. Licet totam se Christi obsequijs impenderet, nihil tamen dignum satis tanto Domino, & pro suo in eum amore reputans, petijt & sororem sibi in ministerio sociam auxiliarem adjungi, de quo etiam monitionem Christi, sorore collaudata, æquissimo animo accepit. *Luc. 10. 40.* 3. Licet sciret etiam omnes Christo adhærentes, & vel maximè eum excipientes esse exosos apud primates Judæorum, propter odium quo in Christum flagrabant, nihil tamen illam de affectu suo in illum, vel obsequijs remisisse; nam Christi amicitiam omnium in se odijs præponebat.

Punct. II. Cons. 1. Fratre ejus Lazaro de vita periclitante, eam nuncium hunc paucis verbis ad Christum absentem misisse: *Domine, ecce quem amas, infirmatur*: *Ioan. 11. 3.* in quo attende & imitare ejus resignationem & fiduciā, quam Christus deinde tanto beneficio resuscitati fratris compensavit. 2. Advenienti deinde Christo ipsam extra Castellum primam occurrisse, & dolenter simul & amanter questam de fratris obitu, accendisse fiduciam: *Sed & nunc scio quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Et roborasse fidem, *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.*

Punct. III. Cons. 1. Post Christi in cælos ascensum, Judæis in Christi fideles sævientibus, Martham cum sorore, & fratre Lazaro cōprehensam, & in carcerem conjectam, facultatibus omnibus exutam, nihil de constantia remisisse: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* *Heb. 10. 34.* 2. Deinde navi sine velo ac remis, vastissimo mari commissam, cum alijs Christianis ad certum naufragium, Spiritu sancto dirigente Massiliam feciliter appulsam, ubi eo miraculo, vitæ exemplis, & prædicatione permoti plures Christi fidem amplexi sunt: sic & te tuaque Deo committe. 3. Magdalena pro commodiori contemplatione solitudinem amplexa, & Lazaro Massiliensium Episcopo creato, Martham vitę sanctitate omnium in se oculis conversis, virginitatis vexillum hîc primam erexisse, ac plures honestissimas virgines, contemptis sæculi vanitatibus, & virginitate Deo dicata, ad ferventiorem ejus cultum induxisse. 4. Tandem ultimo vitę octiduo, suavissima musica cælesti canentium Angelorum recreatam, dum Christus ei cum sorore Magdalena jam defuncta apparens, illam pro hospitalitate sibi hîc *Anno 90.* in terris exhibita, in cęleste regnum suum invitavit.

Vide in Euang. Festo Assumpt. B. Mariæ. 15. Aug. IV.

FESTO S. IGNATII CONF. 31. Iulij. I.

PVnct. I. Conf. 1. Sanctum Ignatium ex strenuo milite sæculari assumptum à Christo in militem ac ducem spiritualem, suggestâ ei occasione illati vulneris & lectionis piæ; unde disce occasiones à Deo datas captare, & per corporis incommoda, ac lectionem piam sterni viam ad Christum. 2. Ad Deum conversum, cœpisse insigni fervore tres illos Christi ac fidelium adversarios, appositis armis impugnare, mundum per studium humilitatis, carnem per corporis afflictionem & affectuum mortificationem, dæmonem per exercitium constantis orationis; unde disce ad novã militiam vitę spiritualis plurimùm conferre generosa initia, atque hæc potissimùm studia.

Punct. II. Conf. 1. Humilitati velut virtutum omnium fundamento Ignatium seriò animũ adjecisse, ideoque mox relictâ splendidâ parentum domo, pretiosas vestes cum vilioribus cõmutasse, mendicato victum quęsivisse, & cum mendicis familiariter, quasi unũ de illis conversatũ: in opprobrijs, calumnijs, & carceribus ferendis non æquum tantùm, sed & hilarem animum exhibuisse. 2. De collatis sibi donis naturæ aut gratiæ nihil umquam ad sui laudem loqui solitum. Aliorũ virtutes imitandas sibi proponebat, seque omnibus inferiorem reputabat, ex quo humilitatis studio sensim eò pervenit, ut multis ante obitum annis nullum in se inanis gloriæ motum agnosceret.

Punct. III. Conf. 1. Carnem domitam ab Ignatio primùm Manresæ per annum integrum ternâ per diem flagellatione, quotidiano jejunio (Dominicos dies si excipias) victu tenui in pane & aqua, humicubatione, veste aspera, ac frequenti cilicio, quibus austeritatibus carnem eò adegerat, ut nullum exinceps motum ejus in se senserit. 2. Animi etiam affectus studio mortificationis ita subegerat, ut eos pro libitu assumeret, ac deponeret, pace plena frueretur, nec leviter etiam corporis membra nisi ex ratione moveret; in verbis parcus maximè & circũspectus, neq; in acerrimis morbi doloribus gemitum, vel ullum afflicti animi signum ederet.

Punct. IV. Conf. 1. Eum dęmonis conatus per orationis frequentis studiũ faciliùs repressisse, cùm duos ejus asseclas mundũ & carnem impugnare acriter non cessaret: quotidiè Manresæ septem minimùm horas flexis genibus Deo in oratione impendebat, sæpiùs cælesti solatio & lacrymis perfusus, aliàs etiam adversis ac scrupulis exagitatus, constãti in Christũ ejusq; matrem fiducia, & conscientiæ manifestatione victor evadebat. 2. Horis deinde singulis mentem ad Deum colligere assueverat, nihil umquam alicujus momenti statuere, nisi præmissâ oratione; Deũ in re omni præsentem cernere, voluntatem suam divinæ in omnibus accõmodare, &
Ps. 72. 25. ad cælestia adspirare. *Quàm sordet mihi terra dum cælũ adspicio! Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

FESTO

FESTO S. IGNATII CONF. 31. Iulij. II.

PVnct. I. Consid. 1. Paternam curam divinæ providentiæ erga S. Ignatium inde ab exordio conversionis, cùm illi nocte meliora animo volventi Deipara cum Filio suo se exhibuit, velut approbans concepta desideria, & extincto omnium caducarum rerum affectu, singulari piæ voluptatis sensu animum perfudit. Deinde Venetiis, dum navigandi opportunitatem in Palæstinam præstolans, noctu sub dio quiescit, excitat Deus è strato virum nobilem Senatoriū, ut hunc servum suum sub fori porticu quiescentem hospitio & solatio excipiat. Redeuntem verò ex Palæstina cymba lacera, per mare incolumem in portu sistit, aliis duabus navibus firmis & optimè instructis, unde rejectus ipse fuerat, demersis: unde disce etiam te tuaque Deo committere. 2. Consid. quomodo Deus illum jam maturiori ætate, Parisiis potissimùm cum Judæorum molestiis & paupertate luctantem direxerit, aluerit piorum eleemosynis, adversùs iniquorum calumnias protexerit, imò & sociis auxerit. 3. In Romano itinere cùm solus desertam ædiculam ingressus, precibusque ardentiùs insistens, vidit cælestem Patrem Christo Filio suo crucem gestanti Ignatium ac socios suavissimè commendantem, Filiumq; Patri annuentem, & ad se conversum ore amoris pleno sibi dicere: *Ego vobis Romæ propitius ero:* quod visum sociis mox communicatum, omnes gaudio cumulavit, animosque auxit ad quævis ardua subeunda.

Punct. II. Consid. 1. Ignatium Societatis fundatæ Præpositum Generalem, quantumvis invitum renunciatum, mox in sedulam executionem impositi muneris incumbere, inprimis assiduis precibus, velut fulcris Societatem firmando, prudentia regendo, spiritus magnitudine defendendo, socios ad heroïcas virtutes verbis & exemplis inflammando, quos crescente indies numero in varias civitates & provincias distribuebat. 2. Consid. eum licet omnibus præpositum, tamen omnibus se sincera mansuetudine æquare, imò & velut postremum ad inferiora obsequia se demittere, & hoc humilitatis studium sociis maximè inculcare tanquam validius ad salutem proximi, quàm auctoritatem.

Punct. III. Cons. 1. Amorem S. Ignatij erga proximū, quem testabantur assidui ejus labores & curæ pro eorū salute promovenda. In quibus omnibus magnum se operæ suæ pretium laturum dicebat, si vel unicū mortale peccatum impedivisset. 2. Cons. Amorem ejus erga Deum; unde dicebat non posse animo majus gaudium accidere, quàm ex perferendis pro Christo adversis, his se omnia mundi gaudia postponere, eam esse expeditiorem ad perfectionem viam. 3. Eum tandem laboribus fractum, post annos 35. vitæ sanctioris, gubernatam Societatem annis 15. distributam per provincias 12. domicilia centum, ad æterni numinis conspectum anhelantem, ibi laborum præmia consecutum. *Anno 1556. Æt. 65.*

FESTO S. PETRI AD VINCVLA. 1. Augusti.

De ejus liberatione è vinculis Hierosolymæ, atque eorum cum Romanis miraculosa connexione.

PVnct. I. Consid. 1. S. Petrum pro fidelium instructione & solatio Jerosolymam profectum, ibi ab Herode fideles persequente, post occisum S. Jacobum, etiam comprehensum & in vincula conjectum, quibus ipse magis quàm omnibus mundi vanis insignibus exultabat, eò quòd hæc sibi pro Christo contingerent. 2. *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*, tanquam pro universali pastore, ne eo percusso imbecillus adhuc fidelium grex pateretur. 3. *Cùm producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte, erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, & custodes ante ostium custodiebant carcerem.* Ubi Consid. quietem securæ conscientiæ committentis se divinæ providentiæ, & hanc permittere quidem suos sæpè deduci ad extrema, ut inde eos illustriori auxilio liberet.

Act. 12. 1.

Punct. II. Et ecce Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussoq; latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. Consid. 1. Veloces Angelos requirere à nobis velocem obedientiam, & excusso torpore experturos nos potentiam opis divinæ. 2. Et jussit eum Angelus assumpto vestimento sequi se, à quo deductus per duplicem custodiam, & portam ferream, *quæ ultrò aperta est eis*, disparente deinde Angelo, *Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio verè quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.* Speraverant hi se in Petro extincturos fidem Christi, & Deus eorum conatus, in gloriam Christi, Petri ac fidelium convertit: disce hinc etiam solicitam, benignam, & potentem curam Angeli custodis.

Punct. III. Consid. hæc vincula à fidelibus deinde piè asservata, insigni miraculo à Deo illustrata fuisse, cùm Eudoxia Imperatrix Jerosolymam profecta, inter plura munera ibi accepta, etiam unam ex his catenis sibi donatam piè venerata, Romam ad filiam Eudoxiam misit, quæ cùm illam Pontifici exhiberet, & hic vicissim illi alteram, qua Petrus Romæ sub Nerone vinctus fuerat, subitò ambæ illæ, inter se ita coaluerunt, ut non nisi una catena videretur, & esset: quo miraculo hæc vincula in publica veneratione habita, & erecta in eorum memoriam Ecclesia, & annua solennitate instituta, exinceps multis ægris sanitatem, & energumenis liberationem attulerunt: unde collige velle Deum suorum afflictiones hîc etiam in terris honorari, & si tam potentia sint Petri vincula, ejusque umbra fuerit hîc in terris, multò potentiora fore ejus jam in cælis gloriosi patrocinia, quæ tanquam Capitis pro membris confidenter nobis sunt imploranda.

Anno 439.

Vide alteram Meditationem de Evang. festo Cathedræ Antiochiæ, 22. Februarij.

FESTO S. DOMINICI. 4. Augusti. I.

PVnct. I. Consid. 1. S. Dominicum illustri Gusmannorum familia in Tarraconensi ditione sub regno Hispaniæ oriundum, è matris utero futuram sanctitatem & doctrinam, qua orbem aliquando illuminaturus & accensurus esset, divino prognostico præmonstrasse, cùm matri visus est velut catulus facem ore præferre, & natus deinde radianti stella in fronte illustris; quam veritatem ipse postea sua suorumque opera comprobavit. 2. Eum deinde pòst humaniorũ litterarũ studia, Philosophię atque etiam Theologiæ scientiis excultum in Canonicorum Collegium, atque inde mox ad Archidiaconi dignitatem evectum, utpote qui ad Ecclesiasticæ disciplinæ observantiam ceteros exemplo suo plurimùm esset promoturus: hinc & tu disce socios exemplo virtutum bene ædificare, atque ad virtutum studia etiam scientiarum esse jungenda ei, qui proximorum salutem intendit. 3. Ab Episcopo in Gallias Legato socium assumptum, Tolosanam, qua transibat, ditionem hæresi maximè infectam expurgare aggressum, in reditu deinde per annos septem nec laboribus nec periculis deterritum, ibi supra centum millia ab hæresi ad rectam fidem adduxisse.

Punct. II. Consid. 1. Dominicum Tolosæ sociis aliquot collectis, spiritus pariter ardentis, & in verbo Dei prædicando indefessis, Romam profectum ibi Innocentio III. Pontifici suam suorumque operam obtulisse, sub novi Ordinis religioso instituto, ad prædicandum ubique Euangelium, & hæreticos ac peccatores in viam salutis reducendos: quod licet tunc & diaboli communis adversarij machinis, & occultis divinæ providentiæ consiliis, differretur; minimè tamen ipsum conceptam de Deo fiduciam deposuisse: unde disce etiam in adversis animum non despondere. *In Domino sperans non infirmabor. Spes autem non confundit.* 2. Adfuisse pro- *Psal. 25. 1.*
inde Deum generoso athletæ suo, cùm Pontifici in somno objecit Late- *Rom. 5. 2.*
ranensem Ecclesiam velut labentem, sed à Dominico totis viribus sustentatam: unde cognovit ipse hunc tanquam Ecclesiæ Romanæ columen à Deo datum: quare mox ad se vocatum jubet Regulam à se probandam concipere; sed eo interim morte præoccupato, id à successore ejus Honorio ibidem III. feliciter confectum, atque Ordinem confirmatum: ubi attende Deum actoribus caussæ suæ adesse, cùm se apta reddiderint instrumenta, & constantiam probaverint. 3. Etiam illi spem cælesti viso fuisse roboratam, cùm in templo S. Petri nocte orans coram Ven. Sacramento, vidit Christum in regio solio, peccatorum gravitate ac multitudine exasperatum, tribus lanceis instructum, excidium Mundo minitantem, sed Deiparam supplicem exhibitis Dominico & Francisco, qui in peccatoribus reducendis strenuè essent collaboraturi, iram Filij placasse: ubi attende efficaciam patrocinij Deiparæ.

FESTO S. DOMINICI. 4. Augusti. II.

PUnct.I. Consid.1. Quibus mediis S. Dominicus tantam vitæ sanctitatem & Ordinis sui claritatem sit consecutus: in Deiparæ patrocinio tantum ponebat fiduciæ, ut nihil gravioris momenti inciperet aut absolveret, nisi peculiari ad eam recursu, nec quidquam per eam peteret, quod non impetraret: quare & cultum ejus per Rosarij recitationem, tanquam singulare ad salutem præsidium, passim omnibus maximo cum fructu inculcabat. 2. Ut eidem Virgini ipse & actiones suæ magis placerent, castitatem velut thesaurum cælestem sibi omni studio conservandam decreverat, ideoque tres ejus capitales hostes, intemperantiam in victu, otium, & familiaritatem cum altero sexu maximè aversabatur, adeò ut sub vitæ finem suis palàm significaverit, se castitatem illam toto vitæ tempore, peculiari Dei favore, & vigilantia sua integram & illibatam constanter servasse.

Punct.II. Consid.1. Ipsum orationis tam mentalis quàm vocalis exercitiis noctes diesque, extra occupationes pro salute proximi, eo pietatis sensu intentum fuisse, ut in ea aliquando corpore in altum elevatus videretur, & fassus sit se in oratione nihil à Deo postulasse, quod non obtinuerit. 2. Ad carnem coërcendam, eam aspero cilicio & catena ferrea stringebat: sæpè quotidie, sæpè ter noctibus singulis in se ferreis flagris, non sine copiosa sanguinis effusione, sæviebat, quæ Deo offerebat pro peccatis tum suis, tum proximi, tum animarum in Purgatorio: lectus illi erat dura humus, vel pauci asseres, victus tenuis, nec nisi quadragesimalis: unde cave tu carnem tuam molliùs tractare. 3. In his omnibus plurimùm juvabatur à contemptu sui, quo malebat iis locis degere ubi opprobriis magis divexaretur, ac vilissima in omnibus velut postremus ipse consectabatur: stipem mendicato petere non erubescebat, quam & flexis genibus excipiebat, ea se indignum ratus, honorifica sibi loca & munia declinabat, tres Episcopatus sibi delatos constanter respuit; quem sui contemptum Deus inter cetera miracula, tribus mortuis ad ejus orationem vitæ restitutis, illustrem reddidit.

Punct.III. Cons.1. Eundem peragratis jam pluribus regionibus Hispaniæ, Galliæ, & Italiæ, ubique cum amplissimo fructu animarum, & Ordinis sui incremento, tandem Bononiæ à Christo ad cæli gaudia possidenda invitatum; inde mox morbo correptum, quem sibi lethalem fore cognoverat, non potuisse exultantis animi lætitiam dissimulare, sed convocatis fratribus exposuisse hunc fructum esse sæculi pro Christo contempti; jacturam vitæ præsentis levem esse, ut potiamur æterna. 2. Cùm illis postremò caritatem, humilitatem, paupertatem, & castitatem, tanquam certum patrimonium testamento reliquisset, orantibus, in illis verbis, Anno 1221 *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli*, laborum præmia est consecutus. Act. 1.

FESTO

PVnct.I. Conf.1. S.Augustinum natum Tagaste, tenui, ut ipse ait, municipio in Africa, parentibus tamen honoratis, inde à prima ętate ingenij præstantia inter coætaneos suos excelluisse; unde ipse, inquit, *Omnes libros artium liberalium per me legi & intellexi. Celeritas intelligendi & acumen disputandi donum tuum est, sed non inde sacrificabam tibi.* Hinc collige divinam providentiam prævenisse Augustinum tam præclaris naturę talentis, ut illis Ecclesiam deinde insigniter illustraret; quamquam ijs per annos plures ipse pessimè abusus est. 2. Eum deinde Carthagine prava societate in plura vitia, nominatim carnis & hęreseos Manichæorum abreptum, quod dolenter ipse postea deplorat: *ô nimis inimica amicitia, seductio mentis? cum dicitur: eamus & faciamus, & pudet inter impudentes non esse impudentem. Ne vituperarer vitiosior fiebam, & ubi non suberat, quo admisso aquarer perditis, fingebam me fecisse quæ non feceram, ne viderer abjectior quò eram innocentior.* Attende hic damna pravæ aut laxioris Societatis. Lib. Confess.

Punct. II. Conf. 1. Non destitisse interim divinam misericordiam, multùm permotam assiduis precibus & lacrymis pijssimæ Matris ejus Monicæ, in urgendo & compellendo illo velut ove errante ad viam salutis. *Oculus tuus*, inquit, *non excludit cor clausum, nec manus tua repellit duritiam hominum. Irruebat in me ipsa vis veri, & avertebam palpitantem mentem. Institisti crebrescens multimodis vocibus, ut andirem delonginquo.* Confer hîc etiam eamdem Dei erga te misericordiam. 2. Inhæsisse nihilominus Augustinum vitijs suis, à prava consuetudine velut catenis detentum. *Rapiebar*, inquit, *decore tuò, moxq́; diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in ista cum gemitu, & pondus hoc consuetudo carnalis. Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed ferrea mea voluntate.*

Punct. III. Conf. 1. Quomodo divina bonitas prętor internos impulsus, varias externas occasiones illi objecerit serię resipiscentiæ, ac primùm mortem amici ab eo perversi, quam animitus lugebat: conversionem Victorini Oratoris celeberrimi in ętate senili: tum etiam trium familiariũ Imperatoris, qui ex lectione vitæ S. Antonij, Christi fidem & monasticam vitam amplexi erant. 2. Conciones S. Ambrosij, & privata cum eo colloquia, sed quia facundiam in ijs magis spectabat quàm fructum, assurgere non poterat. 3. Denique claram de cælo vocem crebriùs repetitam: *Tolle lege, tolle lege*, ad quam accepto quod ad manum erat volumine, legit: *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum.* Unde exurgens ruptis vinculis manus dat Deo, exhilarat Matrem & Ambrosium, à quo annos jam natus 30. Sacro baptismi fonte abluitur, & Eucharisticum hymnum: *Te Deum laudamus*, pariter decantant: Expende hic gaudia Angelorum in cęlis super hac insigni drachma, & ove inventa, ac prodigo filio recepto, cum quo & tu gratias Deo persolve. Rom. 13, 13

PVnct. I. Consid. 1. S. Augustinum jam sacro Baptismi fonte Christo renatum cum gaudio Angelorum, & Ecclesiæ,& piæ Matris suæ,dū eam in patriam reducit, in portu navem conscensurum, ea fuisse orbatum, post piissima simul habita de cælesti beatitudine colloquia ac desideria. 2. Eum in Africam reversum,ibi mox ut Christianæ vitæ perfectionem sectaretur,Sacerdotio initiatum,& exstructo monasterio, familiam religiosorum instituisse, quibus virtutum omnium exemplis prælucebat. 3. Humilitate inprimis ,in qua virtutes cæteras fundandas existimabat; honores omnes & dignitates, earumque occasiones studiosè declinasse, sic tamen ut impedire non potuerit, quin divina bonitas, quæ exaltat humiles, ipsum ad altiora eveheret.

Punct. II. Consid. 1. Eum vitæ sanctitate pariter & doctrina, zelo & Apostolico eloquio in concionibus sensim magis inclarescentem, Hippone ab Episcopo priùs in adjutorem, inde etiam in successorem assumptum,zelum suum mox illustriùs exeruisse,tum in disciplina Ecclesiastica reformanda, tum in vitiis populi corrigendis, tum vel maximè in hæreticis confutandis,quod & cum ubertimo fructu confecit. 2. Ut in Episcopali dignitate religiosæ vitæ tenorem commodiùs servaret, exstruxisse eum in suo Episcopio alterum monasterium Clericorum Regularium, quos ad Aqostolicæ vitæ normam dirigebat, mensam pia semper lectione vel disputatione condiens,ea temperantia,ut ipse testatur: *hoc me Domine docuisti,ut quemadmodū medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* 3. Pro castitate tuenda, post delicta juventutis, familiaritatem cum altero sexu, etiā proximè consanguineis omnino evitabat, eamque insuper assiduis apud Deum precibus efflagitabat, sciens esse donum Dei. 4. Cons. amorem, ejus erga Deum *serò te amavi pulchritudo tam antiqua, tam nova. Minùs te amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Omnis copia, quæ Deus meus non est egestas est.*

Punct. III. Cons. 1. Eum scriptis etiam suis eruditissimis & piissimis Ecclesiam singulariter illustrasse,ut meritò appelletur à Pontificibus, Conciliis,& Ecclesiæ Doctoribus: *Sapientiæ fons, Ecclesiæ columen, fidei scutum, malleus hæreticorum,exemplum Prælatorum, Doctor Doctorum.* 2. Cùm hac eminenti doctrina summam habuisse modestiam & humilitatem; unde non erubuit delicta sua libris 13. Confessionum palàm exponere, *non* inquit *quod ea amem, sed ut amem te Deus meus; ut agantur tibi gratiæ de me, & rogeris pro me.* 3. Eum tandem Hippone febri correptum,cùm cognovisset sibi mortem instare, curasse sibi septem psalmos pænitentiales in conspectu poni, quos cum lacrymis piissimè legebat, dicere solitus, neminem, etsi nullius criminis sibi conscius esset, committere debere, ut sine pænitentia migret è vita

Festo transfigurationis Christi. 6. Augusti. Vide Dom. 2. Quadrag.

FESTO S. LAVRENTII. 10. Augusti.

PVnct. I. Conſ. 1. S. Laurentium natione Hiſpanum, in Aragoniæ regno à parentibus pijs & ſanctis pietatis ſtudijs excultum, Romæ deinde ſub Sixto Pontifice ſecundo Archidiaconum, commiſſo ſibi munere fideliter obeundo viam ſibi ſtraviſſe ad tam illuſtris martyrij palmam. 2. Sæviente in Chriſtianos Imperatore Valeriano, etiam Sixtum Pontificem comprehenſum, cui ad carcerem pertracto obvius Laurentius ſuum martyrij deſiderium dolenter exponit: *Quò progrederis ſine filio pater? quò ſacerdos ſancte ſine diacono properas? tu numquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueveras.* 3. Poſtridie Sixto ad ſupplicium ducto, Laurentius interim ejus juſſu diſtributis in pauperes Eccleſiæ facultatibus, iterùm obvius, urget: *Noli me derelinquere, Pater ſancte; jam enim expendi theſauros quos tradidiſti mihi.* Ubi Conſ. promptam & fidelem ejus operã in mandato impoſito exequendo. 4. Reponit ei in ſolatium Pontifex: *Non ego te deſero fili, neque derelinquo, ſed majora tibi debentur pro Chriſti fide certamina: nos quaſi ſenes levioris pugnæ curſum recipimus, te quaſi juvenem glorioſior manet de tyranno triumphus: poſt triduũ me ſequeris ſacerdotẽ levita:* ubi attẽde viris zeloſis ſolatio & gaudio eſſe, pati pro Chriſto.

Punct. II. Conſ. 1. Laurentium mox etiam comprehenſum, Hippolyto militum præfecto de theſauris Eccleſiæ interroganti, captata inde occaſione de theſauris cæleſtibus, Catholicam fidem perſuaſiſſe, *Si credideris in Dominum Ieſum Chriſtum, & theſauros tibi oſtendo, & vitam æternam promitto.* Cujus exemplum domeſtici ceteri univerſum 19. amplexi ſunt. Diſce hinc inter adverſa zelum non remittere. 2. Deinde tyranno etiam theſauros poſcenti, cùm addixiſſet ſe eos proximè exhibiturum, ſiſtit poſtridiè pauperum greges, in quorum victum & amictum theſauros erogaverat. 3. Tyrannus, quia præda fruſtratus, ira exardeſcens, jubet mox Laurentium toto corpore conſcindi, ferreis laminis uſtulari, plumbatis, & ſcorpionibus cædi; ſed ille ridens tyranni ſævitiam, *Deum meum colo,* inquit, *& illi ſoli ſervio, & ideò non timeo tormenta tua:* cumque nova illi & atrociora nocte ſequente ſubeunda tyrannus intentat, ille animo placido ſubdit: *Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt.*

Punct. III. Conſ. 1. Poſt varia tormenta fruſtrà adhibita, adinventam à tyranno ingentem cratem ferream, cui penitus ignitæ lacera membra invicti athletæ imponi jubet, ut eò mors eſſet atrocior, quò pœna productior; ſed hinc ille velut ex roſis tyranno inſultat: *Aſſatum eſt jam, verſa & manduca.* De quo S. Ambroſius: *Ardebat extrinſecus tyranni ſævientis incendijs, ſed major illum intrinſecus Chriſti amoris flãma torquebat.* 2. Videns parata ſibi in cælis præmia, orabat: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Ubi deterſo omni dolore, in æterna gaudia eſt exceptus. *Anno Chriſti 259.*

De Evang. V. de Comm Matt. v.

FESTO S. CLARÆ. 12. Augusti.

PUnct. I. Conſ. 1. S. Claram Virginem familia nobili Aſſiſij Italię oppido parentibus opulentis natam, & quidem precibus à Deo peculiariter obtentam, ac prænunciatam fore, ut inſtar clari ſideris orbem aliquādo illuſtraret; unde & nomen ſortita poſteà vitę ſanctitate prædictionem implevit. 2. Eam ab annis teneris mox omni virtutum genere cœpiſſe clarere, orationis tam mentalis quàm vocalis ſtudijs ſingulariter addictam, in qua cæleſtibus delicijs affluebat, potiſſimùm cùm Chriſti vitam & cruciatus recoleret: preces ad Deiparam, cùm Roſarium deeſſet, lapillis congeſtis definiebat. 3. Mundi vanitates, ut verè inanes, divinoq; cultui contrarias aſpernabatur; unde virginitatem ſuam Chriſto cæleſti ſponſo conſecrabat, & ſub veſte ſplendida, qua parentū voluntati morem gerere jubebatur, aſperū ad carnis mortificationem occulebat cilicium.

Punct. II. Conſid. 1. Cùm ſub id tempus S. Franciſcus cæleſtem ignem Divini Amoris ſibi communicatum ibidem ſpargeret, illam pro deſiderio ejus videndi & alloquendi accenſam, voto mox potitam, ab eo in repudiandis mundi vanitatibus inſigniter roboratam, ad ſanctioris vitæ inſtitutum magis exarſiſſe, pro quo ipſum ducem ſibi ac moderatorem deligebat. 2. Eam deinde hujus conſilio in vicino cænobio S. Marię de Portiuncula, omni ſæculi pompa rejectâ, atque opibus in pauperes diſtributis, vilem veſtem aſſumpſiſſe, qua uni cæleſti ſponſo magis placeret, qui ſicut Franciſcum elegerat tot illuſtriū filiorum ſub crucis ſigno ſibi militantiū parentem: ita & illam Virginum adeo ſpiritu viventiū Matrem. 3. Eam Aſſiſium reverſam, ibi in principio ſanctioris vitę varijs modis à diabolo impugnatā, ſed cum illuſtriori gloria victricem ſemper evaſiſſe.

Punct. III. Conſ. 1. Eam in hoc ſancto ſeceſſu in corporis caſtigationem ſedulò incubuiſſe, ſic ut toto tempore ſacri Adventus & Quadrageſimæ non niſi pane & aqua veſceretur, ac ternis per hebdomadam diebus nihil omnino ſumeret; lūbos aſpero ſtringebat cingulo, corpus cilicio premebat: humus ei lectus erat, & ligni trūcus pro pulvino capitis. 2. Noctes in oratione ſæpè inſomnes exigebat: erga Sāctiſſimi Sacramenti venerationem miro affectu & fiducia ferebatur; unde Saracenis Aſſiſium, ipſumq; monaſterium obſidentibus, ægram ſe ad portam deferri curavit cum vaſe ſanctiſſimi Sacramenti; ubi cùm oraſſet: *Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi, & cuſtodi famulas tuas, quas pretioſo ſanguine redemiſti*, hæc vox audita eſt, *Ego vos ſemper cuſtodiam.* Et mox hoſtes omnes partim diſſipati, partim oculis capti è muro præcipites deciderunt. 3. Singulares ejus virtutes præclaris miraculis etiam in hac vita à Deo comprobatas, ſæpiùs ſigno crucis dæmones è corporibus exactos, & morbos graves depulſos, dū poſt illuſtria patientiæ exempla in diuturna ac moleſta ægritudine per annos 28. & exactos
An. 1253. in monaſterio 42. meritis plena in manus cęleſtis ſpōſi ſibi cum Deipara & cęleſtium virginum choro apparentis, ſpiritū reddiderit.

FESTO

FESTO B. STANISLAI KOSTKÆ, 14. Augusti.

PVnct. I. Conſ. 1. B. Staniſlaum ex illuſtri Koſtkarum familia in Polonia natum, natura vividum, ab omni tamen levitate & immodeſtia ſemper abhorruiſſe; unde cum fratre natu majore ſtudiorum cauſſa Viennam miſſus, annis adoleſcentem, prudentia virum referebat; moleſtus erat nemini, carus omnibus, & pietatis ac conſtantiæ exemplum. 2. Duriorem ibi in ſe fratrem expertus, captabat patientiæ ceterarumque virtutum illuſtrem materiam, prçveniendo eum obſequijs benignç caritatis ut fratrem, & ſedulæ humilitatis ut famulus Dominum.

Punct. II. Conſ. 1. Eum ſtudiorũ tempore, cùm perverti à dæmone non poſſet, ſaltem terriculamentis divexatum, quem in forma tetri canis cubiculũ ingreſſum, & lecto apertis faucibus tertiò adſilientem, toties crucis ſigno victor fugavit. Diſce & eiſdem armis machinas ejus ſuperare. 2. Hinc cæleſtis pabuli ardẽs deſiderio, cujus ſpem hçreticus hoſpes ſucciderat, invocata ope S. Barbaræ, quam cognoverat clientes ſuos non deſtituere extremis præſidijs, eam duobus ſtipatam angelis præſentem habuit, qui S. Hoſtiam ei reverenter porrexerunt, quam ipſe prius ſubmiſſè veneratus, pari gaudio ſuſcepit. 3. Ingraveſcens deinde morbus novo beneficio locũ dedit, cùm Deipara, cujus cultui eximiè deditus erat, ſpectãdam ſe ei præbuit, parvulum filium ſinu geſtans, eumque illi ad ſolatium in lecto offerens, morbo ad contactum evaneſcente, monenſque ut ejus Societati nomen daret, ſalutem ſuam in ea aſſerturus. Expende hîc dulciſſima cum Chriſto, ejuſque Matre colloquia, quam & ſuam deinde Matrem filiali affectu appellare ſolet.

Punct. III. Conſ. 1. Cùm patientia ejus à fratre magis quotidie exerceretur, eum occaſionem inde accepiſſe divina monita exequendi; quare in veſte ruſtica fugam arripiens, etiam inſequentium conatus miraculo eluſit. 2. Eum jam Romç in tyrociniũ Societatis admiſſum, quaſi ad eam natus & factus eſſet, ita in legum omniũ, ac domeſticæ diſciplinæ obſervantia excelluiſſe: modeſtia vultus, motuumque omnium erat ſingulari, parcus in verbis, non tçtricus, floridam illi ætatem non tam adoleſcentia, quàm animus cæleſtibus paſtus delicijs reddebat. 3. In oratione eo fervebat amoris ardore, ut opus eſſet frigida pectus recreare. In caſtigãdo corpore etiam freno egebat: quç in alijs virtutum exempla videbat, mox ſibi exprimenda ſtatuebat; unde & in Angelorũ cœtu ſe eo indignum vivere aſſerebat. 4. Hoc virtutũ ſtudio tempore brevi ampla ſpatia emenſus, ad immortalem vitam jam maturus evocatur; quare morbo correptus, atque extremis munitus præſidijs, patronis potiſſimùm menſtruis in auxilium imploratis, ſuaviſſima miſcens cum Chriſto crucifixo, ejuſq; Matre colloquia, inter ſacra utriuſq; nomina, animam nullâ umquam lethali labe infectam è Virgineo corpore, ſuo reddidit creatori. Venerare & tu in juvene fervorem virilem, nec pigeat imitari. *Anno Christi 1568. Ætat. 19.*

FESTO

FESTO ASSVMPTIONIS B. MARIÆ. 15. Augusti. I.

De glorioso ejus obitu.

P*unct.I.* Conf. 1. B. Virginem Deiparam, post Filij in cælos ascensum, hîc in terris relictam, ne Ecclesia quasi parente duplici simul orbaretur, sed ut illa velut benigna Mater eam adhuc teneram foveret, instruendo Apostolos & Euangelistas, roborādo Martyres, animando Confessores, & accendendo Virgines ad amorem castitatis. 2. Eam exhibuisse se exemplar post Christum perfectissimum omnis perfectionis, per accuratam observantiam consiliorum, per studium singulare orationis erga Deum, zelum animarum erga proximum, & modestiam internam ac externam erga se, cum continuo & ardenti progressu in virtutibus. 3. Tandem post frequentia ad Filium cum ardore & resignatione suspiria, optatissimum nuncium accepisse ab Archangelo Gabriele de migratione ad ipsum, & explendis cælitum desiderijs ad ejus conspectum anhelantium.

Luc.1.38. Expende hîc ejus gaudium resignatione temperatum: *Fiat mihi secundùm*
Ps.121.1. *verbum tuum. Lætata sum in his quæ dicta sunt mihi.* Et hinc disce, etiam inflammatis desiderijs ac resignatione te ad mortem præparare.

Punct. II. Conf. 1. Christum voluisse Apostolos suos Matri morienti adesse, tum ad ipsius honorem, tum ad illorum solatium; quos proinde prodigiosè Ierosolymam translatos, mœstos pariter ac sperātes de potentiori ejus in cælis patrocinio, ipsa extremis monitis instructos, benedictione donavit. 2. Adfuisse etiam morienti Christum de cælo cum amplo co-

Cant.2.10. mitatu Angelorum blandè eam invitantem: *Surge propera amica mea, formo-*
Cant.4.8. *sa mea, & veni; jam enim hiems trāsijt, imber abijt & recessit, veni de Libano sponsa mea,* de excelso culmine perfectionis, *veni, coronaberis.* 3. Illam conspectu Filij mirè exhilaratam ultima ejus in morte verba hîc etiam repetijsse: Fili
Ps.30.6. *in manus tuas commendo spiritum meum:* atque ita sine ullo doloris sensu, quem
Anno Christi 48. sub cruce abundè sustinuerat, sola amoris vi absorptam expirasse. *Fortis est*
Ætat. 63. *ut mors dilectio.* Nos ut similem etiam mortem assequi possimus, vitam
Cant. 8.6. ejus imitemur, & opem imploremus, *Tu nos ab hoste protege, & hora mortis*
Eccl. Offic. *suscipe.*

Punct. III. Conf. 1. Sacrum ejus corpus mox à morte pretiosis unguentis de more delibutum, ac munda sindone involutū, inde ad sepulchrum delatum à summo Pontifice Petro, cæterisque Apostolis ingenti solatio perfusis, hymnos Deo canentibus, & Angelorum choris suavissimam melodiam intercinentibus, quam & hi ibi per triduum cōfirmarunt, Reginæ suæ corpus venerantes. 2. Christum sepulchrum Matris mox clarissimis miraculis honorasse, cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum restitutum, omne morbi genus ad ejus præsentiam confugisse, ac peccatores
Num.23.10. delictorum veniam obtinuisse. *Moriatur anima mea morte ejus, & fiant novissima mea ejus similia.*

FESTO

De assumptione animæ ejus in cælum.

PVnct.I. Consid. 1. Christum animam purissimam Matris suæ corpore egressam suavissimo amore excepisse, mutuo hinc inde amplexu, cum ineffabili ejus gaudio, ut dicere posset: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Inveni quem diligit anima mea: tenui eum nec dimittam.* 2. Occurrisse ei millia Angelorum ex omnibus choris gratulabunda, præcinente Gabriele: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*: accinamus & nos quod ad Judith Hebræi: *Tu gloria Ierusalem*, militantis & triumphantis, *tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri: benedicta tu in æternum*, & per te benedicti erunt quos tu protexeris. 3. Eam non Angelorum manibus, sed à Christo, quem ipsa aliquando infantem utero & ulnis portaverat, deduci triumphabundam, & omnium sanctorum claritatem gloriæ suæ radiis exsuperantem, stupentibus Angelis: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Hinc & disce tu affectu mundana deserere, & virtute proficere, ac fiduciam in Deo collocare. Cant. 2. 6. Cant. 3. 4. Luc. 1. 28. Iud. 15. 10. Cant. 8. 5.

Punct. II. Consid. 1. Animam illam cælum empyreum ingressam ibi omnium cælestium spirituum lætitia, & Sanctissimæ Trinitatis gaudio exceptam, à Patre æterno ut filiam dilectissimam, à Filio ut Matrem, à Spiritu S. ut Sponsam: expende hîc & silentio ac admiratione venerare pacis oscula, amplexus, & amantissima colloquia & honores exhibitos. 2. Quāta fuerit gloria illius animæ; si enim justis omnibus Christus promiserit gloriæ *mensuram bonam, & confertam & coagitatam, & supereffluentem*, quantam dederit Matri suæ, quæ sine mensura amaverat & gratiam acceperat: unde & existimatur Angelorum & beatorum omnium gloriam simul collectam longè excessisse. Luc. 6. 38.

Punct. III. Consid. 1. Eam à tribus divinis Personis ineffabili honore cumulatam, longè excellentiùs quàm mater Regis Salomonis à filio ad dextram in throno collocata sit. *Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*: vestis ejus aurea fuit ardentissima charitas, omnium virtutum velut gemmarum varietate distincta. 2. Eam multiplici corona decoratam, ab æterno Patre corona potestatis supra omnes creaturas post Christum, à Filio corona sapientiæ, à Spiritu sancto corona charitatis, qua omnium salutem ardentiùs promoveret. 3. Donatam eam tribus laureolis sive accidentalis gloriæ coronis laureis; Virginitatis, quia virginem virginum; Martyrij, quia Reginam martyrum in Filij passione; Doctoratus, quia Magistram Apostolorum in materia religionis. 4. Accessit *corona stellarum* 12. quia una omnium Sanctorum excellentias superavit. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Defer illi & tu in hac triumphali pompa pios affectus & humilia obsequia. Ps. 44. 10. Apoc. 12. 1. Prov. 13. 29.

FESTO ASSVMPTIONIS B. MARIÆ. 15. Aug. III.

De Aßumptione ejus cum corpore glorioso.

PVnct. I. Consid. 1. Noluisse Christum permittere, ut corpus Matris suæ communem corruptionem subiret, idque in præmium singulare virginitatis etiam voto adhuc inusitato firmatæ, ac puritatis animæ nulla umquam labe peccati infectæ, tum etiam ad honorem suū, quem non decebat carnem, ex qua ipse suā sumpserat, corruptioni subjicere. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Arca erat illa novi testamenti ex lignis incorruptibilibus. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ:* unde & tu eam roga, ut te ab omni culpæ corruptione conservet. 2. Voluisse Christum eam cum corpore glorioso secum esse statim in cælo, tum ut naturale desiderium animæ ejus expleret, & quoniam hæc cum corpore semper conspirasset in complenda Dei voluntate, etiam pariter in cælis eum laudarent: tum ad spem nostram futuræ resurrectionis confirmandam: tum ut ipsa in cælis nomen & officium Matris sic plenius impleret, interpellando pro nobis apud Filium, exhibendo ubera quæ lactavit, & corpus, unde ipse suum acceperat.

Ps. 15. 10.
Ps. 131. 8.

Punct. II. Consid. 1. Christum die tertio, iterum descendisse de cælo in terram cum anima Matris suæ, & amplissimo comitatu cælestium spirituum ad ejus corpus, ibique animam purissimo corpori reunitam suavissimo utriusque partis amplexu. 2. A gloria animæ mox diffusas in corpus dotes gloriosas, claritatis super omnē splendorem solis, agilitatis qua se in omnem mundi partem momento posset transferre, impassibilitatis ab omni corruptione, & subtilitatis ad omne corpus penetrandum.

Punct. III. Consid. 1. Deiparam sicut arcam à cælesti Salomone cum jubilis & canticis deductam super omnes choros Angelorum, & beatorum in locum altissimum templi cælestis, & ab ea omnia nova claritate resplenduisse, ibique ad thronum Sanctissimæ Trinitatis impositam ei *coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, & pallium laudis pro spiritu mæroris.* Fac ô Mater, ut ubi est corpus tuum, ibi congregentur & aquilæ, filij tui, te æternùm laudantes. 2. Consid. Gaudia & plausus cælitum, tum ad virtutum fragrantiam: *Quæ est ista quæ ascendit, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarij?* tum ad corporis claritatem: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata:* stupuere Seraphim ardorem amoris, Cherubim cęlestem sapientiam, Throni pacem mentis Deo unitę, & sic omnes chori eximias excellentias, quas ei gratulati sunt, gaudentes subsellia sua per eam restauranda: deniq; cùm plurima dona variis Sanctis seorsim à Deo collata, ad corporis vel animi infirmitates tollendas, vel beneficia impetranda, in hanc unam Deus liberaliter effuderit, provocamur & nos ut in omni necessitate ad eam promptè & confidenter recurramus.

3. Reg. 8. 6.
Is. 61. 3.
Cant. 3. 6.
Cant. 6. 9.

FESTO

FESTO ASSVMP. B. MARIÆ VIRGINIS. 15. Aug. IV.

Anno 33. Novemb. in Bethania.

Et S. Marthæ 29. Julij.

Christus à Martha & Magdalena benignè hospitio excipitur. Luc. 10.

PUnct. I. *Intravit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.* Consid. 1. Christum, ubi venit cum Apostolis suis in Castellum Bethaniæ, media leuca Jerosolymis dissitum, ibi exceptum omni studio benevolentiæ à Martha virgine nobili & opulenta; *Excepit*, inquit Augustinus, *famula Dominum, ægra Salvatorem, creatura Creatorem, pascenda spiritu, pascendum in carne*: tu attende quo studio & reverentia Christum jam gloriosum in Eucharistia excipias. 2. Christum mox captasse occasionem dicendi verbum salutis ad sororem ejus Magdalenam, tum ut Apostolos exemplo suo doceret idem facere in congressibus, atque operam illam, etiam uni animæ, fore rectè impensam, tum ut Magdalenam in melioris vitæ studio confirmaret. 3. Magdalenam interim animum eò composuisse; nam *etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*, ubi per sessionem animus attentus, per pedes Domini humilitas designatur, de qua S. Augustinus: *Quantò humiliùs illa sedebat, tantò ampliùs capiebat*, ut discas quo animo & te Verbum Dei audire oporteat.

Punct. II. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit & ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adjuvet. Ubi Consid. 1. Per duas has sorores, quarum una externis, altera internis ministeriis Christo vacabat, significari vitam activam & contemplativam, quarum licet hæc sit multò perfectior illa, perfectissimam tamen esse vitam mixtam, quæ actionem contemplationi conjungit, & quæ studia externarum occupationum fulcit auxilio internorum affectuum. 2. Christum ad hæc monere suaviter Martham de excessu actionis externæ: *Sollicita es*, inquit, *& turbaris erga plurima. Porrò unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ubi attende Christum præferre opera interna & spiritualia externis & corporalibus, ac docere pluris esse faciendam refectionem mentis, sitam in Dei voluntate cognoscenda & adimplenda, cui vacabat Magdalena, quàm corporis, de qua tantùm sollicita erat Martha.

Punct. III. Cons. 1. B. Virginem Mariam fuisse primam, quæ in hoc mundo Christum hospitio virginalis aulæ suæ excepit summa reverentia & amoris affectu, eique sic impendisse externa ministeria Marthæ, ut interna Magdalenæ omnibus semper præferret; ideoque præ omnibus placuisse. 2. Ideò & illam sub vitæ finem invitatam à Christo in aulam regni cælestis, de qua meritò exultabunda canebat: *Lætata sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus*; ibique super omnes Angelorum choros assumptam, ut quæ hîc in terra se infra omnes demiserat, ac velut ancilla Dominum officiosissimè exceperat, ibi super omnes exaltata, proximum illi locum occuparet. Ps. 121. 1.

FESTO S. BERNARDI. 20. Augusti.

PUnct. I. Consid. 1. S. Bernardum in Burgundia honesto loco natum, inde ab adolescentia, propter egregiam formam variè sollicitatum, numquam de sententia colendæ castitatis dimoveri potuisse; contra quā cum fortè incautus oculos in feminam defixisset, sui ipse delicti vindex, in stagnum glaciale se collo tenus immersit, unde reliquo vitæ tempore ab omni carnis stimulo immunis permansit: Excita & hinc in te amorem castitatis. 2. Ut tamen castitatem ac salutem suam in tuto collocaret, cùm monasterium Cisterciense sub regula S. Benedicti ingredi decrevisset, fratres suos huic decreto obsistentes ipse eloquentior, & illos & alios juvenes universim 30. in eamdem secum sententiam, ad religiosæ vitæ destinatum portum feliciter deduxit: expende hîc & illorum, & tuam felicitatem. 3. In religione totus erat in affligendo corpore, & sensibus coërcendis, jejunio ita deditus, ut quoties sumendus esset cibus, toties tormentum subire videretur, hunc sibi in virtutum exercitiis crebrò stimulum subjiciens: *Bernarde ad quid venisti?*

Punct. II. Consid. 1. Eluxisse in eo singulare studium humilitatis, qua nō humilis videri, sed vilis desiderabat, se servū & inutilem, & infructuosam arborem appellans, unde & Episcopatus Genuensem, Mediolanensem, aliosque sibi oblatos fortiter recusavit, iis se indignum asserens. 2. Hinc & in gravi morbo visus sibi tribunali Christi, accusante diabolo, assistere, reposuit fateri se meritis suis non deberi cælestem gloriam, sed hæc cùm duplici jure deberetur Christo, hæreditatis, & passionis, illum priori titulo gaudere, posteriori verò sibi donatam; unde inquit non confundar: quare & tu in eadem Christi passione confide.

Punct. III. Consid. 1. Eum posteà assumptum Abbatem in Clara-valle, quantumvis invitum, singulari prudentia, mansuetudine, ac religiosæ disciplinæ zelo monasterium rexisse: aliquando coram crucifixo ferventiùs orantem, ab eo brachium miraculosè exerente in amplexum Christo adjunctum, amoris dulcedine perfusum fuisse. 2. Cultui Deiparæ singulariter fuisse addictum, ac vicissim ab ea cælestibus favoribus cumulatum, ita ut etiam virgineo ejus lacte potari meruerit. 3. Doctrinam cum pietate in scriptis elucentem fatebatur se oratione potissimùm in solitudine ac silvis accepisse, adeoque quercus & fagos sibi magistros fuisse; libro ad Eugenium tertium Pontificem, suum olim discipulum, de sui consideratione dato, id potissimùm inculcat, ne in salute proximi promovenda, salus propria negligatur. 4. Post plures hæreticos & schismaticos ad Ecclesiam reductos, atq; inter illos etiam Guilielmum Aquitaniæ Principem, miraculis ac dono prophetiæ clarus, monasteriis extructis 160.
An. 1153. atque in suo Clara-vallense 770. religiosos complectens, inter suos
Æt. 64. purissimam animam suo reddidit creatori.

FESTO S. BARTHOLOMÆI. 24. Augusti.

Christus in mõte seligit 12. Apostolos, & infirmos sanat. L. 6. Mat. 5. Mar. 3. Anno 32. Maio in monte Galilææ.

P*Unct. I. Exijt Iesus in montem orare.* Conf. 1. Quomodo Christus se subducat à consortio turbarum, atque etiam discipulorum suorum, ne à quopiam interpelletur, & recipiat se in montis verticem ad orandum, ut doceat nos etiam exire & subducere nos à curis ordinarijs, & terrenis affectibus ad vacandum Deo in oratione. 2. *Et erat pernoctans in oratione Dei.* Conf. Christi hîc in oratione fervorem, reverentiam, & constantiam, eamque institui potissimùm pro felici delectu Apostolorũ, ut discas res agendas, potissimùm gravioris momenti priùs Deo in oratione commendare. 3. Mane *vocavit discipulos suos, & elegit 12. ex ipsis, quos & Apostolos nominavit.* Ubi Conf. Licet discipuli hi omnes pietate, zelo, varijsque virtutibus insignes essent, tamen Christũ non nisi 12. juxta typum 12. filiorum Israël ex illis elegisse, quos præ ceteris ad munus Apostolicũ aptiores judicavit; unde disce & tu cum discipulis æquo animo ferre, si quando alij tibi prçponãtur, & cum Apostolis Deo gratias agere, si præ alijs eò assumaris. 4. Christũ hos Apostolos junxisse sibi individuos socios ac domesticos, & testes dictorum ac factorum suorum, ut post mortem suam cõmitteret eis curam totius Ecclesiæ colligendæ ac regendæ, tanquam legatis suo nomine missis, architectis Ecclesiæ novæ, ac doctoribus per totum orbem.

Punct. II. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Ubi Con. 1. Convenisse ad Christum in montis descensu multitudinem copiosam ab omnibus vicinis regionibus, *ut audirent eum & sanarentur à languoribus suis.* Vide tu qua aviditate ad Christum recurras, ut eum loquentem intus audias, ac sanitatem animi ab eo obtineas. 2. Quoties hanc ab ipso obtinueris, & quàm parum te gratum illi exhibeas. 3. Quæ caussa sit cur in Ven. Eucharistia, ubi paratus est & promptus tibi opem conferre, tam exiguam tamen experiaris.

Punct. III. Conf. 1. S. Bartholomæum natione Galilæum inter 12. Apostolos à Christo assumptũ, in eorũ divisione primùm in Lycaoniam Asiæ provinciã cum Philippo, atque hinc in Indiã citeriorem, quç illi in sortitione obtigerat, profectum, mox strenuè in annunciandũ omnibus Christi adventũ incubuisse, arduis quidem laboribus & calamitatibus subeundis, sed uberrimo animarum fructu. 2. Inde in Armeniã majorem progressum, cùm ob liberatã ibi à dæmonio Regis Polymij filiam, missos ad se à Rege onustos auro gemmisq; camelos, generosè remisisset, dicens se non hæc, sed animas quærere, & Regem, & Reginã cum filia ad Christi fidem amplectendã permovisse, quorũ exempla 12. Civitates pari successu secutç sunt: sed hinc idolorũ sacrificulos invidia incitatos Regis fratrẽ Astyagẽ, alterius provinciç Dominũ in Apostolũ adeò cõcitasse, ut is vivo pellẽ crudeliter detrahi, caputque abscindi jusserit, quo glorioso Martyrio novam ille & meliorem in cælis vitam est consecutus. Anno 70.

FESTO

FESTO S. LVDOVICI. 25. Augusti.

PVnct.I. Conf. 1. S. Ludovicum Galliæ Regem ejus nominis nonum, ab anno ætatis 12. patre orbatum, sub Blanchę matris sanctissima disciplina educatum, salutaria ejus monita avidè apprehendisse, & altè imbibisse, nominatim id quod sæpè illi inculcaverat, malle se eum mortuum videre, quàm mortali peccato obnoxium; unde & se omni vitæ tempore ab eo integrum servavit. 2. Fuisse eum singulariter deditum orationi, ac piæ lectioni, jejunijs, ac corporis afflictioni, sic ut aspero cilicio plerumque carnem domaret: fidem in S. Eucharistiam ita firmasse, ut cùm Parisijs Christus in Eucharistia sub infantis specie spectabilis appareret, plurimis eò confluentibus, negaret ille posse fidei suæ firmitatem miraculo magis roborari: unde & tuam fidem exstimula.

Punct.II. Consid. 1. Eum anno ætatis 20. morbo correptum, desiderium concepisse de recuperanda possessione Ierosolymorum, Christique fide ibi restituenda; sibique redditum, mox quæ in morbo conceperat, strenuè aggressum: unde & zelum disce, & in proposito constantiam. 2. Trajecto igitur mari cum valido exercitu, hostes Saracenos primo prælio fugasse, sed tempestate ac pestilentià exercitu propè deleto, ipsum superatum & captum: ubi attende voluisse Deum hac calamitate piissimum Regem, velut aurum in fornace, magis purgare, & illustrare; ipsum verò eam æquissimo animo accepisse, nec verbum alieni sensus reposuisse, sed palam professum eam peccatis suis debitam fuisse. 3. Rebus compositis cum Saracenis, liberum cum exercitu dimissum, & ad omnem Dei nutum paratum, annos 5. in Oriente commoratum, non minori studio se pietatis operibus impendisse, infideles plurimos verbo & exemplo ad Christi fidem perduxisse, & Christianos à Barbarorum servitute redemisse.

Punct.III. Conf. 1. Eum ob matris Blanchæ mortem in Galliam reversum, de pristino pietatis fervore nihil remisisse, sed post multa monasteria ac pauperum hospitalia erecta & dotata, atque alia plurima luculenta Christianæ pietatis & humilitatis exempla, iterum cum novo exercitu mare conscendisse, bellum Saracenis illaturum, sed fixis in eorum conspectu castris, pestilentia ad cælestis gloriæ coronam evocatum: ubi attende eum, licet terena victoria frustratum, multò tamen illustriorem in cælis assecutum: unde disce etiam te tuaque in adversis Deo committere. 2. Mortem ejus vitæ pijssimè actæ respondisse, quando gratias Deo egit de sua liberatione ex hac valle miseriarum, illud sæpè ingeminans: *Fac nos Domine prospera mundi despicere, & nulla ejus adversa formidare.* Ac tandem purissimam animam Deo tradidit, in illa oratione:
Anno 1270. *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor no-*
P. 5. 8.
Ps. 137. 2. *mini tuo.*

IN DE-

IN DECOLLAT. S. IOANNIS BAPTISTÆ. 29. Augusti.

Anno 32. Aug. 29. in extremo Galilææ.

S. Ioannes ab Herode incarceratur & decollatur. Mat. 14. Mar. 6. Luc. 3.

P*Vnct. I.* Conf. 1. S. Ioannis ardentem zelum & animi fortitudinem in arguendo Herode de adulterio palàm notorio ac ſcandaloſo, ſic ut nec humano metu, nec favoris illecebra cohibitus, confidenter eum aggreſſus ſit: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* In quo etiam zelum ejus erga proximum imitare, ſed potiſſimùm erga teipſum, dum ad peccatum provocaris, argue te, & dic: *Non licet tibi* hæc vel illa cogitare, dicere, aut facere. 2. Eum propterea ab Herode conjectum in carcerem de fervore ſuo nihil remiſiſſe, imò convertiſſe carcerem in domum orationis, nec deſtitiſſe etiam ibi à prædicando & proclamando adventu Chriſti. Ita Deus voluit illum ea iniqua afflictione, velut aurũ in fornace, magis illuſtrare. 3. Conf. Virtutem etiam apud improbos eſſe in æſtimatione & reverentia; unde *Herodes metuebat Ioannem, ſciens eum virum juſtum, & ſanctum, & audito eo multa faciebat*; ſed quid prodeſt, dum quis interim inhæret vitijs capitalibus, & *in uno factus eſt omnium reus? & libenter eum audiebat*, neque etjam prodeſt audire, niſi accedat executio operum. Iac. 2, 10.

Punct. II. Et cùm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit. Conf. 1. Tantùm à duobus, iiſque impijs, Pharaone & Herode, in S. Scriptura legi celebratum diem natalem, miſeriarum exordium, ac multis æternarum: quare tu celebra potius cum Eccleſia natales dies Sanctorum in cœlis: vel qui etiam gratia exornati mundum ingreſſi ſunt, ut Chriſtus, Deipara, & S. Ioannes: ac tuum etiam ad vitam meliorem, de quo gratias Deo age. 2. *Cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi, & juravit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Ubi Conf. Herodem captum eâ vanitate & laſcivia ſaltus, procedere ad enormem temeritatem in promiſſo ac juramento ſibi maximè pernicioſo: quare in verbis vide ut ſis circumſpectus.

Punct. III. Et contriſtatus eſt rex propter jusjurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare, ſed miſſo ſpiculatore præcepit adferri caput ejus in diſco, Et decollavit eum in carcere. Conf. 1. Triſtitiam hanc regis non fuiſſe ad pœnitentiam, ſed quòd videret probroſum ſibi fore, dare caput innocentis in præmium ſaltanti; ceſſiſſe nihilominus humano reſpectui, licet ſciret ſe juramento temerario, nec ſine impietate implendo, minimè obligari: unde collige peccatores, dum aures occludunt divinis inſpirationibus, continuò in pejus ruere. 2. Conf. Ioannem in carcere excepiſſe cum gaudio ſententiam mortis, & anhelaſſe, ſicut multos exhilaverat in ſua nativitate, ut & moriens Patres in limbo poſſet exhilarare felici nuncio de adventu Meſſiæ, ideoque jugulum percuſſori fortiter præbuiſſe, ac pro eo & auctoribus mortis ſuæ Deum oraſſe. Anno 2. Ætat. 32.

FESTO

FESTO NATIVITATIS B. MARIÆ. 8. Septemb. I.
& Conceptionis ejusdem. 8. Decemb.

Genealogia Christi. Matth. 1.

PVnct. I. *Liber generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham.* Conf. 1. In hac Christi genealogia contexta à S. Matthæo, descendendo ab Abrahamo ad Christum, proponi nobis benignum ejus ad nos descensum; in altera verò à S. Luca contexta, ascendendo à Christo ad Deum proponi felicissimum nostrum per illum ad Deum & cælestem patriam ascensum, eoque proinde spem nostram dirigendam. 2. Plures hîc longa serie genitores præmitti, dilata interim Christi incarnatione, tum ut illi velut ministri prævij venturo Regi viam sternerent, tum ut hac morâ piorum fidelium desideria ad Christum crescerent, ejusque unius necessitas, velut in morbis post tentata cetera, magis appareret. 3. Dividi hanc seriem in tres tessera-decades, Iudicum, Regum, & Pontificum, quibus populus Iudaicus successivè subfuit ijsque significari amplam ac vetustam Christi nobilitatem, ipsumque unum in se eorum omnium potestatem continere. 4. Parentes Christi nobilissimo ejus partu longè majorem splendorem majoribus addidisse, quàm ab ijs acceperint; unde disce verã nobilitatem in virtute, ac conjunctione cum Christo consistere. 5. Exprimi hîc etiam mulieres quatuor, easque omnes infideles vel peccatrices, eoque significari Christum ex infidelibus & peccatoribus Ecclesiam collecturum, ipsumque neminem aversari, modò sibi vera fide & caritate conjungi velit.

Punct. II. Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus. Conf. 1. Ex illustri stemmate Iosephi liquere etiam de stemmate B. Virginis, quam constat juxta legem viro ejusdem tribus nupsisse. 2. Cùm dicitur: *de qua* Num. 36. 7. *natus est Iesus*, insinuari hunc ex sola virgine natum sine viri cognitione, adeoque singularem ejus in hoc divino partu virginitatem. 3. Potuisse quidem Deum formare sibi corpus, ut fecerat Adamo sine matre, sed hanc assumere voluisse, tum ut & nobis illa esset loco Matris, & apud Filium Advocata, tum ut ex ea ipse genitus, eique subditus præberet nobis exemplum subjectionis. 4. Conf. Altissimam dignitatem, ad quam evecta est Maria cùm facta est *Mater Dei*, ideoque priùs eam omni gratiarum genere copiosè fuisse instructam, ac deinde pluribus refertam; quare gratulare ei tantum bonum, ac pia obsequia & cultum impendere statue. 5. Gratias Deo age de nato nobis tandem mundi Salvatore, tot votis expetito, per quem jugum servitutis nostræ sublatum est, & portæ regni cælestis reclusæ; ideoque per Deiparam quæ apud Filium potest omnia, & *Ianua cæli* meritò appellatur, stude eò aditum impetrare.

FESTO

FESTO NATIVITATIS B. MARIÆ. 8. Septemb. II.

De ejus nomine.

PUnct. I. Consid. Nomen hoc inditum fuisse sorori Moysis in lege veteri, tanquam illustri typo Virginis Deiparæ, cujus perfectiones nominis hujus significatione adumbrantur, ac primò quòd sit *Maris stella*, ubi attende vitam hanc nostram esse velut mare ventis tentationum, fluctibus pravorum affectuum, plurimis ac gravissimis periculis, & assiduis vicissitudinibus obnoxium, ac naufragiis indies pereuntium infame: quare prudenter time, securiorem viam seu vitam sectare, & in omni tempestate ad Mariam velut Maris stellam respice, secundùm illud Bernardi, *Ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis.* Ex. 15. 20.

Punct. II. Consid. 1. Significari etiam hoc nomine *Amarum Mare*, & rectè illam mare dici; nam sicut Deus *congregationes aquarum vocavit maria*, ita & congregationes gratiarum ac donorū cælestium vocavit Mariam. 2. Eam nihil magis cupere, quàm ut nobis dona illa de sua plenitudine communicet. 3. Esse amarum mare ex acerbissimis doloribus tum de Filij sui dilecti passione, tum de infirmitatibus & miseriis omnium nostrûm, quas in se etiam velut pia mater commiseratione sustinuit; amarum etiam fuit dæmonibus, quorum potestatem extinxit. Gen. 1. 10.

Punct. III. Consid. 1. Insuper *Reginam* seu *Dominam* significari; nam sicut Christo filio ejus, quia se ad mortem crucis humiliaverat, Pater cælestis *donavit nomen super omne nomen*, ita & huic infra ceteros mortales depressæ, meritò nomen hoc inditum Reginæ, seu Dominæ, *cælestium, terrestrium, & infernorum*. 2. Consid. Eam, licet omnium sit Regina, quia tamen singulariter nobis nata & data est, petere à nobis debitum honorem & cultum: quare vide quid ad honorem ejus facias, vel facere statuas. Phil. 2. 9.

Punct. IV. Consid. 1. Significari etiam *illuminatam* ob plenitudinem cælestis sapientiæ sibi copiosissimè communicatæ, atque etiam *illuminantem*; neque enim sibi tantùm lucem illam reservat, sed & nobis ardet communicare, prout fecit primùm Apostolis & Euangelistis, deinde innumeris sui cultoribus, radios lucis suæ implorantibus. 2. Disce etiam ejus exemplo libenter lucem Christianæ doctrinæ proximo, idque gratis, communicare.

Punct. V. Denique *Assimilatrix* seu *Imitatrix Dei* significatur. Ubi Cons. Cùm omnis nostra perfectio consistat in assimilatione divinarum virtutum, præter eas quas ipsa à primo instanti Conceptionis infusas plenissimè habuit, quantum in iis deinde progressum continuò fecerit, potissimùm ex assidua per annos 30. cum suo ac Dei Filio consuetudine: quare in ipsam velut perfectissimum post Christum exemplar, & nobilissimum, & auxilio dirigens frequenter respice.

Anno 34. Martij 20. Jerosolymæ.

IN EXALTATIONE SANCTÆ CRVCIS. 14. Septemb.

Christus significat fructus mortis suæ in cruce. Ioan. 12.

PVnct. I. *Nunc judicium est mundi.* Consid. 1. Christum hîc docere tres nobilissimos fructus mortis suæ in cruce, quorum primus sit liberatio mundi à tyrannide diaboli, peccati, & mortis: cave proinde ne tanto pretio in libertatem restitutus iterum te vilissima voluptate in eamdem servitutem mancipes. 2. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Hic alter fructus est, nempè expulsio diaboli non tantùm è templis gentilium per destructum cultum idolorum, sed etiam ex animis & corporibus hominum, ac potentia ejus in hominibus divexandis plurimùm repressa; quam victoriam per crucem velut gladium & arcum Christo gratulare: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Intende* arcum tuum, *prosperè procede* in hoste nostro conterendo, *& regna* in animis justorum. (Ps. 44. 4.)

Punct. II. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Consid. 1. Hîc tertium fructum crucis, qui est omnium attractus: appellat autem mortem suam in cruce exaltationem, tãquam sibi maximè gloriosam, nobis omnibus salutarem, & ad imitandum ac redamandum propositam. 2. Traxit Christus per eam ad se omnia spolia diaboli, corpus & animam, omnia hominum genera, ex omni natione, conditione, ætate, & sexu: traxit omnia elementa, solem & lunam, ac petras, quæ ei in morte complanxerunt: deniq; Patrem cælestem ad reconciliationem cũ hominibus. 3. Quomodo traxit? vinculis amoris, ideoque non nisi volentes: quare licet ex parte sua sufficienter, ut tamen efficaciter, studium & cooperationem nostram requirit. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea.* (Colloss. 1. 24.) 4. Ad quid traxit? ut assumeret nos in fratres & filios, ad fidem, spem, caritatem, pœnitentiam, adversa subeunda, ac deinde in cælestem gloriam.

Punct. III. *Ambulate dum lucem habetis.* Cons. Christum hîc hortari Judæos ad fructus hos sanctissimæ Crucis suæ sibi conquirendos, ut dum lucem habent hujus vitæ, & ipsum, qui lux mundi est, ad manum habent, à quo in dubiis illuminentur: attendant, credant, interrogent, & intelligere ac observare studeant doctrinam suam; nam post discessum suum ea opportunitate privandos, atque etiam tempore post tenebras mortis: quare *dum tempus habemus, operemur bonum.* (Gal. 6. 10.)

Punct. IV. Consid. Memoriam sanctissimæ Crucis hodie singulari pietate in Ecclesia illustratam, cùm eam Heraclius Imperator à Chosroa Persarum Rege per annos 14. occupatam, jam gloriosè recuperatam in priorem Calvariæ locum humeris suis deferre parans, auro & gemmis ornatus, progredi è porta non potuit, dum monitis Antistitis, deposito triumphali ornatu, ac paupertatem & modestiam Christi assumens, nudipes reliquum viæ facilè confecit. *Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.* (Anno 628. Off. Eccl.)

FESTO S. MATTHÆI APOS. EIVSQVE VIGI. 21. Sep.

Anno 32. Martio Caphernai.

Christus vocat Matthæum è telonio ad Apostolatum.

Matt. 9. Mar. 2. Luc. 5.

PVnct. I. *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine.* Consid. 1. Matthæum aliter Levi dictum, natione Galilæum, officio telonarium seu publicatum Caphernai, qualem ipse se appellare non erubescit, ut peccatoribus omnibus etiam conversionis spem subjiciat, hîc à benigno aspectu Christi transeuntis initium salutis accepisse. 2. *Et ait illi: Sequere me. Et surgens sequebatur eum, relictis omnibus.* Ubi Cons. Efficaciam verborum Christi, in extrahendo Matthæo vitiis immerso, & promptam illius in sequendo obedientiam. *Matt. 12. 3.* *Luc. sup.*

Punct. II. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua. Ubi Cons. 1. Matthæum à Christo deinde remissum ut rationes componeret, & injustè possessa restitueret: iis peractis instruxisse eum Christo amplum convivium, invitatis pluribus Publicanis, ut eos hac occasione etiam ad Christum alliceret. 2. In hoc convivio à Matthæo proposita fuisse Christo dulcissima fercula, generosa desideria perpetuæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ, cum perfecta sui oblatione: tu etiam Christum excipe in anima tua affectibus virtutum. *Luc. sup.*

Punct. III. Et videntes Pharisæi dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester? Consid. 1. Munus hoc publicanorum fuisse apud Judæos passim infame, ac proinde non interrogandi, sed conviciandi animo hæc à Pharisæis dicta; in quo Christi charitatem & patientiam imitare. 2. *At Iesus audiens ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Ostendit se medicum esse non tantùm corporum, sed potissimùm animorum, ideóque se illos visere ut plenam sanitatem conferat. 3. Et subdit ex lege: *Misericordiam volo, & non sacrificium*, probans beneficentiam erga miseros etiam lege esse sancitam, & sacrificiis præstare. 4. Concludit: *Non enim veni vocare justos*, qui se tales ex superbia ostentant, *sed peccatores*, qui se tales submisse agnoscunt, quos ipse non deserit, sed quærit & vocat velut pastor oves errantes. *Osea. 6. 6.*

Punct. IV. Consid. 1. Matthæum non tantùm Apostolum fuisse, sed & Euangelistam; imò primum præ ceteris Euangelium scripsisse in Judæa ad instructionem fidelium, posteà in Æthiopiam profectum, ibi prædicatione, vitæ exemplis, ac pluribus miraculis, inter cetera, etiam Regis filia Iphigenia à mortuis excitata, & Regem, & Reginam, atque universam provinciam Christianæ fidei suavi jugo submisisse. 2. Rege deinde mortuo cùm Hirtacus ejus successor filiam illam sibi in matrimonium deposceret, Matthæum illi in hoc obsistentem, fuisse jussu ejus à satellitibus ad altare peracto sacrificio lanceis confossum, atque ita Apostoli & Euangelistæ munus martyrij gloria illustrasse: tu imitare in hoc zelum ejus & constantiam. *Chri. 90.*

FESTO SS. COSMÆ ET DAMIANI. 27. Septemb.

PUnct. I. Consid. 1. Sanctos Cosmam & Damianum fratres germanos & geminos, in Ægæa Arabiæ urbe parentibus Christianis natos, post litterarum studia, etiam Medicinæ scientiam sic virtuti junxisse, ut omnes oppressos à diabolo, & ægros ab aliis medicis depositos, morbosque insanabiles ipsi passim sanarent, non tam scientiæ virtute, quàm fiducia in Christum. 2. In curationibus illis licet essent tota Arabia celeberrimi, in hoc tamen illustriores eminuisse, quòd lucrum aut mercedem temporalem ex iis nullam admitterent, sed spectarent solùm spirituale, &
Matt. 10. 8. mercedem apud Deum, juxta illud Christi: *Gratis accepistis, gratis date.*

Punct. II. Consid. 1. Deum, ut horum fratrum virtus magis inclaresceret, permisisse ibi tyrannidem Lysiæ Præsidis hominis crudelissimi sub Diocletiano Imperatore, etiam in hos desævire; à quo proinde evocati, ac de religione sua interrogati, cùm se Christianos esse, & hanc fidem ad salutem necessariam asseruissent, omnes ejus minas ac terriculamenta forti ac constanti animo contempserunt. 2. Eos proinde verberibus crudeliter cæsos, ac diris suppliciis tortos, interea Deo laudes cecinisse:
Ps. 89. 1. *Domine refugium factus es nobis,* & tyranno insultasse, ut graviora, si posset, inferret, nihil ea sibi nocitura, Christo protegente. 3. Postridie vinctis manibus & pedibus in mare demersos, sed mox inde salvos & incolumes,
Ps. 17. 20. solutis vinculis, Dei ope in litore collocatos: *Misit de summo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis.*

Punct. III. Consid. 1. Tyrannum hæc auxilia non divinæ virtuti, sed magicæ arti tribuentem, ad nova perrexisse supplicia, eosque in ardentissimam fornacem demisisse; sed & hîc in mediis flammis penitus illæsi
Ps. 22. 4. Deo laudes canebant: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es,* & erumpentes flammarum globi proximos absumebant. 2. Ipse Tyrannus cùm ob blasphemias à dæmonibus cæderetur, opem eorum exposcit: obtinet, & induratus persistit, ac vice gratitudinis, jubet eos in equuleo distendi, artusque omnes luxari; sed & in his illi pariter illæsi Deum laudant. 3. Inde Tyrannus laxans furori habenas, jubet eos cruci alligatos primùm lapidibus, inde sagittis velut imbre peti; sed hæc
Eccl. 27. 28. utraque ipsis illæsis in percussores retorta ceciderunt. *Qui in altum mittit*
Ps. 7. 17. *lapidem, super eum cadet. Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* Unde collige justorum à Deo protectionem, atque in ipsos nocentes redire mala, quæ in justos machinantur. Et attende divina providentia hoc die confirmatam primùm Societatem Jesu per Pontificem Paulum III. ut significaretur probra adversùs eam ab improbis jacienda in ipsos relapsura. 4. Eos tandem cum tribus fratribus germa-
Anno 285. nis, gladio palmam Martyrij consecutos, ac veram illam esse charitatem fraternam, quæ in virtute fundatur.

FESTO

FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI. 29. Septemb.

P*Vnct.I.*Conſ. 1. Eccleſiam excitare nos hodie ad cultum S. Michaelis, ac ſimul cum eo omniū Ordinum Angelicorum, eò quod ipſe in primis velut ductor cæleſtis exercitus contra Luciferum alioſque ſuperbos ſpiritus Dei honorē ſibi arrogantes ardentiùs decertarit; undè & nomen retulit Michaelis, *Quis ut Deus?* De quo S. Ioannes: *Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus, & non valuerunt, neque inventus eſt locus eorum amplius in cælo.* Ubi horum ſuperbiam deteſtare, lapſum time, & cum S. Michaele zelum indue divinæ gloriæ propagandæ. Apoc. 12. 7. 2. Et potiſſimùm, quia ipſe ſicut olim Eccleſiæ Iudaicæ ſingularis defenſor à Deo conſtitutus eſt, ita & nunc Chriſtianę, cujus fidelibus ſæpe beneficus apparuit, ac nominatim in Gargano monte Apuliæ, ubi Eccleſiam ad ſui & Angelorum memoriam exſtrui juſſit, hodie Deo dicatam, Maij. 8. Ann. 493. atque illuſtribus deinde miraculis celebrem: quare & tu te tuaque illi ut ſummo Principi confidenter committe. 3. Hanc fidelium defenſionem ab eo potiſſimùm impendi in extremo vitę noſtrę agone contra diabolicos ſpiritus; quare eum cum Eccleſia precare: *Princepsglorioſiſſime Michael Archangele defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.* 4. Sicut *S. Michael* à zelo divinæ gloriæ nomen accepit, ita & *Gabriel* à fortitudine Dei, quæ in annunciando incarnationis myſterio eminuit, & *Raphael* à medicina Dei, in impenſa ſanitate Tobiæ: Tu ab hoc etiam ſanitatem mentis, ab illo animi fortitudinem implora.

Punct.II. Conſid. 1. Omnes cæleſtes Spiritus numero propè infinito, & naturę excellentia ceteris creaturis longè præſtantes, mira ac gratiſſima varietate in novem choros ſeu ordines diſtributos, è quibus 1^m. occupant *Seraphim*, à flagranti amore Dei ſic appellati, 2. *Cherubim*, à plenitudine divinę ſcientiæ ſeu cognitione myſteriorum Dei, 3. *Throni*, à conjunctione cum Deo, atq; hi primam Hierarchiam ſeu Sacram Aulam conſtituunt, quos omnes roga ut & tibi perfectionum illarū participationem à Deo obtineant. 2. Alteram conſtituit 4us. ordo *Dominationum*, qui in duos ordines ſibi inferiores directione ad ſalutem noſtram dominatum exercent, à quibus & tu pete in partes animæ inferiores dominari. 5 *Virtutum*, qui pro ſalute fideliū mirabilia in terris operantur, 6. *Poteſtatum*, quorum eſt machinationes dæmonum cōprimere, à quibus & tu auxilium efflagita. 3. Hierarchiam tertiam conſtituunt, 7us. *Principatus* Principibus & regnis curandis ac promovendis à Deo deſtinati. 8. *Archangeli* illuſtribus perſonis, cōmunitatibus, ac publicis ad ſalutem noſtram commodis addicti. 9. *Angeli* ad privata ſingulorum commoda, curam & defenſionem, ſingulis ab ipſa nativitate uſque ad vitæ finem perpetui inſtructores & adjutores à Deo adjuncti; quare & illis honorem ac reverētiam impende, & Deo pro tam paterna in nos cura gratias age, ac ſic vive ut eorū nobiliſſima & jucundiſſimâ Societate gaudere aliquando in cælis poſſis.

Vide alteram Med. de Euang. Feſto Apparitionis eiuſdem. 8. Maii.

FESTO S. HIERONYMI. 30. Septemb.

PUnct. I. Conf. 1. S. Hieronymum in Dalmatia parentibus nobilibus & opulentis, ijsque Christianis natum, adolescentem Romæ liberalibus disciplinis, inde in Græcia eloquentię ac Philosophiæ, Constantinopoli verò Theologiæ ac Sacrarum litterarum scientia sub Gregorio Nazianzeno instructum, cum singularis ingenij acumine & diligentiæ & virtutum studia constanter junxisse. 2. Hinc religionis caussa Christi incunabula, aliaque pia loca Palæstinæ visentem, adhibitis ibi Iudæorum peritissimis, plurimum se ad S. Scripturæ intelligentiam, insigni animi sui solatio, & Ecclesiæ bono perfecisse. 3. Inde in Syria permotum exemplari vita & sanctitate monachorum, abdicatis mundi vanitatibus, fluxisque bonis, quibus ad summa in sæculo eniti potuisset, in vasta solitudine singulari vitæ asperitate, sibi ac Deo, pijsque studijs vacantem annos 4. exegisse.

Punct. II. Conf. 1. Eum deinde Antiochiæ Sacerdotio initiatum, ac Romam repetentem, ibi S. Damaso Pontifici in pluribus ad Ecclesiæ salutem ritè ordinandis, singulari auxilio fuisse: sed spreta mox curię Romanæ pompa, vitæque religiosę percupidum, in Palæstinam reversum, exstructo monasterio in Bethleem ad præsepe Domini, cælestem ibi vitę rationem instituisse, adlectis socijs aliquot eodem Dei spiritu excitatis. 2. Licet morbis doloribusque variè tentaretur, tamen corporis incommoda pijs laboribus, & perpetua lectione ac scriptione superasse, atque inde Ecclesiam præclaris ingenij sui monumentis plurimùm illustrasse. 3. Ad perfectionem & constantiam in virtutum exercitijs solitum se supremi judicij timore stimulare: *Quoties*, inquit, *diem illum considero, toto corpore contremisco; sive enim comedo, sive bibo, sive aliud aliquid facio, semper videtur tuba illa terribilis sonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium.*

Punct. III. Conf. 1. Cùm propter singularem ejus doctrinam, & linguæ non solùm Latinæ & Græcæ, sed & Hebraicę ac Chaldaicæ intelligentiam, ex omnibus terræ partibus, à viris gravissimis, ad ipsum tanquam ad oraculum S. Scripturæ quęstiones explicandę mitterentur, tamen humilitate sua se omnibus magis admirabilem pręstitisse, unde ait: *Nihil ita à pueritia conatus sum vitare, quàm tumentem animum, & cervicem erectam, Dei contra se odium provocantem.* (Ep. 32.) 2. Zeli fortitudinem singulariter ostendit, cùm ab Episcopo Hierosolymitano hæretico divexatus, nihil magis optaret quàm pati pro Christo, dicens *Ecclesiam fundendo sanguinem & patiendo magis quàm faciendo fundatam.* (Ep 61. in Ruffinum.) 3. In plena senectute, lethali morbo correptus, postquam suos ad Dei timorem pariter ac amorem fuerat cohortatus, sanctitate & doctrina illustris, ubi Christus infans vivere cœpit, ipse desijt; æternam in cęlis vitam auspicaturus, nobis hìc relinquens illustre exemplum doctrinæ studia cum virtute jungendi. (Anno Christi 420. Ætat. 78.)

FESTO

FESTO B. FRANCISCI BORGIÆ. 1. Octob. I.

Punct. I. Consid. 1. B. Franciscum Borgiam electum à Deo ex illustri, & antiqua Ducum Gandiæ familia, à prima ætate ad divinum cultum: quem frequenti oratione, corporis afflictione, alijsque pijs exercitijs fovere, & promovere continuò studuit, unde faciliùs deinde ad tam sublimem sanctitatis gradum, quem nunc Ecclesia veneratur, ascendit: disce & tu bona ejus initia, ac progressus imitari. 2. Cons. Plurimùm referre in re omni rectè cœpisse; sicut in vita ineunda, ita & in vitę gradu, ac die quovis, progressum ac finem à principio potissimùm dependere.

Punct. II. Cons. 1. Tam pijs ejus initijs ac progressibus objectam à Deo occasionem ex morte Isabellæ Imperatricis, altiùs assurgendi: ubi enim illam, priùs ob corporis speciem omnibus admirabilem, paucis pòst diebus, vidit ad omniū horrorem deformatam, Deo promisit, ubi liceret soluto matrimonij vinculo, abdicatis sæculi pompis, altiorem se vitæ statum amplexurum. 2. Ubi penitiùs secum coram Deo expendit humanam potentiam, honorem, & gloriam, ac reliquam mundi vanitatem, tam citò evanescere, nihil magis concupivit, quàm ęterna perituris præponere, dicens: *Sat principi mortali datum, nunc te sequar immortalem.*

Punct. III. Consid. 1. Quomodo in cœpto pię vitæ cursu constanter progressus sit, adeò ut à Carolo Quinto Imperatore auctus, novo titulo Proregis Catalaunię, in eo munere varijs vanitatibus obnoxio, & quinque horas quotidie flexis genibus orationi impenderet, & abstinentia, & cilicio, ceterisque afflictionibus carnem subigere non desisteret. 2. Cons. Quomodo Deus ei deinde per mortem uxoris aditum ad religiosum statum ineundum aperuerit, quam mortem licet pro naturę sensu deprecaretur, ubi tamen cognovit sibi ad salutem expedire, de paterna Dei manu promptè & patienter excepit: disce & tu multa, licet sensui contraria, patienter ab eadem Dei manu excipere.

Punct. IV. Consid. 1. Quomodo per spiritualia Exercitia à P. Petro Fabro excultus, ad eligendā Soc. hac potissimùm ratione permotus fuerit, tum quòd videret eam non propriæ tantùm, sed & alienæ saluti fructuosè studere, tum quòd sciret in ea omni dignitati atque ambitioni aditum interclusum, ac proinde speraret se in ea inglorium & obscurum commodiùs sibi & proximo vacaturum. 2. Cons. Quomodo Soc. ingressus, maximè solicitus fuerit de fundamento ponendo altissimæ humilitatis; unde & abjectè semper de se sentire & loqui, vilissimis ministerijs in juvando coquo, fabris murarijs, ægris in Xenodochio, stipe etiam publicè pro eis coactâ se impendere, dignitatem Cardinalatus sibi à diversis Pontificibus aliquoties oblatam excutere, ac Generalatus etiam in Societate sibi demandatam enixè deprecari studuit, honori sibi ducens, cùm Christo Rege suo despici & contemni: tu vide quomodo eadem studia imiteris.

FESTO

FESTO B. FRANCISCI BORGIÆ. 1. Octob. II.

De ejus studio paupertatis, obedientiæ, & orationis.

PUnct. I. Consid. 1. B. Franciscum Borgiam jacto altissimo fundamento humilitatis, ante omnia incubuisse in singulare studium paupertatis, ejusque effectus & incommoda in victu, vestitu, & habitatione sic sibi delegisse, ut ea velut amicos sibi & appellaret, & amplecteretur. Cons. 2. Ipsum eò potissimùm excitatum ex vilissima illa sui æstimatione, & Christi, quem imitandum sibi proposuerat, exemplo. 3. Cùm sibi ab homine sæculari & vano improperaretur hęc terrenorum commodorum abdicatio, & paupertatis exercitium, respondisse, se majora bona in religione consecutum, quàm in sęculo reliquisset, significando animi tranquillitatem, Matt. 19. 29. & centuplum à Christo promissum. 4. Eum hæc religiosæ vitę bona ita gustasse, ut dicere soleret, si ut vina gustatu, ita religionis bona cognoscerentur, neminem quantùmvis in sæculo potentem & principem fore, qui non relicto mundo ea mox avidè amplecteretur.

Punct. II. Cons. 1. Obedientiam ejus in hoc præcipuè eluxisse, quòd in quocumque superiore, etiam subordinato, imò & ipso coquo, cui pro tempore operam dare contingeret, Christum Dominū agnosceret, nullo facto in persona, per quam Christus imperaret, discrimine. 2. Dicere solitum, fore ut Societas tribus potissimùm medijs vigeret & cresceret; nempè oppugnatione ab adversarijs, eò quòd hæc affectum à sæculo abduceret; deinde obedientia, quòd hæc omnes velut membra inter se & cum capite cōnecteret; deniq; oratione, quòd hæc nos Deo conjungeret.

Punct. III. Consid. 1. Eum orationi tempus omne à ceteris occupationibus liberum avidè impendisse, eo fervore, ut non rarò visus sit vultus ejus radios solis instar emittere. 2. Cùm aliquoties à dæmone, terribili specie, tempore orationis interturbaretur, minimè illis terriculamentis permotum respondisse, illis vel erudiri malos ad emendationem, vel bonos ad majus præmium. 3. Eum manè orationem inchoare solitum ab osculo terræ ter impresso, nempè in memoriam corporis è terra conditi, & eodem reversuri; deinde in gratiarū actionem Christi pro salute nostra in terram delapsi; denique ut in terra sic viveret, ut inde cælo transscribi mereretur. Cons. 4. Eum libentiùs coram venerabili Sacramento orare solitum, locaque eo opportuna captasse, eo sensu pietatis, ut sæpiùs nictantibus oculis, altiorem lucem inde sibi radiantem testaretur. 5. Pro animabus è purgatorij flammis liberandis eo zelo & caritate preces atq; alia pia opera obtulisse, ut sæpiùs illi apparuerint inde liberæ, gratias agentes de auxilio præstito. 6. Ad cultum Sanctorum, inductam ab eo in Societatem piam consuetudinem, in gentilitia Borgiæ familia pridem Ann. 1572. usitatam, assumendi quot mensibus sorte Sanctum aliquem sibi colen-Ætat. 62. dum, dum tandem ad eorum consortium meritis plenus gloriosè migravit.

FESTO S. ANGELI CVSTODIS. 1. Octob.

PVnct. I. Consid. Cum S. Bernardo miram Dei erga homines benignitatem in atrribuendo singulis Angelo custode, in quatuor hisce potissimùm elucere, contentis versu illo Dauidico: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*; nempe *quis, quibus, de quo, quid mandaverit.* Ac 1. *Quis.* Suprema illa Dei majestas, nec bonorum nostrorum, nec ullius egens, fons omnis beatitudinis, cui millia millium assistunt, & ministrant. 2. *Quibus.* Angelis, sublimibus illis spiritibus, & naturæ, & gratiæ, & gloriæ donis te longè excellentioribus, domesticis suis, suamq; faciem semper cum gaudio contemplantibus. 3. *De quo.* De te, qui pulvis es & cinis, plurimis & animi & corporis miseriis ac defectibus obnoxius, imò & de omni quantùmvis infideli & peccatore. 4. *Quid.* Ut hunc custodiant à principio nativitatis, in omni loco & actione, exteriùs removendo pericula animi & corporis, ac potissimùm dæmonis machinas coërcendo; interiùs verò sanis consiliis instruendo, excitando ad bonum, dehortando à malo, orationes nostras ac bona opera, imò & suas pro nobis Deo offerendo, in lucta ultima confortando, atque inde ad cælum vel purgatorium, si opus fuerit, deducendo. Ps. 90. 11.

Punct. II. Consid. Munus tuum erga hunc custodem cum eodem S. Bernardo, ac 1. Quantam illi debeas *reverentiam pro præsentia*: quare quod in Dei conspectu non auderes, verbo, opere, cogitatione, cave ne præsente ubique Angelo tuo admittas. Non distrahuntur illi in ministeriis suis à Dei conspectu: nec tu in opere tuo à Dei, & Angeli præsentia distraharis, at vitam ipsius ac mores in te exprime. 2. *Devotionem pro benevolentia.* Quid ipsum tam sublimem spiritum eò & quidem lubentem dimittit, ad tui curam & ministerium? nihil nisi purus amor salutis tuæ ac Dei voluntas: quare gratus ei esse stude. 3. *Fiduciam pro custodia.* Quid eo custode timeas? qui nec superari potest, nec seduci, minùs autem seducere; fidelis est, prudens, & potens: quare confidenter te ei committe, ejus ductum sequere, in dubiis consule, de beneficiis gratias age, & in omni tribulatione ac tentatione opem ejus implora.

Punct. III. Consid. Munus tuum erga proximum tali custodia honoratum, ac 1. Ne illū verbo aut opere lædas, imò ne quantùmvis pusillū vel in animo contemnas, aut vindices, aliàs Angeli ejus manus experturus, de quo S. Hilarius: *Periculosè ille contemnitur, cujus desideria & postulationes ad æternum & invisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio pervehuntur.* 2. Stude etiam, Angelorum exemplo, te demittere ad viliora obsequia proximi tui, quantùmvis inferioris, & abjecti, sine ulla personarum acceptione, aut discrimine: atque ex puro & sincero in eum amore, salutem ejus procura, & perfectionem pro viribus promove.

PVnct. I. Consid. 1. S. Franciscum Assisij in Umbria Italiæ provincia natum, à parente mercatore etiam mercaturæ deinde admotum, cœpisse mox feliciùs thesaurizare in cælis liberalitate erga pauperes, atque hinc conversionis suæ originem accepisse: ubi enim pauperem eleemosynam poscentem præter morem repulisset, mox facti pœnitens eũ insecutus larga eleemosyna donavit, voto addito, se nulli umquam eleemosynam poscenti negaturum: hinc & tu affectum excita ad pauperes juvandos. 2. Cùm de excessu in hoc apud Episcopum à parente accusaretur, promptè fortunis omnibus, ultra quàm rogaretur, cessit, etiam vestibus rejectis, subjungens sibi in posterum majorem fore facultatem dicendi: *Pater noster qui es in cælis*; unde & tu disce moderato affectu erga parentes & temporalia subsidia, in cælesti Patre fiduciam collocare.

Punct. II. Consid. 1. Eum deinde in Portiunculæ vico, mille passibus Assisio dissito, cùm in Ecclesia Reginæ Angelorum dicata, ex Euangelio
Matt. 10. 9. Missæ audivisset illud, *Nolite possidere aurum, &c.* monito Christi mox obsecutum, ac detractis sibi calceis, & una contentum tunica, 12. adlectis sociis, ibi Ordinis sui, quem Minorum appellari voluit, fundamenta jecisse: disce hinc eo exemplo paupertatis effectus libenter experiri. 2. Romam profectum pro instituti sui confirmatione, primùm à Pontifice Innocentio tertio rejectum, pòst ubi ab illo in somnis visus est Ecclesiam Lateranensem collabentem sustinere, accersitum, & benignè exceptum, quam petierat Ordinis confirmationem obtinuisse, atque auxilium hoc deinde per se, suosque in varias orbis partes ad prędicandum Christi Euangelium missos, Romanæ Ecclesiæ strenuè impendisse.

Punct. III. Consid. 1. Eum mira vitæ asperitate carnem suam, quam asinum appellare solet, ideoque duriùs tractandam, constanter domuisse, aliquando in altis nivibus volutasse, quibus pravæ libidinis ignes exstingueret. 2. Humilitatis ac modestiæ fuisse maximè studiosum; unde aiebat: *Tantus quisque est, quantus in oculis Dei, nec major*: & cum Paulo peccatorem se primum asserebat; illos enim si Deus pari gratia, qua ipsum, prævenisset, multò gratiores se ei exhibituros.

Punct. IV. Consid. 1. Eum, exstructis multis familiæ suæ domiciliis, se contulisse in solitudinem, ibique vacanti 40. dierum jejunio, festo exaltationis sanctæ Crucis apparuisse Seraphim crucifixi effigiem inter alas continentem, ac lateri ejus, manibus ac pedibus vulnerum vestigia impressisse; annua deinde memoria per Ecclesiam celebrata. 2. Tandem meritis plenum, prophetiæ dono ac miraculis celebrem, ubi suos ad paupertatem, patientiam, ac S. Romanæ Ecclesiæ fidem cohortatus fuerat,
Ps. 141. recitantem Psalmum illum, *Voce mea*, in versu ultimo, *Me expectant justi*, a-
A. C. 1226. pud Reginam Angelorum, ubi ab annis 20. sanctioris vitæ spiritum pri-
Æt. 45. mùm hauserat, Deo reddidisse.

FESTO

Vide alt. de Euang. Com. Mart. XI.

FESTO S. BRVNONIS. 6. Octob.

PVnct.I. Consid. 1. S. Brunonem natum Coloniæ parentibus genere ac virtute claris, inde à prima ætate pietatis studio ac morum gravitate, declinando illius ætatis levitates, præclara dedisse futuræ sanctitatis argumenta; tanti est à teneris rectè cœpisse. 2. Maturiorem verò deinde Parisiis in Philosophiæ ac Theologiæ studiis tantùm profecisse, ut Doctoratus ac Magistri lauream in utraque facultate adeptus, nec multò pòst ob egregias virtutes Ecclesiæ Rhemensis canonicatu donatus sit: disce hinc etiam diligentiæ in studiis, ac pietatis fervore te quotidie perficere, quò aptius te reddas ad Dei gloriam instrumentum.

Punct. II. Consid. 1. Eum ad arctius vitæ genus posteà capessendum permotum ibi fuisse tristi spectaculo viri, cùm viveret, doctrinæ & virtutis existimatione celebris: sed cùm defuncto exequiæ persolvuntur, ad canentis vocem illam: *Responde mihi*, ecce è capulo cadaver assurgens, cum *Iob 13. 22.* ferali gemitu palàm omnibus proclamat: *Iusto Dei judicio judicatus sum.* Postridie verò majori turba redeunte, *Iusto Dei judicio judicatus sum.* Tertio demum die *Iusto Dei judicio condemnatus sum.* Cave & tu ficta virtute Deo servire, ac salutem tuam consideratione futurorum in tuto colloca. 2. Adiit proinde Bruno cum 6. quos elegerat, sociis, hoc spectaculo pariter permotis, S. Hugonem Grationopoli Episcopum, qui cognoscens eosdem esse, quos præcedenti nocte velut 7. stellas ad pedes suos corruentes in somnis viderat, benignè exceptos, ad montes, quos Carthusianos vocant, diœcesis suæ asperrimos deduxit, ibi cælestium rerum meditationi vacaturos: Hinc collige Deum obsequentes vocationi suæ mirabiliter promovere, ac religiosis velut stellis Ecclesiam exornari: quare stude & tu ut ardeas igne divini amoris, & proximo etiam inter tenebras adversitatum, vitæ exemplo præluceas.

Punct. III. Consid. 1. Eum deinde ab Vrbano II. Pontifice, suo olim discipulo Romam evocatum, ut sibi in variis Ecclesiæ calamitatibus consilio ac doctrina adesset; cùm id per annos aliquot non minùs modestè quàm præclarè præstitisset, aversatum curiæ Romanæ pericula, recusato etiam Rhegiensi Archiepiscopatu, ac solitudinis amore, discedendi facultatem flagitasse & obtinuisse. Hinc disce etiam curis reliquis subinde sepositis, saluti tuæ ac Deo magis vacare. 2. Inde in Calabriæ deserta secedentem, cùm regionis illius Principi paratam proditionem Deo revelante per visum aperuisset, quantùmvis oblata sibi ab eo ampla dona ac munera constanter repudiaret, monasterium tamen cum fundis pro suorum usibus coactum admisisse: unde disce Deum suorum necessitatibus opportunè prospicere. 3. Ipsum ibi reliquum vitæ Deo in terrenarum rerum contemptu, ac cælestium meditatione consecrasse, dum meritis plenus ac miraculis illustris, ad æterna gaudia est evocatus. *Anno 1101.*

PUnct. I. Consid. 1. S. Birgittam in Suecia è regio sanguine illustribus & piis parentibus natam, à prima ætate pietatis studiis deditam, cùm decennis pro concione exponentem Christi cruciatus audivisset, hos tam altè menti suæ impressisse, ut meruerit nocte sequenti Christum videre quasi recenter cruci affixum, & sanguine perfusum, atque audire dicentem sibi, se tam immaniter exceptum à peccatoribus; quo ex tempore ita dedita fuit passioni Christi recolendæ, ut de ea sine lacrymis cogitare numquam posset. 2. Eam deinde à parentibus quantùmvis invitam, Ulfoni Nericiæ Principi nuptui traditam, tum optimis exemplis pietatis & mansuetudinis, tum verbis efficacibus virum pariter ad virtutum amorem & studia ita excitasse, ut hic Cisterciensem religionem amplexus, ibi insigni sanctitate vitam finierit.

Punct. II. Consid. 1. Eam deinde marito defuncto, & arctiori vitæ forma assumpta, à Christo sibi apparente in sponsam cooptatam, addente, velle se cum ea sæpiùs miscere colloquia, eique multa arcana cælestia revelare, non solùm ad ejus privatum solatium, sed potissimùm ad aliorum salutem; in quibus omnibus ne deerraret, ut ex confessarij directione tota penderet. 2. Consid. Eam magis quotidie in frequentis orationis & mortificationis studia incubuisse, sic ut carnem aspero cilicio & nodosis funibus per annos 30. assiduè maceraret; in honorem verò Dominicæ Passionis, feriis sextis ignitas guttas ardentis cerei carne exciperet, & amarissimam herbam ore retineret, qua fellis amaritudinem Christo in passione sua oblati recoleret. 3. Pauperibus & infirmis, exstructa eis domo, sedulò ministrabat, pedibus eorum lavandis ipsa Princeps humiliter advoluta, & pie deosculata; cumque ob hæc probris & conviciis ab impiis lacesseretur, respondit: *Nec propter vos cœpi, nec propter vos desinam,* probè gnara, conscientiam rectam minimè lædi conviciis vituperantium, sicut nec prava laudantium præconiis sanatur.

Punct. III. Cons. 1. Eam ex Christi mandato, licet affectu alienam, varias ac difficiles peregrinationes suscepisse, nominatim Romam, & in terram sanctam, ibique pia loca suavissimo pietatis sensu lustrasse, atque itinerum molestias magna animi fortitudine & constantia superasse. 2. In agendo cum aliis, siquis mortali peccato infectus esset, ipsa mox tantum inde fœtorem sulphureum percipiebat, ut nares cogeretur comprimere, nec loqui posset: quo plurimùm internam conscientiam malè affectam declarabat. 3. Tandem instituto à se monasterio secundùm regulam à Christo acceptam, virtutibus, miraculis, ac potissimùm revelationibus per annos 28. illustris, post insignem patientiam in morbo per annum integrum, Romæ à Christo cælesti sponso invitata ad purissimos
Anno 1373. complexus ejus evolavit.

FESTO S. TERESIÆ. 15. Octob.

PVnct. I. Conf. 1. S. Teresiam Virginem Abulæ in Hispania natam, parentibus genere & pietate claris, à prima ætate ex actis potissimùm Sanctorum Martyrum legendis adeò in eorum imitationem exarsisse, ut paterna domo relicta, in Africam martyrij desiderio traijceret. 2. Inde revocatam, & matre orbatam, cùm à B. Virgine petijsset, ut se Matrem esse monstraret, pij desiderij compotem effectam, maternam ejus curam & affectum singulariter semper cognovisse. 3. Ætatis suæ anno 20. monasterium de Monte Carmelo amplexam, ibi per annos 18. gravissimis afflictionibus, tentationibus, & morbis vexatam constanter perseverasse, sine ullo pabulo cælestium consolationum; quam ejus constantiam in spirituali desolatione imitare.

Punct. II. Conf. 1. Eam deinde ardenti zelo pro salute proximi succensam, severiorem veterum Carmelitarum regulam mulieribus ac viris observandam proposuisse, approbante Pio IV. Pontifice, ac Deo ipso singulari benedictione, cùm inter adversa plurima, ipsa virgo inops 32. monasteria ædificavit; unde & zelum tuum fiducia in Deum exstimula. 2. In oratione tanto divini amoris igne accendi solet, ut Angelum sibi ignito jaculo præcordia transverberantem viderit, & Christum sibi ut sponsæ coronam imponentem, dataque dextera sibi dicentem audierit: *Deinceps ut vera sponsa meum zelabis honorem. Iam tota mea es, & ego totus tuus.* 3. In cœlum empyreum aliquando instar Pauli rapta, Sanctorum gloriam & gaudia atque inter illos etiam parentes suos spectavit, Deumque sibi dicentem audijt: *Ecce quantis bonis se privent peccatores* 4. Hinc illos & precibus & consilijs in viam reducere satagebat, & pro infidelium conversione etiam carnis macerationes Deo frequenter offerebat.

Punct. III. Conf. 1. Eam Superioris ac confessarij judicio plurimum semper tribuisse, sic ut nefas sibi judicaret etiam in manifestis revelationibus ab eo discedere, dicens se in his decipi posse, in obedientia verò non posse. 2. Perfectionis in primis erat in omnibus studiosa, quò ut magis indies assurgeret, votum maximè arduum emisit, faciendi semper quidquid perfectius esse intelligeret. 3. Corpus licet varijs morbis afflictum, tamen castigare flagellis, catenis, cilicijs non cessabat, sic Deum alloqui solita: *Domine aut pati, aut mori.* 4. Tantis denique post priores desolationes solatijs divinis perfundebatur, ut sæpè exclamans peteret à Deo modum ijs imponi: dum tandem suos ad pacem, caritatem, & regularum observantiam cohortata, visa est Christo inter Angelos præsenti purissimam animam sub columbæ specie reddere, Albæ, ubi eam primùm hauserat. Ad hujus mortis similitudinem dum adspiras, etiam vitam imitare.

Ann. Christi 1582. Ætat. 67.

FESTO S. LVCÆ EVANGELISTÆ. 18. Octob.

PVnct.I. Conſid.1. S.Lucam Antiochiæ Metropoli Syriæ nobilibus ac opulentis parentibus natum, à prima ætate virtutis ſtudioſum, ac ſcientiarum avidum, litteris Græcis, Latinis, Hebraicis, & Ægyptijs imbutum, poſt Philoſophiæ ſtudia ſe Medicinæ ac Pictoriæ arti ad privatum exercitium impendiſſe, quæ illi poſteà ad Chriſti fidem promovendam non levi fuêre adjumento; in quo agnoſce divinam providentiam, ſuos, quos vocat, occultè & ſuaviter dirigentem. 2. Poſt Chriſti mortem ad ejus cognitionem & fidem à S.Paulo converſus, in Deiparæ Virginis ipſe ſemper Virgo familiaritatem ſe dedit, ex qua velut optimè conſcia didicit & ſolus conſcripſit præcipua myſteria Verbi incarnati. Expende hîc, quanta virtutum incrementa ex Virginis hujus conſortio ſumpſerit, 3. Ut hujus Deiparæ ac Chriſti frequentem memoriam, amorem, & cultum fidelium animis impreſſum relinqueret, pinxiſſe eum plures utriuſque imagines, per Eccleſiam diſtributas, ac ſingulari veneratione exceptas. Tu eorum virtutes in corde tuo depinge, & moribus exprime.

Punct.II. Conſ.1. Eum S.Paulo fidum comitem & indefeſſum adjutorem adhæſiſſe, in verbo Dei prædicando, alijſque functionibus pro animarum ſalute, in peregrinationibus, laboribus, afflictionibus & vinculis; cum quo deinde Romam profectus eſt, adeoque ab Apoſtolo virtutum ejus quotidiano inſpectore meritò laudatus: *Lucas eſt mecum ſolus. Cujus laus*
2.Tim.4.11. 2.Cor.8.18. *eſt in Euangelio per omnes Eccleſias.* Expende hîc quantùm hauſta incrementa virtutum ex conſortio Deiparæ, roboraverit quotidiano & tam diuturno convictu cum Apoſtolo Paulo, & quantopere zelū ejus imbiberit. 2. Eum labores Apoſtolicos non tantùm oratione ac pia lectione, ſed & ſcriptione temperaſſe, cùm in Achaia potiſſimùm ſcripſit Euangelium ſuum ſermone Græco, ſecundùm ea quæ ex S. Paulo alijſque Apoſtolis, atque inprimis ex Deipara cognoverat: Acta etiam Apoſtolorum à Chriſti in cælos aſcenſu; in quibus & tu Apoſtolicum ejus zelum imitare.

Punct.III. Conſ.1. S.Paulo tandem Romæ in vinculis detento, Lucam inde peragratis Gallijs reverſum in orientem, ibique plures provincias, Macedoniam, Græciam, Libyam, Ægyptum euangelizando tranſijſſe, & corporalis Medicinę illecebra ſpiritualem animæ ſanitatem pluribus contuliſſe: in Thebaide deinde plures annos ſubſiſtentem, Epiſcopali munere ſtrenuè perfunctum, ſubverſis idolis, ac novis templis Deo erectis, conſecratis ſacerdotibus & Epiſcopis, quos in alias regiones pro animarum ſalute tranſmittebat. 2. Tandem apud Patras Achaiæ urbem Apoſtolatum ſuum ac Virginitatem glorioſo ſuſpendij Martyrio com-
Anno 61. Ætat.84. pleviſſe, poſt mortem etiam in ægros clientes ſuos fluente oleo è tumulo beneficum. Poterat is cum Apoſtolo rectè ſubjungere: *Bonum certamen*
2.Tim.4.7. *certavi.* ad quod & te excita.

Vide alteram de Euang. Feſto S. Marci, 25. Aprilis.

FESTO

FESTO S. VRSVLÆ ET SOCIARVM. 21. Octob.

PVnct.I.Conf.1. S. Vrfulam Hiberniæ Regis filiam unicam,in Catholica fide à parentibus educatam, ab alterius in Britannia Regis filio ethnico in matrimonium expetitam,cùm ex Dei revelatione cognovisset consensum suum salva virginitate ad Dei gloriam ac plurium salutem cessurum, facilè annuisse , adjecta conditione,ut sponsus priùs Catholicam fidem amplecteretur , ac sibi decem Virgines jungerentur , quibus singulis,& sibi totidem millenę comites adderentur ad undena millia,fide Catholica,quæ necdum essent,imbuenda; quod & præstitũ est. Disce hinc in humanis rebus Dei nutum observare & sequi. 2. Cùm classem hāc virginum tandem instructam oborta tempestas per Rheni ostia Coloniam trajecisset, Vrsulam elato Sanctæ Crucis vexillo hortatam omnes,ut contemptis patrię & aulæ commodis Romanam peregrinationem secum pietatis caussa instituerent , non defutura divinę providentiæ media opportuna ad promovendam famularum suarum profectionem ; prout etiam omnes omninò annuentes feliciter expertæ sunt. Disce hinc in necessitatibus Deo confidere. *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Ps. 54.23.

Punct.II. Conf.1. Eas Colonia (prout probati auctores referunt)partim navigijs,partim pedibus iter aggressas, illudque magno pietatis fervore & gaudio confecisse,sic ut non tam progredi quàm ferri alis amoris viderentur , Vrsula Crucis vexillum præferente , & Christianis ubique necessaria Dei instinctu suppeditantibus, dum omnes incolumes, Romam feliciter pervenerunt: unde collige nihil tam arduum quod generosus amor pro Christo non superet. 2. Romæ omnes benignè & honorificè exceptas inprimis ab ipso Pontifice , alijsque Principibus ibi pietati indulsisse in visendis locis sacris, ac potissimùm Martyrum sepulchris ; unde & se ad paria certamina accendebant.3.Persolutis pietatis obsequijs,eas cum pluribus nobilibus ac Principibus,sacerdotibus,etiam ac Episcopis comitantibus Coloniam repetijsse, Christo itineris duce delecto.

Punct.III. Conf.1.Pijssimo hoc agmine Coloniam appropinquante, & Hunnis ac Barbaris duce Attila omnia circumquaque vastantibus , & Christianum sanguinem sitientibus , Vrsulam virili pectore omnes adhortatam ad mortem pro Christo fortiter subeundam , ad quam omnes intrepidæ se obtulerunt. 2. Ubi tandem Coloniæ & in utramque ripam exscenderunt, anhelantes ad sanguinem pro Christo fundendum,aucto paulatim numero ad 14. millia, superveniens hostium exercitus omnes crudeliter trucidavit; in Rhenum præcipitant,& sagittis conficiunt, atque inter ceteras ipsa Vrsula Crucis vexillo illustris etiam sagitta pectus traijcitur.Imitare & hanc in virginibus animi fortitudinem,& stude cum Vrsula etiam alios verbo & exemplo ad Christum adducere.

FESTO

Vigilia SS. Simonis & Iudæ, Vide Com. Mart. vi.

Anno 34. Martij 24. in Cœnaculo.

FESTO SS. APOST. SIMONIS ET IVDÆ. 28. Octob.

Christus in ultima cœna hortatur suos ad ferenda fortiter adversa. Ioan. 15.

PVnct. I. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Conſ. 1. Chriſtum hîc Apoſtolos ſuos ad ferenda adverſa, ante omnia inſtruere ac munire mutua caritate, quam veluti murum aut clypeum hoſtibus opponant, & ſic invicti permaneant. Proprietates autem hujus caritatis tradit Apoſtolus: 1. Cor. 13. 4. *Caritas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, &c.* 2. Hortatur illos exemplo ſuo: *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* Ego inquit dux veſter præceſſi, excipiens hoſtium tela & furorem, viam calcavi ac complanavi, ut faciles ſequamini; quod & monet Auguſt. *Recuſas eſſe in corpore, ſi non vis odium mundi ſuſtinere cum capite.* 3. Cauſſam tradit perſecutionum & odij à mundo ſuſtinendi, nempè morum diſſimilitudinem cum mundo, ac ſimilitudinem cum Chriſto: *Quia,* inquit, *de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo,* adeoque ſignum virtutis eſſe, à mundo pati & odio haberi.

Punct. II. Conſ. 1. Chriſtum hortari eos deinde à majori ad minus. *Non eſt ſervus,* inquit, *major domino ſuo; ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur,* ſi doctrinam meam ipſi carpſerint, & veſtram carpent; quare grave non debet eſſe ſervis ſubire conditionem domini. 2. Hortatur eos à gloria, eò quòd propter Chriſtum paſſuri ſint, quod glorioſum illis eſſe debet: *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum,* quia mei eſtis & vocamini; ſed ego de illis triumphare vos faciam. 3. Monet adverſarios, cùm ex ignorantia procedant craſſa & affectata, imò ex mero odio erga ſe & Patrem, non obſtantibus tot ſignis adeò manifeſtis, rationibus convincentibus, ac miraculis certis, eos paternæ ultioni obnoxios fore; quandoquidem *excuſationem non habent de peccato ſuo.*

Punct. III. Conſ. 1. Simonem & Iudam, quorum illi Cananæi, ut à Simone Petro, huic Thaddæi, ut ab Iſcariote diſtingueretur, nomen adjunctum eſt, à Chriſto ad Apoſtolatum electos, vocationi ſuæ ſtrenuè, inſigni zelo ac fortitudine reſpondiſſe, quando potiſſimùm accepta Spiritus ſancti plenitudine, Apoſtolis alijs alias mundi partes ad prædicandum Chriſti Euangelium amplectentibus, Simon Ægyptum, Iudas Meſopotamiam occuparunt; quas regiones quantũvis barbaras, ipſi indefeſſo labore, patientia, & caritate, Deo etiam labores miraculis comprobante, Chriſtianę fidei jugo ſubmiſerunt. 2. Conſ. Eos inde in Perſidem junctis copijs convenientes, cùm ibi iterum in vaſtiſſimis illis & efferatis regionibus, innumerabiles filios prædicatione Euangelij, virtutum exemplo, ac miraculis Chriſto peperiſſet, ambos ſimul ob contrita idola à furẽtibus ſacrificulis Ann. Chriſti 65. interfectos, martyrij palma Apoſtolatum illuſtraſſe. Tu Apoſtolicum eorum zelum, patientiam, & caritatem imitare, ut & palmam aſſequaris.

FESTO

Vigilia Omn. Sanctorum, Vide de Comm. Mart. IX.

FESTO SANCTORVM OMNIVM. 1. Novemb. I.

De gloria cælesti Sanctorum.

PVnct. I. Consid. 1. Cælestem gloriam describi à Theologis cum Boëtio & D. Thoma: *Statum omnium bonorum aggregatione perfectum.* Status autem perpetuitatem designat non obnoxiam mutationi, & hic complectitur bona omnia quæ animo concipi possunt. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* 1. Cor. 2. 9. 2. Clarè ibi agnosci mundi hujus bona esse mera inania & fallacia. *Popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* Is. 3. 12. Ps. 143. 12. 3. Et quia bonum opponitur malo, nullum erit ibi malum animæ aut corporis, culpæ vel pœnæ, sed *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Apoc. 21. 4.

Punct. II. Cons. 1. Locum cæli esse amplissimum, clarissimum jucunda luce sine occasu, temperatissimum sine vicissitudine aut tędio, amœnissimum, ac pretiosissimum; ideoque adumbratum in S. Scriptura similitudine regni, civitatis, paradisi, & convivij nuptialis, quem commutabunt beati cum hoc exilio, quod cum Christiana patientia sustinuerunt. 2. Esse etiam locum nulli corruptioni aut vastationi expositum, in se firmissimum, & beatos pariter in illo, securos sine metu umquam excidendi: quis nolit hîc angusto, incommodo, & vili loco ad breve tempus concludi, ut eò possit pervenire?

Punct. III. Consid. Societatem Angelorum ac hominum beatorum fore jucundissimam, 1. quia erunt omnes numero propè infinito, & quidem de Angelis. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei,* Dan. 7. 10. omnes velut Reges ac Principes omni virtutum splendore ornatissimi. 2. Delectabunt varietate gloriæ pro cujusque meritis, omnes tamen gaudio pleni, sicut *stella à stella differt in claritate.* 1. Cor. 15. 41. 3. Neque in tanto numero erit confusio, neque in varietate discordia, sed singuli cognoscent singulos, & familiarissimè inter se agent, & diligent purissimè, summa consensione animorum, sine præsumptione in superioribus, aut æmulatione in inferioribus, sed quisque contentus gloria sua gaudebit de aliena tanquam de sua, & de divina plusquam de sua. 4. Inter 9. choros Angelorum sic ruinas lapsorum implebunt homines beati, ut mira ordinum distinctione elegantiam addituri sint, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Doctores, Confessores, Virgines, & Viduæ. 5. Peculiaribus etiam honoris & gloriæ insignibus, quæ Aureolæ dicuntur, à Christo ob generosam sui imitationem decretis, fulgebunt Martyres, Doctores, & Virgines. Quare desideria nostra eò dirigamus: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde.* Ps. 23. 3.

FESTO OMNIUM SANCTORUM. 1. Novemb. II.

De gloria Beatorum, animæ & corporis.

PUnct. I. Consid. 1. Essentialem animæ beatitudinem consistere in clara Dei visione ac fruitione; unde David: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* & S. Joannes: *Videbimus eum sicuti est.* Videbunt autem beati clare Dei essentiam, personas, perfectiones, ac nominatim arcana ejus consilia ac providentiæ seriem in se eò dirigendis. 2. Ex visione nascitur amor summi boni, cui tanquam filij aut sponsi omnem perfectionem gratulantur, cum summo gaudio & exultatione. 3. Reliquæ etiam virtutes inde pariter emanant, ac memoria tot tantisque acceptis à Deo beneficiis cum delectatione occupatur; itaque omnes animæ potentiæ Deo replentur. Quare stude hîc in exercitio orationis potentias animæ sic Deo occupare, ut postea aliquando perfectè eo repleantur.

Psal. 15. 11. *1. Joan. 3. 2.*

Punct. II. Consid. Corpus, quia particeps fuit in hac vita laborum & dolorum, ita & de gloria participaturum, ac nominatim quatuor dotibus velut Sponsam à Christo exornandam, 1. *Impassibilitatis* ab omni corruptione; nam, teste Apostolo, *seminatur*, seu sepelitur, *in corruptione, surget in incorruptione. Non esurient, neque sitient, mors ultrà non erit.* 2. *Claritatis*, nam *ignobile surget in gloria*, seu claritate. *Fulgebunt justi sicut Sol.* 3. *Agilitatis*, nam *quod est in infirmitate, surget in virtute*, qua se quocumque voluerint transferre, subitò poterunt, *& tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* 4 *Subtilitatis*; nam *animale surget spiritale*, sine ullo obstaculo potens quidvis penetrare, sicut Christus per sepulchrum & clausas januas. Quare corpus nunc imitatione Christi & Sanctorum disce sic mortificare, ut dotibus illis frui æternùm possit.

1. Cor. 15. 42. *Apoc. 7. 16.* *Apoc. 21. 4.* *Matt. 13. 43.* *Sap. 3. 7.*

Punct. III. Consid. Sensus, sicut in damnatis singuli peculiaria habebunt tormenta, ita & in beatis propria habituros oblectamenta; ideoque 1. *Visus* recreabitur aspectu tot corporum beatorum, nominatim Christi ac Deiparæ, & totius palatij cælestis. Spectare etiam poterunt theatrum terræ hujus, carcerem damnatorum, ac mundi reliquum. 2. *Auditus*, suavissima melodia, canentium *Alleluia. Exaltationes Dei in faucibus eorum.* 3. *Odoratus*, tum ex ipso loco, tum ex corporibus beatorum, quæ spirabunt odorem suavissimum, *florebunt sicut lilium.* 4. *Gustus.* Absque cibo, percipiet omne delectamentum suavitatis, adeoque *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* 5. *Tactus*, toto corpore diffusus jucundissimo etiam sensu perfruetur. Quare stude nunc sensus tuos mortificare, & privare vanis ac brevibus solatiis, ut solidis & æternis posteà fruantur, & dic cum Ecclesia: *Ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.* Stude etiam Sanctos illos, qui à Deo tantoperè honorantur, honore & cultu prosequi, implorare eorum auxilia, ac potissimùm virtutes imitari.

Apoc. 21. *Apoc. 19. 1.* *Psal. 149. 6.* *Isa. 35. 1.* *Psal. 35. 9.*

Proponuntur justi immunes ab extremis mundi calamitatibus, & perfruentes gloria cælesti. Ex Epist. Missæ. Apoc 7.

PVnct. I. *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei vivi.* Consid. 1. S. Joanni inter cetera secreta cælestia revelata, hîc proponi Archangelum Michaelem Ecclesiæ defensorem, qui fideles omnes non tantùm tempore vitæ suæ, & maximè in morte confirmat, & protegit signo Christi crucifixi, excitando eos ad affectus fidei, spei, & caritatis in illum, quibus quasi signis muniti, communes dæmonum machinas evadant: sed ardentiùs sub mundi finem eò omnes provocaturus sit & exstimulaturus: unde disce nunc sæpiùs S. Michaelis opem implorare, ac dæmonum tentationes per affectus fidei, spei, & amoris in Christum reprimere. 2. Consf. Affectus hos velut signa esse & pignus salutis æternæ, omni studio servandum, firmandum, & augendum: *Qui signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* 2. Cor. 1. 22.

Punct. II. Et audivi numerum signatorum, 144. millia signati ex omni tribu filiorum Israël. Consid. 1. Significari hîc ingentem numerum beatorum ex 12. tribubus Israël, sed potissimùm ex 12. Apostolis spiritualiter procedentium, qui duodenarius numerus & inter se multiplicatur ad designandam eorum concordiam, & deinde millenario augetur ad multitudinis abundantiam: tu eò adspira, & sic vive, nominatim per concordiam animorum & pacem cum proximo, ut in numero illo locum invenias, ac æternùm iis jungaris in gloria. *Inquire pacem & persequere eam. Cùm omnibus pacem habentes.* 2. Consid. Singulas tribus speciali nomine & numero exprimi, ut constet singulas, imò & animas singulorum singulariter Deo curæ esse velut oculi pupillam, & ac si solæ essent, earumque electione & numero Deum delectari. Psal. 33. 15. Rom. 12. 18.

Punct. III. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Consid. 1. Declarari hîc iterum numeri amplitudinem, nulla natione, sexu, ætate, aut conditione exclusa: quare argue socordiam tuam de tam facili ac plana via neglecta. 2. Apparent beati illi *stantes ante thronum*, tanquam stabiles in cælesti gloria, & omnes velut Principes cælestes Deum & Christum clarè intuentes. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Sic honorabitur quemcumque Rex voluerit honorare.* 3. *Amicti stolis albis*, tanquam puri ab omni macula, quia *non intrabit in eam aliquid coinquinatum*: & cum gaudio perpetua solennia celebrantes. Quare stude nunc vestem gratiæ mundam conservare, ac minores etiam maculas studiosè cavere, & promptè eluere. 4. *Et palmæ in manibus eorum*, tanquam qui victoriam de hostibus suis mundo, carne & dæmone retulerunt. Ubi Consid. folia palmæ formam gladij habere, ut significetur, non obtineri palma victoriæ, nisi pugna spirituali. *Non coronatur, nisi legitimè certaverit.* Ps. 138. 17. Esth. 6. 9. Apoc. 21. 27. 2. Tim. 2. 5.

De Purgatorio.

Trid.Sess.6. Cap.30. PVnct.I. Consid. 1. Fide certum esse, & ex principiis S. Scripturæ, ratione evidens, dari purgatorium, in quo animæ à peccatorum reliquiis priùs purgentur, quàm in cælestem gloriam admittantur: cum enim constet peccatis venialibus decretam esse tantùm pœnam temporalem, & remissis etiam mortalibus non semper remitti omnem pœnam, & interim tamen aliquos ante plenam satisfactionem ex hac vita evocari; sequitur post hanc vitam locum esse, in quo animæ illæ à peccatorum debitis expurgentur, qui purgatorium appellatur; nam in cælestem gloriam
Apoc. 21.27. *non intrabit aliquid coinquinatum.* 2. Cons. Animas illas eò ab Angelo custode deductas, duplicem ibi pœnam subire, damni, & sensus, propter duplicem malitiam in omni peccato contentam, aversionem à Deo, & conversionem inordinatam ad creaturas; damni pœnam consistere in privatione
Ps.119 5. summi boni; unde meritò clamant: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est*: Pœnam vero sensus graviorem esse, quàm ulli scelesti ob crimina, vel Martyres ob virtutem umquam in hac vita passi sint, ac nominatim ex tormento ignis, qui sicut & infernalis cruciat difformiter pro ratione pœnæ debitæ, ut instrumentum divinæ justitiæ.

Punct. II. Consid. 1. Animas illas licet incapaces meriti ac demeriti,
Apoc.5.13. quorum tempus hac vita concluditur, tamen ibi perpetuò laudare Deū & Christum, cùm tormenta illa rationem minimè perturbent. 2. Conformare se in his penitus divinæ ejus voluntati, ac beneplacito. *Iustus es*
Ps.118.37. Mich 7.9. *Domine & rectum judicium tuum. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* 3. Elicere etiam varios & ferventes actus virtutum. 4. Enixè implorare opem
Iob.19.21. nostram pro liberatione, aut pœnæ diminutione: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.*

Punct. III. Consid. 1. Ac time justitiam Dei qua in peccata etiam leviora tam severè animadvertit post hanc vitam, sic ut nequidem justos amicos suos ad conspectum suum admittat, nisi priùs tam atrocibus tormentis penitus purgatos: quare studiosè cave etiam levia peccata admittere; admissa verò potiùs hîc ipse castiga spontaneis pœnitentiis, vel tribulationibus patienter toleratis, quam ut reserves pœnis adeò acerbis expianda. 2. Ad juvandas illas permovere nos debet acerbitas pœnarum, quibus non moveri crudele est; lex caritatis, quæ quod nobis factum vellemus, illis fratribus, & cohæredibus nostris regni cælestis præstandum dictat; gratitudo illarum, quam certò præstabunt, pro nobis obsecrando, ubi ad Dei conspectum admissæ fuerint: denique quia pergratum Deo hoc misericordiæ obsequium, quod exhibentes & ipsi ab eo misericordiam consequentur.

De Evang. V. Com. defunc. 1.

FESTO SANCTORVM OMMIVM. 1. Novemb. IV. Et in Communi Martyrum. X.

Anno 32. Maio in monte Galilææ.

Christus in mõte tradit documenta beatitudinis. Mat. 5. Mar. 3. Luc. 6. P. I.

PVnct. I. *Videns Iesus turbas, ascendit in montem.* Consid. Christum conscenso monte in Galilæa, ibique nocte integra in ferventi oratione constanter transacta, ut & nos doceret rebus agendis orationem præmittere, manè ex discipulis convocatis selegisse 12. pro munere Apostolico, numero illo totidem Patriarchis olim adumbrato: ut sicut ex illis populus Iudaicus carnaliter processerat, ita & ex his Christianus spiritualiter gigneretur. Inde verò descendentem ad planitiem montis declivis, ibique plurimis ægris, qui eò undique confluxerant, miraculo persanatis, tradidisse compendium vitę Christianę, sive breves ac certas semitas beatitudinis consequendę: ac 1. inquit, *Beati pauperes spiritu.* Non ij quos mundus beatos ęstimat, divitijs, voluptatibus, honoribus affluentes, sed terrenarum rerum commodis destituti, non vi aut necessitate, sed *spiritu* voluntario, Christi amore & imitatione à Spiritu sancto excitato. 2. Cons. Incipere Christum à paupertate, quia tollit cupiditatem seu avaritiam, quæ *radix est omnium malorum*, & ipsa radix est omnium bonorum, atque Euangelicæ perfectionis, gignit humilitatem, mansuetudinem, ceterasque virtutes, liberat hominem mille curis & distractionibus, ac transfert affectum à terrenis ad cælestia, quæ spe certa ex Christi promisso concepit; *quoniam ipsorum est regnum cælorum*: nunc illis competit beatitudo cælestis, sicut primogenito hereditas adeunda. Expende igitur hic, sicut & in ceteris, virtutis hujus præmia, vitij oppositi pœnas, & exempla Christi, Deiparæ, Apostolorum, ac plurimorum Sanctorum, qui se voluntariè rebus terrenis abdicantes, etiam libenter paupertatis effectus & incommoda in victu, vestitu, & habitatione amplexi sunt.

Gen. 35. 23.

1. Tim. 6. 10

Punct. II. *Beati mites.* Consid. 1. Mites esse eos qui dominantur motibus irę, ne quos verbo vel opere ostendant, aut corde foveant, sive erga Deum punientem aut exercentem, sive erga homines iniq; agentes, sive quemcumque casum adversum; *nulli malum pro malo reddentes*, sed *cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate*, atque iræ motibus statim suppressis, ut *sol non occidat super iracundiam vestram.* 2. Consid. Præmium, *quoniam ipsi possidebunt terram*, ubi etiam his sicut & ceteris beatitudo cælestis promittitur, varijs nominibus expressa, pro congruentia virtutum: peculiariter autem hi in hac vita possidebunt terrenam substantiam, qua utuntur, in pace & sine contentione; deinde carnem suam, ut ait Bernardus: corda hominũ, ut Chrysost. ac posteà terram viventium in cælis promissam. Hinc 3. Cons. mites gratos esse Deo & hominibus, similes Christo, castos, magnanimos, ac præ ceteris aptiores ad cælestem sapientiã, & salutẽ animarũ; iracũdos vero & impatientes sibi esse ac alijs molestos, & ineptos se reddere ad dona Spiritus sancti recipienda.

Rom. 12. 17. Eph. 4. 2.

Eph. 4 26.

FE-

Anno 32. Maio in monte Galilææ.

FESTO OMNIVM SANCTORVM. 1. Novemb. V.

Et in Communi Martyrum. X.

De Octo Beatitudinibus. P. II.

PVnct. I. *Beati qui lugent.* Conf. 1. Luctum Christianis omnibus salutarem extendere se posse ad mala preterita, præsentia, & futura, atque esse vel compunctionis ob peccata propria, vel compassionis ob peccata aliena, ac Christi passionem, vel devotionis ob absentiam seu privationem summi boni, ac miserias hujus vitę, animæ & corporis; ideoque ad cælestem ac meliorem adspirandum: hinc etiam vitam hanc rectè vallem lacrymarum & exilium appellari. 2. Præmium subdit Christus sic piè lugentibus: *Quoniam ipsi consolabuntur.* Nam *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà.* (Apoc. 21. 4.) 3. Majori solatio & gaudio perfundentur illi, & in istis, in quibus magis passi fuerint. 4. Christus risisse numquam, flevisse verò sæpiùs in S. Scriptura legitur, ita & viri sancti exemplo Davidis: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* (Ps. 6. 6.)

Punct. II. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam. Conf. 1. Commendari hîc vehemens & ardens desiderium promovendi in se alijsque id quod justum seu Deo gratum est, quò suæ atque alienæ saluti & perfectioni impensè student. 2. Etiam ij significantur qui propter virtutem libenter patiuntur famem ac sitim, & cetera corporis incommoda. 3. Conf. Corporea fame & siti tolli homini vires ad labores & pugnam; spirituali verò augeri, eamque se extendere ad omnes beatitudines appetendas, paupertatem, mansuetudinem, luctum, &c. 4. Præmium subdit: *Quoniam ipsi saturabuntur.* nam Deus in hac vita liberaliter gratiam tribuit desiderantibus, ac pro desiderij vehementia uberiorem, in altera verò desiderium adimplebit æterna felicitate. *Imebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* (Ps. 35. 9.)

Punct. III. Beati misericordes. Conf. 1. Eos significari, qui ex cordis condolentia commoventur ad sublevandas miserias proximi propter Deum, sive corporales, sive spirituales; idque non verbo tantùm, sed & opere, prout potuerint, præstant. 2. Præmium Christus subdit: *Quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Igitur misericordiæ humanæ promittit divinam, pro minimis maxima rependentem. 3. Conf. Iudicem nos habere Deum justissimum, quem placare nunc misericordia possumus, non verò posteà; nam *judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam: superexaltat autem misericordia judicium,* illa humana huic divino præponderante. (Iac. 2. 13.) 4. Beatos à mundo appellari eos qui multa accipiunt, contrà verò à Christo eos qui multa dant; unde & Paulus cum Christo ait: *Beatius est magis dare, quàm accipere.* (Act. 20. 35.) Et ipse Christus *pertransijt benefaciendo & sanando omnes,* (Act. 10. 38.) eoque ut nos extimularet, sibi impensum refert. *Quod uni ex minimis meis,* inquit, *fecistis, mihi fecistis.* (Matt. 25. 40)

FESTO

FESTO OMNIUM SANCTORUM. 1. Novemb. VI. Anno 32. Maio in monte Galilææ.

Et in communi Martyrum. X.

De Octo Beatitudinibus. P. III.

P*Unct. I. Beati mundo corde.* Conf. 1. Significari eos qui habent voluntatem expurgatam in primis à vitio carnis, & ab omni peccato mortali, ac terrenis affectibus, imò & virtute castitatis nitentem; qui nitor & munditics omni diligentia quærenda & servanda est. 2. Conf. Præmium; *quoniam ipsi Deum videbunt*, cum ineffabili gaudio & voluptate, in quo essentia supremæ beatitudinis sita est. In hac vita Deum, summum bonum nostrum obscurè tantùm cognoscimus tum per fidem, tum etiam per creaturas quasi *per speculum* in imagine, *tunc autem facie ad faciem.* 3. Sicut sol videri non potest, nisi ab oculo mundo ac puro, ita nec Deus: quem quisque etiam hîc in oratione perfectiùs cognoscet, quò hanc munditiem magis sectatus fuerit. 1. Cor. 13. 12.

Punct. II. Beati pacifici. Conf. 1. Eos significari qui motus animi habent pacatos & subjectos rationi, rationem vero Deo, atque ita pacem habent secum, cum proximo, & cum Deo. 2. Ac potissimùm qui hanc pacem nituntur etiam in proximo excitare, conciliando discordes inter se, peccatores & infideles, Deo & Ecclesiæ. 3. Conf. Præmium; *quoniam filij Dei vocabuntur*, singulari nempe titulo, quia Christo Dei Filio in hoc maximè similes, qui in hunc mundum venit, pacem inter nos & cœlestem Patrem conciliaturus, tanquàm *Princeps pacis*, cujus sicut nunc nomen & officium participant, ita & cælestem cum eo posteà cernent hereditatem. Isa. 9. 6.

Punct. III. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Conf. 1. Hac nobilissima virtute, & prærogativa martyrij insignes postremo loco poni, tanquam fortissimos milites, prioribus beatitudinum virtutibus jam munitos, qua omne genus persecutionum, maledicta, opprobria, calumnias, contumelias, imò & carceres, flagella, tormenta, & mortem, propter Deum ac virtutem ab iniquis patiuntur. 2. Omnes pios Christi fideles persecutioni obnoxios, juxta Apostolum: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur*, à prava concupiscentia sua, carne, mundo, dæmone, & improbis hominibus; qui tamen adversarij omnes nocere non poterunt, nisi quis se per voluntatis consensũ ijs subdiderit. 3. Conf. Præmium; *quoniam ipsorum est regnum cælorum*, jam nunc hereditate ijs transscriptum, sicut & eodem nomine pauperibus. Inculcat autem hîc Christus dictas persecutiones non tantùm patienter & fortiter, sed & cum gaudio & exultatione ferendas, tum propter mercedem in cælis copiosam paratam, tum quia *gloria magna est, sequi Dominum Christum* præeuntem, ac longè nobilius & generosius dura & fortia pati, quam agere. 2. Tim. 3. 12. Eccli. 23. 38.

FESTO

FESTO S. MARTINI EPISCOPI. 11. Novemb.

P*unct.I.* Consid. 1. S. Martinum in Pannonia, nobilibus, sed gentilibus parentibus natum, anno ætatis suæ decimo invitis parentibus Catechumenorum numero adscriptum, ac tradita sibi Christianæ fidei documenta frequentibus & ferventibus pietatis exercitijs perfecisse. 2. Annos 15. natum, jussum à parente Tribuno militari etiam militiæ nomen dare, cùm forte Ambiani in porta à paupere ac nudo eleemosynam Christi nomine rogaretur, neque aliud suppeteret, partem chlamydis præscissam dedisse, qua Christus sequenti nocte indutus ei apparuit, dicens: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit.* Unde collige quanti à Deo æstimentur opera nostra etiam exigua, præstita ex pura intentione. 3. Anno 18. jam suscepto baptismo, cùm profanæ militiæ renunciaret, idque sibi probro & ignaviæ verteretur, notam illam insigni fiducia in Christum avertisse: *Ego*, inquit, *signo Crucis, non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus.*

Offic. Eccl.

Punct. II. Cons. 1. Eum in Christiana humilitate inprimis solida jecisse fundamenta, sic ut etiam famulo suo sæpiùs inserviret ipse, & calceos detraheret. Zelum exercuit, cùm in patriam rediens, ut parentes ad Christi fidem converteret, & incidens in latrones, nec periculis deterritus, unum ex illis convertit, matrem deinde suam etiam Christo lucratus. 2. Ecclesiasticam vitam amplectens, à S. Hilario Pictaviensi Episcopo in Acolythorum numerum redactus, graves sæpiùs contumelias & verbera ab Arrianis perpessus, vitæ sanctitate & miraculis magis inclaruit, sic ut etiam tres mortuos ad vitam suscitarit. 3. Episcopus deinde Turonensis, quantumvis invitus, creatus, *Forma factus gregis, præbuit se exemplum bonorum operum.* 4. Ut salutem suam in Episcopali munere magis stabiliret, religiosam vitam adijcere statuit; quare exstructo monasterio, cum 80. quos assumpserat, religiosis, plures annos ibi in omni virtutum genere singulari exemplo præluxit: unde & excita in te amorem vitę religiosę.

1. Pet. 3. 5. Tit. 2. 7.

Punct. III. Cons. 1. Instante morte, quam longè ante præsciverat, ac sæpiùs concupierat, rogatum à suis: *Cur nos Pater deseris? aut cui nos desolatos relinquis? invadent enim gregem tuum lupi rapaces; scimus quidem desiderare te Christum, sed salva sunt tibi tua præmia, nostri potius miserere quos deseris.* Eaq; oratione commotum, se totum divinę voluntati obtulisse: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.* 2. Morbi tempore, *oculis ac manibus in cælum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat.* Rogatus ut converso corpore non ita supinus quiesceret, *Sinite me*, inquit, *cælum potius quàm terram aspicere, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.* 3. Instante morte, viso humani generis hoste, ait: *Quid hîc adstas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies.* Qua in voce, præsente numeroso Angelorum canentium choro, animam Deo reddidit.

Offic. Eccl. Anno 397. Ætat. 81.

In Euang. Vide de Com. Conf. Pont. III.

FESTO S. GREGORII THAUMATURGI. 17. Nov.

Anno 34. Martij 22. in via Jerosol.

Christus hortatur suos ad fiduciam in oratione. Marc. 11. Matt. 21.

PUnct. I. *Habete fidem Dei, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, Fiat, fiet ei.* Consid. 1. Christum cùm pridie in itinere Bethania Jerosolymam coram discipulis maledixisset ficui, eò quòd in ea fructus non invenisset; significans eo facto populum Judaïcum & omnes peccatores externa tantum specie virtutum velut foliis vestitos, & operibus bonis destitutos reprobandos à se & Patre cælesti; nunc iterum eadem via Jerosolymam cum suis petentem, & mirantibus ficum exaruisse, hortari eos ad roborandam fiduciam in oratione, qua in rebus quantùmvis arduis & difficilibus erigant mentem supra humanam potentiam, & à Deo expectent fructum suæ orationis. 2. Consid. in lege veteri plurima patrata miracula à Moyse hominibus exitiosa, nullum verò tale à Christo, sed omnia ejus miracula fuisse beneficentiæ erga homines; cumque tamen etiam docere eos vellet justitiæ suæ severitatem, noluisse exemplum dare in homine, sed in ficu arbore humidissima, quæ Judæos plenos succo cælestium gratiarum sic etiam maledictione plectendos adumbrabat.

Punct. II. Consid. 1. Christum in exemplum fiduciæ adferre vicinum montem Olivetum, quem inde ejus virtute in mare Mediterraneum ad novem leucas transferendum promittit; ubi id ad salutem nostram, Deique gloriam expedierit. 2. Consid. sæpiùs à nobis, secundùm Ven. Bedam, montes spiritualiter transferri, cùm dæmones, qui propter superbiam montibus similes se contra Deum erigunt, & similes esse volunt Altissimo, ex nostris & aliorum cordibus divina virtute ejicimus.

Punct. III. Consid. 1. Id etiam corporaliter reipsa præstitum à S. Gregorio Neocæsareæ Episcopo sanctitate & doctrina illustri, sed miraculis illustriori: unde & Thaumaturgus dictus est, cùm montem, qui Ecclesiæ ædificationem impediebat, sua in oratione fiducia, & exactione promissi à Christo, quantum opus erat, aliò transtulit. 2. Idem paludem inter fratres caussam discordiarū exsiccavit, Lycum fluvium perniciosè agros inundantem coërcuit, defixo ad ripam quo sustentabatur baculo, qui & statim virentem crevit in arborem, ut posteà ultra eum terminum non effluxerit. Ubi Consid. eum in his aliisque innumeris miraculis unam semper Dei gloriam, ac animarum, quas sic plurimas Deo lucrabatur, salutem spectasse. 3. Zelum hunc ejus, quantus in vita fuerit, sub finem apparuisse, cùm moriturus interrogans quot in civitate ea infideles superessent, & intelligens esse tantùm septemdecim, Deo gratias agens: *Totidem*, inquit, *erant fideles cùm cepi Episcopatum:* unde & tu zelum tuum pro animarum salute, cùm fiducia in oratione exstimula. *Anno 266.*

PUnct. I. Consid. 1. SS. Joachimum & Annam parentes B. Virginis eam jam ablactatam anno ætatis tertio secum adduxisse Hierosolymam, Deo ibi in templo offerendam, tum ut divinæ inspirationi obsequentes, eam cælestis potiùs quàm terreni regis aulæ ab infantia consecrarent, tum ut voti sui de hac obligationi satisfacerent: tu attende quâ promptitudine divinis inspirationibus, ac votorum obligationi satisfacias. 2. Consid. quo fervore ipsa virguncula ad templum, quò pridem anhelaverat, perveniens, mox gradus 15. sola conscenderit, & festinans ad sui oblationem, se cum Propheta excitarit: *Lætata sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus*: ejusque in hoc fervorem ad templum & Dei cultum imitare. 3. In templum ingressa, ibique in genua provoluta, totam se ardenti & purissimo affectu Deo obtulit, gratissimum præ omnibus quæ umquam oblata fuerant, sacrificium; tum ob præstantiam muneris: Virginis nempe tot virtutum insignibus exornatæ; tum ob affectum offerentis; tum quia à prima ætate; nam *qui citò dat, bis dat. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis.* Agnosce hîc felicitatem eorum qui Dei vocationi ab adolescentia obsecuti sunt, argue tarditatem tuam, & quotidie à diei exortu te Deo offer per illam, ut per eamdem aliquando in templo cælestis gloriæ præsentari merearis.

Psal. 121. 1.

Gen. 8. 21.

Punct. II. Consid. 1. B. Virginem à Sacerdotibus in ædes templo vicinas adductam, inter ceteras Virgines ibi divino cultui & obsequiis dicatas, ea mox perfectarum virtutum exempla dedisse, quæ omnibus essent admirationi: elucebat in ea oris majestas, morum integritas, incessus gravitas. 2. Mentalia ejus exercitia erant lectio sacra frequens, inde meditatio qua lecta cum affectu expendebat, oratio vocalis qua animi fervorem explicabat, & contemplatio qua Deo per ardentem & purissimam caritatem intimè adhærebat. 3. A mentalibus exercitiis ad manualia artesque puellares descendebat, sic ut inter ea à Dei præsentia & amore non recederet, sed ex plenitudine gratiæ actiones omnes obiens, immensa colligeret incrementa meritorum. 4. Angelorum inter hæc consortio & solatio fruebatur, qui admirabundi tanta in tam tenella ætate virtutum ornamenta meritò quærebant: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens*, quia crescens assiduè sine occasu, *pulchra ut Luna*, quia gratia plena, *electa ut Sol*, quia sola parem non habens, *terribilis ut castrorum acies ordinata*, quia omnibus instructa virtutibus sub regimine caritatis. 5. Votum Virginitatis omnium prima Deo obtulit, cujus voti præstantiam orbi ignotam aperuit, ac posteris deinde plurimis suo exemplo persuasit. 6. Desideria accensa ad Messiæ adventum crebriùs acuebat: *Excita potentiam tuam veni, ut salvos facias nos.*

Cant. 6. 9.

Psal. 79. 3.

De Euangelio vide Sabbato de ea post Purificat.

FESTO S. CÆCILIÆ. 22. Novemb.

PUnct. I. Consid. 1. S. Cæciliam Virginem Romanam, nobili genere natam, à prima ætate Christianæ fidei præcepto institutam, frequenti lectione Euangeliorum, suum erga Christum amorem maximè accendisse, & virginitate ei voto dicata, spretis carnis illecebris, verum ac solidum gaudium tum ex illo, velut cælesti Sponso, tum ex puræ conscientiæ testimonio hausisse. *Cantantibus organis Domino decantabat, dicens: Fiat Domine cor meum, & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Juxta illud: *Cognovi quòd non esset meliùs nisi facere bene, & lætari in vita sua.* Et *non est oblectamentum super cordis gaudium.* 2. Eam deinde à parentibus, quamvis invitam, nuptui datam juveni nobili Valeriano, præmissis triduanis precibus ac jejuniis, & cilicio sub pretiosa veste armatam, prima nuptiarum nocte sic eum allocutam: *Ego in Angeli tutela sum, qui virginitatem meam custodit; quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitetur.* Ubi attende animi constantiam in tuenda virginitate, & hanc Angelo custodi singulariter curæ esse.

Eccl. 3.12. *Eccl. 30.16.*

Punct. II. Consid. 1. Valerianum verbis Cæciliæ commotum, nec ausum eam vel leviter attingere, videndi Angeli desiderio accensum, addixisse se etiam Christi fidem amplexurum, si Angelum illum sibi videre liceret: cui cùm illa respondisset, Angelum ab eo nisi baptizato videri non posse, recepit ille se baptismum admissurum: unde collige non nisi mundis corde familiaritatem cum Angelo custode tribui. 2. Valerianum à suscepto baptismo ad Cæciliam reversum, invenisse eam orationi vacantem, & cum ea Angelum cælesti splendore fulgentem, eoque aspectu attonitum, in accepta fide fuisse plurimùm confirmatum. 3. Angelum imposita utrique corona velut tessera Virginitatis, obtulisse Valeriano in præmium, ut quod vellet, à se postularet, cui ille se Tiburtij germani fratris conversionem & salutem unicè exposcere: quàm & mox primo alloquio obtinuit, sic ut is Cæciliæ pedibus advolutus se ad Christi fidem suscipiendam paratum offerret: quam deinde baptizatus, & cum fratre securi percussus, sanguine suo firmavit.

Punct. III. Consid. 1. Cæciliam à Præfecto interrogatam de Valeriani & Tiburtij facultatibus, cùm eas in pauperes erogatas respondisset, comprehensam, qua valebat Christiana eloquentia, tum lictoribus, tum aliis adstantibus facilè 300. Christi fidem pariter persuasisse: imitare zelum in Virgine. 2. Jussam deinde domi suæ ferventi balneo comburi, cùm ab ea flamma refugeret, Deo laudes decantasse: *Benedico te Pater Domini mei Iesu Christi, quia per Filium tuum ignis exstinctus est à latere meo.* 3. Denique capitis damnatam ter securi frustrà percussam, cùm præscindi à carnifice caput non posset, semivivam relictam, triduo pòst, duplici Virginitatis & martyrij palma decoratam, ad cælestem Sponsum evolasse: disce ex Virgine etiam ardua forti ac libenti animo tolerare. *Anno 230.*

FESTO S. CATHARINÆ. 25. Novemb.

PUnct. I. Consid. 1. S. Catharinam regio sanguine illustrem Alexandriæ natam, à prima ætate scientias cum fidei ardore jungendas ratam, brevi in iis tum diligentiæ, tum orationis studio tantùm profecisse, ut annos nata 18. cùm omnium admiratione peritissimum quemque superaret: tu vide ut eamdem viam insistas ad doctrinam virtuti jungendam. 2. Consid. ejus fortitudinem, qua ultrò Maximinum Imperatorem adiit, redarguens ejus crudelitatem in tot Christianis, quos ad supplicia rapi viderat, necandis, ac sapientissimis rationibus suadens ei Christi fidem ad salutem esse necessariam: argue hîc vanum timorem tuum, ac languorem in peccatis proximi impediendis, & erubesce. 3. Maximinum Virginis prudentia attonitum, evocatos undique viros doctissimos 50. propositis præmiis, qui eam à Christi fide abducerent, cum illa commisisse; verùm hosce ejus disputandi subtilitate, & eloquentia convictos, quam impugnare venerant fidem, tam firmiter amplexos, ut præ hac vitam sibi per ignis supplicium Martyres tolli elegerint: ubi mirare & imitare tum tironum horum in fide fortitudinem, tum Virginis in Deo fiduciam, præstante promissum suum Christo: *Nos vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* *Matt. 10. 20.*

Punct. II. Consid. 1. Maximinum in impietate pertinacem, blanditiis ac promissis Catharinam aggressum, ut eam à sententia deduceret; sed frustra, cùm ipsa æterna sibi gaudia in cælis promissa ob oculos haberet. 2. Eam inde verberibus plumbatisque contusam per dies 11. sine cibo ac potu in carcere detentam, non tantùm de fidei ardore nihil remisisse, ut etiam Imperatoris uxorem, & Porphyrium belli ducem sui visendæ caussa ingressos, ad eãdem fidem amplectendam induxerit, quam & ipsi martyrio posteà cum aliis 200. Prætorianis confirmarunt: ubi Virginis hujus zelum pro salute proximi, & patientiam in ferendis adversis imitare. 3. Eam è carcere ad supplicij locum eductam, crudelique machinæ rotarum, intersecantibus gladiis ad corpus dilacerandum expositam, brevi ac ferventi oratione totam machinam subitò dissipasse, præsentibus vicinis plurimis oppressis, aliis verò, qui superstites manserant, Christianam fidem amplexis. 4. Obfirmante animum Maximino, Catharinam tandem securi caput fortiter subjecisse, manante vice sanguinis lacte, in signum puritatis, atque ita ad Virginitatis, ac Doctoratus, etiam Martyrij aureolam adjunxisse: corpus deinde ejus, ad majorem venerationem, per Angelos in montem Sina deportatum. Mirare Virginis constantiam, & excita in te desiderium multa etiam & constanter pro Christo patiendi, ac Deum rogo, ut Virginis hujus meritis & intercessione, ad montem, qui Christus est pervenire valeas. *Anno 307. Æt 18.*

DE COMMVNI SANCTORVM.

VIGILIA VNIVS APOSTOLI.

Anno 34. Martij 24. in cœnaculo.

Christus hortatur suos ad dilectionem proximi. Ioan. 15.

PVnct. I. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Consid. 1. Christum hîc iteratò inculcare Apostolis suis mutuam dilectionem, precepto inter cetera præcipuo & singulariter suo, quod si rectè servaverint, etiam reliqua servaturos, atque hujus dilectionis exemplum statuere seipsum, ut sicut ipse dilexit eos gratuitò nullis prævijs meritis, fortiter etiam mortem obeundo, sapienter culpam omnem vitando, purè nil nisi Dei gloriam & proximi salutem spectando: sic & ipsi diligant omnes etiam gentiles & inimicos, sed nominatim Apostolos inter se, ut sic conjuncti uberiorem fructum colligant animarum, & maneant adversùs omnia invicti. 2. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Exponit terminum perfectissimæ dilectionis, qua nō solùm nostra profundamus pro salute proximi, opes & honores, sed etiā nosipsos, vitam & sanguinem, idque ut ipsi suo exemplo etiam præstent.

Punct. II. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Cons. 1. Christum hîc requirere ab eis in signum & testimonium veræ dilectionis erga se observantiam suorum præceptorum, sed nominatum de hac dilectione mutua, sine qua amicitia secum stare non possit. 2. *Iam non dicam vos servos,* tum quia exemi vos à dura servitute legis veteris, tum quia non ex servili, sed filiali timore proceditis. *Vos autem dixi amicos.* In quo attende amicitiæ hujus excellentiam & effectus. Hieronymus: *Amicitia aut pares accipit, aut facit.* 3. Confirmat Christus dictum suum, *quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Cùm amicorum sint omnia communia, etiam animi arcana, ego vobis tanquam intimis & fidissimis amicis meis omnia quæ à Patre, ut legatus missus cognovi, spectantia salutem & munus vestrum, liberaliter communicavi.

Punct. III. Non vos me elegistis, in Dominum, Messiam, & Deum vestrum, *sed ego elegi vos,* viles, abjectos, & rudes in meos discipulos, Apostolos, & Orbis doctores. Cons. 1. Christum hîc exponere eis suam erga eos gratuitam dilectionem præ tot alijs, & disce cum S. Augustino electionem ad fidem esse gratuitum donum Dei, ac moneri eos, & nos in ipsis, ut sint in fide & dilectione constantes, ac considerantes celsitudinem dignitatis suæ, ne altum sapiant, sed satagant vocationi suæ strenuè & humiliter satisfacere. 2. *Et posui vos,* sicut agricola vites in vinea, non ut otiosi quiescatis, sed *ut eatis* per orbem universum, *& fructum afferatis* animarum. Utque in hoc eos ad fervorem excitet, addit & *ut fructus vester maneat*, non transeat sicut fructus & bona terrena; sed animæ illæ immortales ad Deum conversæ ipsi, ac vobis de impensa opera, laudem, ac gratiarum actionem persolvant tota æternitate.

Anno 33. Decemb. Ierosolymæ.

DE COMMVNI MARTYRIS. I.

Christus invitat ad sui sequelam. Luc. 13.

PVnct. I. Siquis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, &c. Adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Conſ. 1. Christum hîc invitare omnes ad Euangelicam perfectionem conſilijs ſuis comprehenſam, ac monere opus ad hoc eſſe, ut parentes ac carnis cognatione propinquos deſerant, & obſiſtentes velut odio dignos contemnant; licet enim parentes honorandi ſint, velut auctores vitę naturalis poſt Deum; ſi tamen divinę vocationi, & vitę ſuorum meliori in cælis adverſati fuerint, etiam odiendo & fugiendo illis adverſandum. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* (Matt. 10. 37.) 2. *Et animam ſuam*, vitam nempe temporalem etiam monet contemnendam ac morti objiciendam, ubi fides erit propugnanda, ut vitam conſequamur æternam, ſimiliter & pravis animæ concupiſcentijs, ubi quid ſuggeſſerint contrarium divinæ voluntati, adverſandum. 3. *Et qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Monet etiam mortem quantùmvis acerbam & ignominioſam, ac quævis incommoda exemplo ſuo libenter amplectenda, & conſtanter ſubeunda, ut & eum deinde ſic in cæleſtem gloriam ſequantur. (Gregor.) *Delectat mentem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum.*

Punct. II. Quis ex vobis volens turrim ædificare, non priùs ſedens computat ſumptus qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum? ne poſteaquàm poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Conſ. 1. Christum monere hoc exemplo non temere deligendum eſſe vitæ perfectioris ſtatum, ſed cautè, ac proinde priùs pertentandum robur animi & corporis, an par ſit ferendis laboribus & periculis ibi occurrentibus, ne ſi poſtea ſe debiliorem deprehenderit, cogatur vel cum ignominia recedere, vel cum damno ſuccumbere. 2. Monet officium eſſe viri religioſi & Eccleſiaſtici, ferventi & conſtanti ſtudio laborare in exſtruenda turri perfectionis, alta & magna, cujus fundamentum eſt fides & humilitas; parietes virtutes cardinales, tectum caritas erga Deum & proximum cum perſeverantia, ſumptus neceſſarij ſunt conatus noſter, & gratia Dei.

Punct. III. Aut quis rex iturus committere bellum adverſus alium regem, non ſedens priùs cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe? Conſ. Chriſtum hîc altero exemplo eam maturam deliberationem inculcare, & monere alterum munus eorum eſſe, ut bellum ſuſcipiant implacabile adverſus hoſtes ſalutis ſuę & perfectionis, Carnem, Mundum, & dæmonem, atque ubi vires animi & corporis coram Deo ſemel maturè probatæ fuerint, fervorem ſuum divinæ gratiæ confidenter jungendum. (1. Cor. 15. 10. Phil. 4. 13.) *Non ego, ſed gratia Dei mecum. Omnia poſſum in eo qui me confortat.*

Christus monet ferendam crucem. Matth. 16. Marc. 8. Luc. 9.

P*Unct. I. Siquis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Conf. 1. Christum hîc invitare omnes ad sui sequelam, seu doctrinæ suæ fidem & observantiam, nec requirere ad eam coactos, sed volentes, ut sacrificium eorum sit voluntarium, eosque monere necesse esse, ut quicumque is fuerit, *abneget semetipsum*, non tantùm sua, sed & se, proprium judicium, voluntatem, desideria, & affectus repugnantes divinæ voluntati, religiosos verò etiam repugnantes Christi consilijs; ita ut possit dicere: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* 2. *Et tollat crucem suam.* Admittat & ferat omnem molestiā, afflictionem, etiam ipsam mortem, quantùmvis acerbam & ignominiosam: *suam* sibi propriam, tanquam medicamentum morbo suo ac viribus à diuina manu attemperatum, per amicos, inimicos, æmulos. Idque *quotidie*, quia multorum diuturnę sunt afflictiones in hac vita, & una alterā excipit ad augmentum meritorum. 3. *Et sequatur me* cum hac sua cruce, exemplo meo, libenter, fortiter, & constanter, atque ita mecum adeat beatam immortalitatem & cœli gaudia. *Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis ab ea, nec ad dextram, nec ad sinistram.* Gal. 2. 20. Luc. Sup. Is. 30 21.

Punct. II. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Consid. 1. Christum hîc monere eum qui vitam temporalem voluerit conservare, sectando pravos affectus, & afflictiones malè declinando, incursurum mortem æternam & cruciatus inferni. 2. *Qui autem perdiderit animam suam propter me*, mortem temporalē oppetendo, ac pravos affectus mortificādo, non propter vanitates, ut Philosophi gentiles ac homines mundani martyres diaboli, nec propter crimina ut latrones, sed *propter me: inveniet eam* in cælesti gloria omnibus bonis cumulatam; unde collige aliud martyrium inferri à tyrannis, aliud inferendū à nobis per mortificationē affectuum.

Punct. III. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Conf. 1. Christum monere hîc frustra nos studere conquirendis opibus, honoribus, voluptatibus, scientijs, imò & animabus aliorum Deo lucrandis, si interim nostram perdamus, æternis ignibus cruciandam. Quare *omnia si perdis, animam servare memento.* 2. *Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Nullam; nam anima pretioso Christi sanguine redempta, semel divino judicio ad infernum damnata, nullo deinde pretio redimi poterit. 3. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.* Significat Christus se, licet à Iudęis agendum in crucem, tamen venturum suo tempore ad universale judicium orbis cum summa gloria ac majestate, & daturum tunc singulis mercedem, non scientiæ, sed operum. *Quæ seminaverit homo, hæc & metet. Gloria & honor omni operanti bonum. Pluet super peccatores laqueos. Momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternū gloriæ pondus operatur in nobis.* Gal. 6. 8. Ro. 2. 10. Ps. 10. 7. 2. Cor. 4. 17.

Christus hortatur suos ad ferenda adversa. Matth. 10.

PUnct. I. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.* Conf. 1. Duplicem hominibus in hac vita pacem obvenire, alteram veram & sanctam, quæ nos conciliat Deo, proximo, ac conscientiæ nostræ per observantiam divinæ voluntatis, ac deinde deducit ad perfectam pacem in cælesti beatitudine, & hanc Christus venit mittere in terram, omnes eò provocans & invitans, sed non nisi certamine obtinendam adversùs alteram pacem fallacem & perniciosam, quæ est cum mundo, carne, ac dæmone, Deoque adversatur, suosque deducit ad æternos cruciatus, quam Christus venit evertere generoso certamine & gladio mortificationis. 2. *Veni enim separare hominem adversùs Patrem suum.* Monet divisionem faciendam à parentibus & maximè charis, si hi cultum Dei impedierint. *Et inimici hominis domestici ejus*, nam per hos dæmon
Mich. 7. 6. nos conatur evertere, sicut olim Adamum per Evam. 3. *Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me, non est me dignus.* Non igitur vetat amare parentes, quod alias jubet, sed vetat amare eos plusquam Deum, doctrinā, præcepta & consilia sua, quibus secundùm ordinem caritatis cetera omnia postponenda sunt; quod qui non facit, dignus non est Christi consortio, promissis, & regno.

Punct. II. Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Conf. 1. Hîc moneri eos ut parati sint exemplo suo, & propter se etiam infamem mortem libenter & constanter subire, insuper opprobria, verbera, carceres, injurias, ac quævis adversa sibi à Deo destinata; quare ad ea etiam te excita. 2. *Qui invenit animam suam, perdet illam*: qui vitam suam temporalem subducendo adversis propter Deum obeundis intendit conservare, perdet ęternam, atque æterna morte cruciabitur: *Et qui perdiderit animam suam propter me*, propter fidem, doctrinam, & consilia mea, vitam exponendo, *inveniet eam* in cælesti gloria, numquā defecturam. *Visi sunt oculis insipien-*
Sap. 3. 2. *tium mori: illi autem sunt in pace.* Prudens est negotitatio, perdere peritura, ut lucreris æterna, per breves cruciatus tēdere ad gaudia sine fine duratura.

Punct. III. Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Conf. 1. Christum hîc omnes invitare ad Apostolos suos eorumque successores benignè excipiendos tanquam legatos divinę Majestatis, & tanquam se. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* 2. *Qui recipit Prophetam in nomine*
Ps. 138. 17. *Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*, & sic de quovis justo; nam sicut qui alieno peccato cooperatur, pariter plectitur; sic & qui virtuti, cum illo præmium accipiet secundùm mensuram benevolentiæ & caritatis. 3. *Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam.* Promittit etiam minimum beneficium suis propter se impensum remuneraturum se mercede cælestis glorię; ubi attende felicitatem tum discipulorum Christi ac vestigijs eorum insistentium, tum illorum qui ipsis benefaciunt.

Anno 32. Julio in Galilæa.

Christus instruit Apostolos prædicaturos; & monet non timendam mortem temporalem. Matt. 10.

PVnct. I. *Nihil est opertum, quod non revelabitur: & occultum, quod non scietur.* Consid. 1. Significari hìc à Christo, suorum innocentiam & tyrannorum sævitiam aliquando publicè manifestandam, cum horum castigatione & ignominia, atque illorum gloria. 2. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Hortatur eos ad generosum zelum, ut quæ à Christo privatim in Judæa & per mysteria audierunt, ipsi deinde palàm & apertè per totum orbem alios confidenter edoceant: atque ita doctrinam suam instar luminis solaris diffundendam, & ipsos velut cælestes nuncios excipiendos & audiendos.

Punct. II. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Consid. 1. Hortari hìc Christum suos, ut timorem mortis temporalis pellant timore mortis æternæ, sicut sensus doloris acerbioris leviorem opprimit; posse homines nocere tantùm corpori ac privare vita temporali, Deum verò posse corpus & animam plectere morte æterna: unde S. Chrysostomus: *Pueris similes sumus, qui larvas timent, ignem verò non timent.* 2. Disce hinc aliquando cogitatione descendere ex hac vita ad pœnas inferni, ut eas posteà evadas; nam rectè S. Chrysostomus: *Qui gehennam continuò timet, numquam in gehennæ ignem decidet.* 3. Peccatores in se crudeliùs sævire ipsis tyrannis; hos enim tantùm corpus impetere, illos verò perimere etiam animam morte æterna. Quare si *secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem* Rom. 8. 13. *spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Punct. III. Nónne duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadet super terram, sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Consid. 1. Christũ inculcare hìc suis, gubernari omnia divina providentia, cui non solùm graviora negotia ut Regibus, sed etiam minima curæ sint, magis tamen homines, atque ex his justi sui cultores, quod illis meritò solatiũ addit, & animi robur. 2. *Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.* Hortatur eos, ut securi acquiescant in sinu divinæ providentiæ, quidquid adversi obvenerit, cùm ipsi præstent vilissimis avibus, quas tamen ipse sedulò curat, quantò magis inquit *vos*, qui Dei providentiam creditis, & quotidie experimini, caussam ejus agitis, & cultum propagatis. 3. Concludit Christus: *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram me qui in cælis est.* Proponit præmium iis, qui se supremum Dominum ac Redemptorem libera confessione agnoverint, & ut talem coluerint, suamque doctrinam etiam veriti non fuerint sanguine firmare: quibus promittit se vicissim eos agniturum pro discipulis suis, & aureolæ Martyrij illustres summo honore & gloria excepturum.

Anno 34. Mart. 22. Jerosol. *Christus docet se suosq; instar grani mortui meliori vita donandos.* Ioan. 12.

P*Vnct. I. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum monet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Consid. 1. Christum instante tempore passionis suæ, se hic ad eam excitare tanquam sibi maximè gloriosam, & nobis omnibus salutarem, nosque etiam exemplo suo eôdem hortari, similitudine grani, quod sicut terræ mandatum, ibique destructum exsurgit cum amplo incremento, proferens plura grana sibi similia, ita & se licet malignitate Judæorum occidendum, surrecturum tamen deinde cum majori gloria, & uberrimo fructu fidelium. *Isa. 53. 10.* *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* 2. Consid. etiam tibi amplectendam mortem cum Christo, & mortificationem affectuum, ut sic aptiorem te reddas ad plures animas Christo lucrandas, & cum gloria assurgas ad horreum cæleste: sterilem verò fore te, & inglorium sine ea mortificatione.

Punct. II. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Consid. 1. Christum docere nos exemplo suo, etiam temporalem vitam pro sui amore libenter profundere; nam qui illam amat inordinatè, sic ut præponat illam divinæ fidei, ejusque pravas concupiscentias divinæ voluntati, perdet illam, & incurret mortem æternam: qui verò illam divinæ fidei & voluntati postponit, fruetur vita beata & æterna in cælesti gloria: unde monet S. Augustinus: *Noli amare vitam, ne perdas.* 2. Secundùm eumdem S. Augustinum etiam alio sensu hæc verba intelligi posse, nempe *si amas,* inquit, *vitam perdes,* per martyrium, & affectuum mortificationem, *si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo: si malè amaveris, tunc odisti; si benè oderis, tunc amasti.* Quare dum occasio tollitur martyrij, amplectere mortificationem quotidie offerendam.

Punct. III. Siquis mihi ministrat, me sequatur. Consid. 1. Christum monere, ut siquis instar fidelis servi, ac probi discipuli adhærere sibi velit, ut ambulet vias non pravi affectus, sed Christi; nec quærat quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. 2. Idipsum exprimit & fructum promittit: *Vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Erit in hac vita mecum in paupertate, castitate, obedientia, humilitate, & patientia, ac posteà erit mecum in cælesti gloria, in possessione & visione Dei, gaudio, & æterna felicitate, discipulus cum Magistro, servus cum Domino, filius adoptivus cum unico naturali. 3. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Qui se humiliaverit hîc propter me, posteà à Patre cælesti summo honore & gloria excipietur coram omnibus Sanctis, imò coram toto mundo in extremo judicij die. *Esth 6. 9.* *Sic honorabitur, quemcumque Rex voluerit honorare.* *1. Reg. 2. 30.* *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

DE

& Vigilia sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ.

Anno 34. Martij 24. in cœnaculo.

Christus sub parabola vitis & palmitum hortatur suos ad constantiam in fide sua & caritate. Ioan. 15.

PVnct. I. *Ego sum vitis vera.* Consid. 1. Christum hîc comparare se viti, ob fructuum, ita & donorum suorum abundantiam, præstantiam & suavitatem, atque amplitudinem palmitum, quibus fideles comparat, sibi per fidem insitos, succum omnem seu vitam gratię à se necessariò haurientes, ac perpetua indigentes cultura, ut fructum efferant bonorum operum; quod si neglexerint, privandos eos & auxilio suo, & cælesti gloria. 2. Palmites verò fructum ferentes, putandos ac purgandos, *ut fructum plus afferant.* Sic in Christo, inquit Bernardus, putata est gloria per ignominiam passionis, potentia per abjectionem, voluptas per dolores, divitiæ per paupertatem: ita & in nobis putandos affectus inordinatos per mortificationem, & purgandos ac maturandos per adversa, instar vitis ardore solis, pluvia, & ventis. 3. Purgatos quidem hîc dicit Christus suos per documenta illis tradita, sed constantiam requirit. *Manete in me*, inquit, per veram fidem, spem, & caritatem, *& ego in vobis* manebo per influxum gratiæ, auxilij, & solatij.

Punct. II. Ego sum vitis, vos palmites. Monet hîc Christus fideles tanquam palmites sibi ut viti debere constanter inhærere per fidem, spem, & caritatem, eoque hortatur 4. rationibus, 1. quia, inquit, *qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum* bonorum operum, quibus auget assiduè meritum gratiæ & gloriæ. 2. *Sine me nihil potestis facere*, dignum nempè vita æterna, adeoque nec ullum fructum seu opus meritorium. 3. Pœnam subjungit à se deficientibus, *Mittetur foras*, rejectus à favore, auxilio, & consortio meo, ac sanctorum in cælis, *& arescet*, non tantùm virore gratiæ in hac vita, sed & post hanc ceteris Dei donis privatus: *& colligent eum* dæmones, sic ut expedire se non possit, nec boni quidpiam pręstare, *& in ignem mittent* infernalem, ibi statim ac perpetuò arsurum. 4. Præmium promittit constantibus, nempè benignã & facilem in omni petitione exauditionem. *Si mãseritis in me & verba*, seu monita *mea in vobis mãserint* per observantiã, *quodcumq; volueritis* ad fructũ spiritualem uberiorem ferendũ, *petetis, & fiet vobis.*

Punct. III. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis. Christus novos hîc subdit stimulos ad constantiam in fide & bonis operibus, ac 1. à gloria cælestis Patris inde illustranda. 2. A gratitudine, quia *sicut dilexit me Pater*, eligendo naturam meam humanam præ aliis omnibus creaturis, sine meritis præviis eamque evehendo ad suam filiationem, ac mundi redemptionem, idq; per dura & aspera, sic *& ego dilexi vos.* 3. A solatio seu gaudio tam suo, quàm illorũ, *ut gaudiũ meum*, velut parentis ac Magistri, *in vobis sit*, seu de vobis, velut filiis ac discipulis præstantibus, atque ut vicissim *gaudium vestrum* impleatur.

Annò 34. Martij 22. in monte Olivarum.

DE COMMVNI MARTYRIS. VIII.

Christus rogatus à discipulis de tempore sui adventus, ejus signa prædicit.

Matt.24. Marc.13. Luc.21.

P*Vnct.I. Sedente Iesu super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?* Consid.1. Discipulos aliquos anhelantes ad gloriosum Christi adventum, curiosè hujus signa hîc ex ipso inquirere, ac simul destructionis urbis & orbis, quæ simul futura existimabant: quibus respondet Christus: *Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus; & multos seducent.* Quo monet eos, ut omisso curioso sciendi studio, tum ipsi, tum ceteri fideles soliciti sint, ne incuria sua in errorem seducantur. 2. Consid. hac monitione nos etiam doceri, ne nobis nimiùm confidamus, cùm noverimus ab initio mundi seductos & Angelos in cælo, & Adamum in paradiso, Davidem ac Salomonem, aliosque plurimos nobis & sanctiores & sapientiores, ac proinde circumspectè ambulandum in timore Domini.

Luc. sup. *Punct. II. Cùm audieritis prælia & seditiones, & opiniones præliorum,* seu rumores qui metu malorum sæpè magis animum affligunt quàm ipsa mala, *nolite terreri.* Consid.1. Christum prædicere iis mala eventura; nam, ut S. Gregorius, *minùs jacula feriunt, quæ prævidentur, & nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur.* 2. Mala illa distinctiùs enumerat: *Surget gens contra gentem, & regnum adversùs regnum, & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cælo, & signa magna erunt. Hæc autem omnia initia sunt dolorum.* Indicat finem unius mali fore principium gravioris, de quibus S. Gregorius: *Per crebra mala quæ præveniunt indicantur mala perpetua quæ subsequentur, & qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur.* 3. *Ante hæc omnia injicient vobis manus suas & persequentur tradentes in Synagogis & custodias, trahentes ad Reges & Præsides propter nomen meum,* sive nominis mei, fidei & doctrinæ professionem, quam tolerantia, & effuso sanguine testabimini.

Matt. sup.

Punct. III. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis; ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarij vestri. Consid.1. Post enumeratas aliquot afflictiones moneri eos, ne etiam anxiè soliciti sint ad refellendas hostium calumnias, dandam illis à se de cælo lucem & robur gratiæ, quo prudenter, & fortiter se in iis gerant. 2. *Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis,* addit augendum dolorem à consanguineis, sed pro solatio subdit hæc eos passuros propter se: *Eritis odio omnibus propter nomen meum,* ac fulcit eos spe resurrectionis: *Et capillus de capite vestro non peribit.* 3. Concludit Christus: *In patientia vestra possidebitis animas vestras,* hîc in pace, postea in gloria: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

DE

DE COMMVNI MARTYRVM. IX.

& Vigilia Omn Sanctorum.

Christus sanat infirmos in descensu montis, ac tradit documenta beatitudinis. Luc. 6.

Anno 32. Maio in monte Galilææ.

P*Vnct.I. Descendens cum illis, stetit in loco campestri, & omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Conf.1. Convenisse ad Christum in montis descensu multitudinem copiosam ab omnibus vicinis regionibus, *ut audirent eum & sanarentur à languoribus suis.* Vide tu qua aviditate ad Christum recurras, ut eum loquentem intus audias, ac sanitatem animi ab eo obtineas. 2. Vide quomodo & tu exemplo Christi possis alijs conferre sanitatem animi, eoque te per solidas virtutes aptum redde, talemque te præbe in conversatione, ut intelligant virtutem sibi salutarem à te exire.

Punct.II. Conf.1. S. Lucam 8. beatitudines à Christo propositas hîc ad 4. per compendium reducere, enarratis ijs quę judicio mundi homines maximè miseros & infelices reddunt, judicio verò Christi beatos; quę sunt pauperies, fames, luctus, & opprobria. Tu vide cujus judicium amplectaris. 2. Contineri hisce secundùm S. Ambrosium 4. virtutes cardinales omnibus observandas; in voluntaria paupertate justitiam, quę ab alienis abstinet, suis contenta; in fame temperantiam, in luctu prudentiam, quæ dictat brevem luctum cum æterno gaudio commutandum, & in opprobrijs fortitudinem. 3. Hortatur illos Christus ad hæc non tantum æquo, sed & lubenti animo ferenda. *Gaudete*, inquit, *& exultate in illa die: ecce enim merces vestra multa est in cælo.* Quare & hęc stimulū nobis debet subijcere ad dicta incōmoda Christi exēplo & amore fortiter ac libēter tolerāda.

Punct.III. Conf. Christum subijcere deinde væ æternæ damnationis ijs qui contraria his virtutibus vitia sectantur, ac 1. inquit: *Væ vobis divitibus*, qui animo divitijs affixi estis, & in ijs ponitis omnem felicitatem; *quia habetis consolationem vestram*, quod & diviti Epuloni seriùs dolenti exprobratum est. Luc.16,25. 2. *Væ vobis qui saturati estis*, indulgentes gulæ, *quorum Deus venter est*, unde vitiorum agmina producuntur, inquit Gregorius, *quia esurietis*, nec guttam aquæ cum Epulone obtinebitis, sed replebimini felle & absynthio. Phil. 3,19. 3. *Væ vobis, qui ridetis nunc* in illicitis voluptatibus, & omnem molestiam pro cælesti beatitudine obtinenda declinatis, *quia lugebitis & flebitis. Quantum glorificavit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Apoc.18,7. 4. *Væ, cum benedixerint vobis homines*, & eorum plausum ac laudes vobis mercedem & finem in actionibus statueritis, postpositâ divinâ gloriâ & animarum salute, ac proinde posteà saturandi opprobrijs, de quibus omnibus S. Hieronymus: *Impossibile est ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis, & hîc ventrem, & ibi mentem expleat, ut de delicijs transeat ad delicias, ut in utroque sæculo sit primus, ut in cælo & in terra appareat gloriosus.*

Anno 33. Octob. in Iudæa.

DE COMMVNI MARTYRVM. XI.

Christus deprædicat felicitatem discipulorum suorum, eoque omnes invitat. Matth. 11.

PVnct. I. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Conſ. 1. Ad capienda myſteria doctrinæ Chriſtianæ oſtendi hîc neceſſariam eſſe humilitatem, qua velut pueri Magiſtris creduli, Eccleſiæ documenta admittant, & in qua quò magis profecerint, eò altiùs illa poſſint penetrare: ſuperbos verò & arrogantes in illis velut noctuas in luce caligare. Quare tu gratias Deo age pro dono fidei, atque etiam altioris in ea gradus, tot alijs relictis in tenebris errorum, ac te in humilitate conſerva. 2. Annuit Chriſtus conſilio Patris cæleſtis: *Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te*: quare & tu, ſi Deo placuerit te in hac vita humiliare, admitte benigni Patris beneplacitum, & annue id tibi placere, quia illi placitum eſt, idque ad ſalutem tuam.

Punct. II. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Conſ. 1. Quomodo omnes cujuſvis nationis & conditionis invitet ad notitiam & amorem doctrinę ſuæ, ut veniant affectibus fidei, ſpei, & caritatis, quotquot laborant curis hujus ſæculi, & infirmitatibus corporis aut animi, quotquot onerati ſunt jugo legis veteris, & gravi ſarcina peccatorum, quibus omnibus promittit refectionem, quietem, ſolatia, & auxilia, ac poſteà æternam gloriam in cælis: quare confidenter ad eum in omni neceſſitate recurre. 2. Conſ. Cum S. Bernardo etiam invitari omnes ab hoſtibus capitalibus animæ noſtrę. *Clamat mundus: Venite ad me, & ego deficiam. Clamat caro: Venite ad me, & ego inficiam. Clamat diabolus: Venite ad me, & ego decipiam. Clamat Christus: Venite ad me, & ego reficiam*; & tamen plurimos neglectâ voce Chriſti ad ſalutem, recurrere ad illos in perpetuam animi & corporis perniciem.

Punct. III. Tollite jugum meum ſuper vos. Conſ. 1. Allici hîc omnes à Chriſto ad commutandum jugum grave legis veteris & peccatorum, cum jugo legis ſuæ: quo contineantur in via ſalutis, quod non atteret vires, ſed roborabit; non retardabit, ſed promovebit. 2. *Et diſcite à me*, atque uſu cognoſcite, me non eſſe auſterum & ſuperbum: diſcite nō vindicare injurias, & ſectari fumos honorum, ſed, propter quod docendum in terras deſcendi, *quia mitis ſum, & humilis corde.* Manſuetudinem requirit & humilitetem, pro obſervantia legis ſuę neceſſariam. 3. *Et invenietis requiem animabus veſtris*, quę in mundo inveniri non poteſt, ubi anima velut navis in mari perpetuis affectuum motibus agitatur; promittitur quidem illa, ſed non præſtatur. 4. *Iugum enim meū ſuave eſt, & onus meum leve.* De quo S. Bernardus: *Quantò benignior & dulcior eſt divina clementia homine, tantò etiā jugum ejus eſt ceteris ſuavius.* Quod patet & percipitur ex facilitate & paucitate pręceptorū, ex abūdātia gratiarū, ex quiete conſcientiæ, atq; ex ſpe certa vitæ æternę. DE

DE COMMVNI MARTYRVM. XIII.

Anno 33. Octob. in Iudæa.

Christus discipulos ad missionem abeuntes auctoritate instruit, & redeuntes felices prædicat. Luc. 10.

PUnct. I. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Conf. 1. Christum discipulis jam ad missionem abituris proponere excellentiam functionis suæ, eò quòd vadant legati sui, supremi Regis cælestis, ejusque personã repręsentantes: ac proinde ab omnibus benevolo, attento, & reverenti animo excipiendos & audiendos esse, sibi se reputaturum impensa ijs obsequia, atque etiam injurias & contemptum. Ubi attende dictum hîc ad discipulos spectare omnes eos, qui vel docendo, vel gubernando alijs præsunt, eisque parem obedientiam exhibendam. *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* 1. Reg. 8. 7.
2. Conf. Hinc vitę sanctitatem superioribus, & aliorum instructoribus necessariam, eò quòd sustineant personam Christi, cujus proinde virtutes, actiones, & mores exprimere debeant.

Punct. II. Reversi sunt autem 72. cum gaudio, dicentes: Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Conf. 1. Discipulos hîc docere nos ab opere nostro etiam ad Christum per orationem reverti, eique tribuere quidquid rectè à nobis actum existimamus. *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Eccl. 1. 7
2. *Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Significat Christus novam sibi non accidere hanc victoriam de dæmonibus, cùm & ipse in mundi principio eâdem potestate Luciferum cum omni superbo comitatu instar fulguris splendentem summa celeritate, impetu, & vi in abyssum inferni è cælo deturbaverit; quo monet & ipsos, & nos, ne in superbiam elati similiter cadamus. 3. *Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones.* Confirmat datam eis potestatem innoxiè superandi quævis venenata, quibus etiam dæmones significantur. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem: & supra omnem virtutem inimici,* potentiam hostium tam mundanorum quàm infernalium, *& nihil vobis nocebit. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Ps. 90. 13. 1. Pet. 3. 13.

Punct. III. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur: Gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. Conf. 1. Christum non vetare ijs absolutè gaudium de potestate in dæmones exercita, sed monere eos magis esse gaudendum de statu gratiæ, juxta quam accepturi essent cælestem beatitudinem, cum potestas illa detur etiam reprobis, hęc non nisi amicis Dei; illa sæpè superbiam generet, hæc verò humilitatem, gratiarum actionem, & studium boni operis. 2. Conf. Non gaudendum nobis de rebus vanis, terrenis, ac transitorijs. *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt;* Ps. 143. 15.
Sed de cælestibus ac æternis. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Ps. 121. 1.

Anno 33. Novemb. in Iudæa.

Christus monet cavendam fallaciam Pharisæorum, nec timendam mortem temporalem. Luc. 12.

PVnct. I. *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Consid. 1. Pharisæos hîc comparari à Christo fermento impuro, quod sicut intus latens massam panis inflat & inficit, ita illos interna vitia per hypocrisim tegentes, inflare animum superbia, atque alios etiam quibuscum versantur inficere. Hinc disce idem fieri à vana gloria, quę actiones nostras, quantùmvis in speciem bonas corrumpit; contra verò per humilitatem virtutes tegi & conservari. 2. *Nihil autem opertum est, quod non reveletur: neque absconditum, quod non sciatur; quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur, & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis.* Hinc collige omnia aliquando revelanda non tantùm in extremo judicij die, sed sæpè etiam in hac vita, nec opera tantùm, sed & dicta, & cogitata, tam mala quàm bona; illa, nisi emendata fuerint, ad opprobrium: hæc verò ad laudem & gloriam, ideoque stude omnia perfectè obire.

Punct. II. Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quod faciant. Cons. 1. Monere hîc Christum exemplo suo non timendam mortem temporalem ab hostibus inferendam, eò quòd sævitia eorum tãtùm ad corpus se possit extendere, anima remanente illæsâ: utque eò nos hortetur, *amicos* compellat, tum ut sciamus tormenta hæc esse signa divinæ amicitiæ, tum ut vicissim amorem nostrum excitet ad ea superanda. 2. *Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Monet timorem mortis temporalis inferendæ à tyrannis superandum timore gravioris mali; nempe mortis æternę quoad corpus & animam, infligendæ à Deo: quare cave Deum tantæ potẽtiæ ad iracundiã provocare. 3. Ostendit tyrannos etiam nihil posse sine nutu Dei, qui vilissimos etiam passeres & singulos capillos capitis nostri curat, & sævi maris impetus compescit: *Vsque huc venies & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos*; unde disce in Deo confidere. Iob. 38. 11.

Punct. III. Quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. Cons. 1. Promitti hîc à Christo præmium ijs qui libera confessione se Dominum ac redemptorem suum agnoverint, & ut talem coluerint, parati pro ejus doctrina etiã mortem oppetere; se proinde vicissim eos martyrij laurea coronatos summo honore & gloria excepturum in cælis: ubi attende eorum felicitatem, qui per brevem cruciatum transeunt ad æterna gaudia. 2. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* Terret horrore extremi supplicij eos, qui vel tormentorum metu, vel humano respectu à sui cultu defecerint: unde collige, qualem se quisque exhibuerit in hac vita erga Christum, talem se eum post hanc vitam erga nos exhibuturum.

DE

DE COMMVNI CONFESSORIS PONTIFICIS. I.

Anno 34. Martij [illegible] in monte Olivarum.

Christus parabola talentorũ hortatur suos ad cooperandum gratiæ. Matt. 15.

PVnct. I. *Homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua.* Consid. 1. Christum hîc comparare se mercatori largienti servis suis pecuniæ summam, aliis majorem, minorem aliis, pro cujusque capacitate, & beneplacito suo ad lucrum inde negotiatione conflandum: ita & se ac cælestem Patrem dare suis gratias varias animi, corporis, fortunarum, ut lucrum spirituale iis conquirant: in quo agnosce Dei in nos benevolentiam unicè spectantis profectum & salutem nostram. 2. Consid. ejusdem providentiam in ea gratiarum varietate variis distribuenda: de collatis tibi gratum te exhibe, & ad ampliora dona recipienda te dispone diligenti cooperatione.

Punct. II. Consid. 1. Sicut homo ille data suis pecunia, peregrè profectus dicitur, ita & Deum gratiæ usum nobis donatæ relinquere quasi absentem libero arbitrio nostro: quòd ut strenuè impendas, oculis fidei eum ubique præsentem, & actionum tuarum spectatorem constitue. 2. Sicut servi illi acceptis talentis alij rectè usi sunt, sed unus præ altero, alius verò *abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui*: ita & nos moneri de strenua cooperatione gratiæ, & incrementis meritorum studiosè augendis. 3. Servum inutilem posteà meritò severè punitum: quare & cave tu ne ex inertia, tædio, aut pusillanimitate exercitia virtutum subterfugias, vel, quod pejus est, acceptis donis malè utaris.

Punct. III. Post multum verò temporis venit dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis. Consid. 1. Ita & Deum venire privatim in morte cujusque; publicè verò venturum in extremo judicij die, & exacturum à singulis accuratam rationem de donis acceptis & impensis, ac pro meritis cuique mercedem redditurum. 2. Hîc magis urgeri homines Deo dicatos per altiorem statum, ut monet S. Gregorius: *Ne nos,* inquit, *qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi graviùs inde judicemur; cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.* 3. Operarium strenuum collaudat Dominus, & consortem assumit cælestis regni & gaudij: ubi Consid. quanto solatio futurum sit pro exiguis obsequiis fideliter præstitis assumi ex hac vita, quasi è carcere ad regnum. Sic S. Nicolaus Tolentinas in morte vidit & audivit Christum sibi dicentem: *Euge serve bone & fidelis &c.* cui ipse subjecit: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* 4. Quàm sapientes & felices sint, qui hanc negotiationem cælestem præ omni terrena certam, & maximè lucrosam strenuè ac constanter amplectuntur: quàm verò insipientes & infelices, qui Deo, erga servos fideles tam munifico, & erga infideles severo, desidiam reponunt? Quare *dum tempus habemus, operemur bonum.* Gal. 6. 10.

Anno 34. Martij 22. in monte Olivarum.

DE COMMVNI CONFESSORIS PONTIFICIS. II.

Christus monet vigilandum esse in expectatione sui adventus.

Matt. 24. Marc. 13. Luc. 21.

PVnct. I. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Consid. 1. Moneri hîc nos omnes, ut assiduè attento animo simus expectantes & parati ad sistendum nos & reddendam rationem Christo venturo, tam in judicio particulari in morte cujusq; quàm pro universali in die extremo. Vigilat autem, qui futura & æterna considerat, qui excussis tenebris torporis & negligentiæ, judicat seipsum, peccata deflet & confitetur, cavet relapsus, ac bonis operibus vacat in timore & spe. 2. Addit S. Marcus: *Et orate*, nempe ad obtinenda auxilia divina contra mala imminentia, ut ea vel evadere, vel illæsi excipere fortiter & cum gloria possimus. 3. Consid. voluisse Christum celare nos diem & horam adventus sui, ut *diei ignoratio intentam solicitudinem suspensæ expectationis exagitet.* Unde S. Antonius monebat suos: *Cogita mane te non visurum vesperam, & vesperi te non visurum mane.* Et S. Hieronymus: *Sic vive quasi quotidie moriturus, & sic stude tanquam semper victurus.*

Hilarius.

Punct. II. Illud autem scitote, quoniam si sciret pater-familiàs qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Consid. 1. Christum hîc, ut exstimulet nos, comparare se furi, qui incautum & inopinatum aggreditur, bonisque spoliat; ita & se venturum, dum minimè expectatur. *Veniam ad te tanquam fur*: spoliaturus nos non tantùm bonis omnibus terrenis, sed & vita ipsa nobis maximè chara: quare cavendum ab immoderata & anxia pro his solicitudine, quibus sumus aliquando certò privandi. 2. Ipsum prætereà, eos quos invenerit non vigilantes, sed per peccatum oppressos somno salutis, spoliaturum vita cælesti ac bonis omnibus supernaturalibus & ęternis, quę jactura erit gravissima & irrecuperabilis.

Apoc 3. 3.

Punct. III. Quis putas est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Consid. 1. Christum hîc se comparare domino, & nos servis, quo titulo nobis gloriandũ cum Propheta Regio: *Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ*: ab his requirere eum, sed potissimùm à viris Apostolicis, quibus alienæ salutis curam commisit, ut sint fideles & prudentes: *fideles*, ne fallant, ne in cibo verbi Dei administrando quærant gloriam, commodum, aut fructum propriũ, sed merè gloriam & honorem Domini sui, ac utilitatem proximi: *prudentes*, ne fallantur aliorum vitiis, iisque se accõmodent. 2. *Beatus ille servus, quem cùm venerit Dominus, invenerit sic facientem.* Laudat Christus vigilantem, fidelem, & prudentem, cum perseverantia, cui & mercedem addicit: *Super omnia bona sua constituet eum*; significans summam dignitatem & honorem, quem in cælo consequetur. *Ego dispono vobis regnum.*

Psal. 115. 16

Luc. 22. 29.

DE COMMVNI CONFESSORIS PONTIFICIS. III.

Anno 33. Novemb. in Judæa.

Christus docet puram intentionem in actionibus. Luc. 11.

PUnct. I. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio; sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.* Consid. 1. Christum hîc monere suos, ut lumen rationis & fidei, ceteraque talenta accepta rectè impendant, ne ea vitio ignaviæ aut pusillanimitatis quasi sub modio supprimant; de quo etiam S. Gregorius cavendum monet: *Ne nos, qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur ab auctore mundi, graviùs inde judicemur; cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.* 2. Consid. In iis spectare & intendere nos debere unam Dei gloriam ac salutem proximi, & collocanda illa esse in excelsa virtute, ac candelabro caritatis. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Dan. 12. 3.

Punct. II. *Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Consid. 1. Christum comparare intentionem in agendo, quæ quasi oculus mentis est, cum oculo corporis, qui *si fuerit simplex*, seu purus ab omni pravo humore, totum corpus, ejusque gressus ac functiones rectè diriget: ita & intentionem, si pura fuerit ab omni pravo affectu, & unum spectaverit Dei beneplacitum, omnes functiones inferioris appetitus etiam eò rectè directuram, easque meritorias fore gloriæ cælestis. 2. *Si autem nequam fuerit*, sive infectus humore pravo, *etiam corpus tuū tenebrosum erit*, impinget in tenebris, vacillabit gressus, & functiones aberrabunt: ita & si intentio affectu pravo inanis gloriæ, vel alterius vitij fuerit infecta, etiam actiones omnes à debito fine aberraturas, fore perversas ac demeritorias. 3. Si in oculo corporis non feramus etiam minimam festucam aut pulverem, æquum esse ut ab oculo mentis seu intentione etiam omnem pravum affectum excludamus.

Punct. III. *Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint.* Consid. 1. Cavendum proinde ne lumen rationis nobis donatum, in sua intentione pravis affectibus obscuretur, & inferiorem appetitum, quem regere deberet, destituat; nam sicut demerso gubernatore navis, capto duce in prælio, deficiente medico in civitate, pereunt ceteri inde opem & directionē expectantes; ita & intentione rationis perversa, omnes facultates, & functiones pervertendas. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Cujus oculos serò posteà in tenebris inferni aperient. *Ergo erravimus, & Sol justitiæ non est ortus nobis.* 2. Si verò appetitus inferior à rationali rectè dirigatur, actiones omnes fore conformes rationi ac legi divinæ, & remunerandas luce cælestis gloriæ. *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, non perdet mercedem suam.* Psal. 31. 9. Sap. 5. 6. Matt. 10. 42.

Anno 32. Maio in monte Galilææ.

Christus triplici similitudine solis, lucis, & civitatis in monte monet Apostolos officij sui. Matth. 5.

PUnct. I. *Vos estis sal terræ.* Consid. 1. Sicut sal originem trahens ex aqua marina, indeque seorsim collectus ac soli expositus concrescit, retinetque naturam igneam & aqueam: ita & Apostolos virosque Apostolicos à mundo quasi mari separatos, Christique veri Solis radiis expositos, novum spiritum concipere, igneum quo alios ad Dei amorem accendant, & aqueũ quo velut rore divini Verbi aridas mentes irrigent & fecundent. 2. Debere hos proinde exprimere spiritualiter proprietates salis, ut nemde sua sapientia (cujus sal symbolum est) alios à vitiis & erroribus expurgent, incorruptos conservent, Deo & Angelis & hominibus sapidos & gratos efficiant, sitim cælestium in animis eorum excitent, virtutes paupertatis, patientię, pœnitentiæ quasi insipidas suo & Christi exemplo proposito condiant. Atque hæc non uno tantùm loco, sed per terram universam. 3. Si sal deinde mari iterum immergatur, liquescit: ita & viri Apostolici mundo ac mundanis rebus immersi, etiam humanis laudibus, inquit Chrysostomus, citò evanescent. 4. *Quòd si autem sal evanuerit, in quo salietur?* Difficultatem significat Christus in ejusmodi viris, ubi lapsi fuerint & vigorem perdiderint, restaurandis & ad priorem sapientiam reducendis; talesque deinde meritò quasi lutum à ceteris conculcandos, & contemptibiles fore.

Punct. II. Vos estis lux mundi. Consid. 1. Sicut lux à sole oritur & continuò dependet; ita & virtutes Apostolorum à Christo, eique propterea adhærendum. 2. Oportere eos proinde instar lucis viam salutis aliis ostendere, mundi pericula ac fraudes detegere, mœstos solari, ægros spiritu roborare, ac dormientes excitare. 3. Debere eos non uno loco, sed per totum mundum lucere, sine discrimine aut acceptione personarum, pauperibus, rudibus, barbaris. Nec spe temporalis mercedis, sed *gratis accepistis, gratis date.* (Matt. 10. 8.) 4. Sicut lux integra & pura manet in luto & sordibus; ita & horum virtus & conversatio manere debet cum hominibus mundanis.

Punct. III. Consid. 1. Sicut *non potest civitas abscondi supra montem posita*, ita neque horum vita, quæ ratione publici muneris omnibus exposita & conspicua est; unde Apostolus: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*, (1. Cor. 4. 9.) ideoque vitæ sanctitate aliis hos præcellere oportet. 2. Loci celsitudo, inquit Augustinus, non superbiam debet parere, sed considerationem periculi, vigilantiam, & humilitatem; nam, ut Ambrosius ait, *ruina quæ de alto est, graviori casu colliditur.* 3. Si tales officio suo ritè funguntur, multos ad Christum trahent, sin secùs, multos avertent.

DE COMMVNI CONFESS. NON PONTIF. I.

Anno 23. Novemb. in Iudæa.

Christus monet vigilandum esse in expectatione sui adventus. Luc.12.

P*Unct.I. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Cons.1. Christum hîc monere nos de incertitudine vitę nostræ, proinde rectè nobis vivendum in expectatione adventus sui, exemplo servi expectantis nocte dominum à nuptijs, ut sic & ipse adveniens paratos nos inveniat, compressa in lumbis carnis ac terrenarum rerum concupiscentia; *Lumbos enim præcingimus cùm carnis luxuriam per cōtinentiam coarctamus*: & instructos fidei ac caritatis operibus; *Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cùm per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus.* Unde nata est pia Ecclesiæ consuetudo dandi fidelibus in agone cereos benedictos, ut ostendatur se Christo occurrere ardenti fide & caritate, eoque excitentur. 2. *Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Vigilat qui æterna ac cælestia considerat; dormit verò qui ijs neglectis, peccato ac terrenorum curis opprimitur: illis promittit Christus præmium cælestis gloriæ, ubi illos quasi in nuptiali convivio lautissimè, purissimè, & honoratissimè sit excepturus, ac recreaturus animam & corpus dulcissimis ferculis numquam consumendis; ideoque illis in morte meritò gaudendum, eoque anhelandum cum Bernardo: *Desidero te millies, mi Iesu quando venies?* & cum Paulo desiderante *dissolvi & esse cum Christo.* S. Greg. Phil. 1.23.

Punct.II. Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique. Cons.1. Christum hîc hortari nos ad vigilantiam altero exemplo patrisfamilias vigilantis adversus furem, qui illum si dormientem deprehenderit, divitijs multo tempore ac labore collectis spoliabit; ita & se, ubi nos in morte accedens deprehenderit oppressos somno salutis ac rerum æternarum, spoliaturum nos non tantùm congestis opibus ac temporali vita, sed & vita cælesti ac bonis æternis. *O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis! Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo cōprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.* 2. Proinde *estote parati*, instantes considerationi futurorum, & operibus bonis, *quia qua hora nō putatis, Filius hominis veniet.* Certò igitur veniet, sed incertum, qua hora: quæ ignoratur, ut præparationi & expectationi semper vacemus. Ideo *non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet hora illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Provocat ad vigilantiam primùm spe præmij, deinde verò timore damni, & acerbissimæ deprædationis. *Mors cùm venerit vincetur, si priusquam venerit, semper timeatur.* Eccli. 41.1. Eccli. 9.12. Eccl. 5.8. Gregor.

Christus hortatur discipulos ad paupertatem. Luc. 12.

PVnct. I. *Nolite timere pusillus grex.* Cons. 1. Christum hîc discipulos suos appellare pusillum gregem non tantùm in numero, facta comparatione cum majori numero reproborum, vel etiam angelorum, sed magis pusillum in oculis atque æstimatione hominum, quia in speciem viles, rudes, & abjectos, ac potissimùm in oculis suis per veram humilitatem, qua, ut ait Beda, Christus *Ecclesiam suam usque ad mundi finem vult crescere, & ad promissum regnum humilitate pervenire.* 2. Iubet eos esse securos depulso omni timore, sive à potentia hostium, sive à defectu temporalium, sed in paterna Dei providentia fiduciam collocare. *Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus: Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum.* 3. Subdit fundamentum fiduciæ: *Quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Cùm Patrem habeant cælestem maximè potentem, benignum, & liberalem, hunc, qui eis in suscepta fide, obedientia, & amore ejus perseverantibus daturus sit maxima in cælis, non denegaturum minima in terris; qui daturus sit necessaria ad vitam æternam, etiam daturum ad temporalem.

Ps. 17, 3.

Punct. II. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Cons. 1. Christum hortari eos pro Euangelica perfectione ad amplectendam exemplo suo voluntariam paupertatem, ut abdicent à se omnes opes terrenas, quia fluxas & corruptibiles, mentem obtenebrantes, & illecebras, ac fomenta peccatorum, atque ut illas erogent, non in consanguineos, aut propinquos, sed in pauperes; unde fiduciam suam in Deo roborent, qui sibi impensa reputat, quę in eos conferuntur. *Esurivi & dedistis mihi manducare. Et mihi fecistis.* Atque expectent ab eo, *centies tantum in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam*: quod à religiosis perfectissimè adimpletur. 2. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Docet eos opes suas recondere non in marsupijs deficientibus, ubi perire possunt, sed in sinu pauperum; unde transferuntur in thesaurum memoriæ Dei numquam defecturum: ut quæ hîc corruptioni & rapinis erant obnoxiæ, eò transmittant, ubi illas certò & cum amplissimo incremento sint inventuri; ad quos S. Chrysostomus: *Christus te ditare voluit, non nudare; voluit tibi manere tua, non perire; perpetuari, non vacuari, transferre, non perdere.*

Matt. 25, 35. Mar. 10, 30.

Punct. III. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Cons. 1. Christum significare hîc homines passim thesaurum suum maximi æstimare, corde voluere, & diligere; quare si thesaurus in terra sit, etiam cor hæsurum in terra; si in cęlo sit, etiam cor sive affectum eò transferendum. 2. Cons. Sicut homines hujus sęculi semper soliciti sunt, ac sine tædio strenuè laborant, ut thesauros suos hîc in terra conservent & augeant; ita & nobis esse agendum pro thesauro cęlesti.

DE

Anno 34. Martio Iericho.

DE COMMVNI CONFESS. NON PONTIF. III.

Christus parabola minarum hortatur suos ad cooperandum gratiæ. Luc. 19.

P*Unct.I. Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti.* Conf. 1. Homine hoc designari Christum, verè nobilem, non tantùm secundùm divinitatem, sed & humanitatem, qui abijt die Ascensionis suæ in regionem cælestem, accepturus ibi possessionem regni, ac reversurus extremo judicij die, ut regnum hoc electis suis communicet. 2. *Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio.* Valebat mna, sive mina quælibet argentea Florenis belgicis 60. aurea verò 600. quos singulis dicitur distribuere, ut ex eis industria & labore suo lucrum faciant: quo significat Christus velle se ut donis naturæ & gratiæ nobis collatis utamur ad salutem, & otium fugiamus, scientes vitam nostram debere esse studium negotiationis spiritualis, quam confer cum terrena, incerta, fallaci, laboriosa, & quæ suos in morte omnibus destituit, contrà verò spiritualem; ad quam te excita.

Punct.II. Et factum est ut rediret accepto regno: & jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. Conf. 1. Significari hìc Christum in extremo judicij die venturum cum potestate magna & gloria, exacturum à singulis rationem donorum acceptorum. 2. *Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.* Loquitur hic servus humiliter, tribuens cum Apostolo lucrum non sibi, sed gratiæ, à qua habet omne opus quod sit meritorium. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Et gratulatur ei Christus, pręmiũ conferens non exiguum, sed liberale, amplum, honorificum, & regium, significans per pręfecturam civitatum consortium regni & gloriæ cælestis. 3. Sic & alter lucratus quinque, etiam congruo pręmio donatur. Vbi Consid. gratiam Dei licet, parem, pro dispari tamen cooperatione voluntatis dispares fructus facere. *Gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.*

1 Cor. 3. 6.

1. Cor. 15 10

Punct. III. Et alter venit dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario. Conf. 1. Designari hìc hominem inertem, qui acceptis à Deo donis vel malè usus est, vel usus non est, sed ea velut sub otio torporis abscondit. *Dicit piger: Leo est in via.* Frustra hunc pręteχere vanum timorem, neque excusationes tunc ullas locum habituras. 2. Iubetur plecti & spoliari donis omnibus, alij verò strenui cooperatores ampliùs ditari: *Quia*, inquit Christus, *omni habenti dabitur & abundabit*; nam qui gratię cooperatur, nova accipit incremẽta gratiæ & gloriæ: *ab eo autem qui non habet*, (nam qui non utitur est ac si non haberet,) *& quod habet auferetur ab eo.*

Prov. 26. 13.

DE

Christus proponit præmium sectantibus vitam Apostolicam. Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.

PVnct. I. *Petrus dixit Iesu: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* Cons. 1. Petrum hîc occasione adolescentis divitis à Christo ad consilia sua sectanda frustrà invitati, confidenter suo sociorumque nomine loqui, non de quantitate rerum, quas ipse reliquerat, sed de amplitudine affectûs, quo ea quæcumque habuerat, vel sperare potuisset, reliquerat; unde S. Gregorius: *Multum reliquit qui sibi nihil retinuit, atque etiam habendi desideria reliquit.* 2. Cons. Prudenter relinqui voluntariè in hac vita cum merito ea, quę necessariò in morte sine merito aliquando relinquere oportet. *Fortis est ut mors dilectio.* Spoliat mors hominem omnibus, sed cum mœrore; ita & dilectio, sed cum gaudio. 3. *Et secuti sumus te*, sectantes tuum institutum, comitantes corpore, & animo imitantes virtutem. Sic religiosi omnes Christum sequuntur, dum superiorum suorum, quos Christus sibi substituit, jussis insistunt: *Qui vos audit, me audit.*

Cant. 8.6.

Luc. 10.16.

Punct. II. Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Cons. 1. Præmium hîc promissum Apostolis, & Apostolicam vitam sectantibus, illos nempe post labores vitæ hujus, donandos in universali judicio felicissima quiete corporis & animi æternùm duratura. 2. Quia etiam in hac vita ipsi ab alijs fuerunt contempti, & velut stulti habiti. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore*, tunc ipsos de aliis judicium laturos, non tantum *approbationis*, quod competet omnibus justis, neque etiam *auctoritatis*, quod competet soli Christo, sed *assessionis*, quo ipsi Christo proximi, ab eo interrogati de singulorum præmio ac supplicio, sententiam dicent: ad hanc gloriam tu etiam adspira.

Sap. 5. 4.

Punct. III. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, &c. Propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Cons. Christum hîc disertè omnibus consilia sua sectantibus mercedem promittere, non tantùm cęlestis beatitudinis post hanc vitam conferendæ, sed & *nunc in tempore hoc* centuplum eorum quæ in sęculo reliquerunt, idque non tantùm in bonis spiritualibus, interna consolatione, gaudio, & pace, quę, ut ait S. Hieronymus, *Comparatione & merito sui erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur*: sed etiam in corporalibus, cùm à superioribus suis, fratribus, alijsque fidelibus sæpè longè majorem amorem, curam, opem, solatium experiantur, quàm sperare in sæculo potuissent.

Mar. Sup.

DE COMMVNI VIRGINVM. I.

Anno 34. Martij 22. in monte Olivarum.

Christus monet esse vigilandum, parabola de 10. virginibus. Matt. 25.

PVnct. I. *Simile erit regnum cælorum decem Virginibus.* Conſ. 1. Chriſtum hîc monere nos, quod & aliàs ſępiùs, vigilandum eſſe in hac vita, exemplo virginum expectantium nocte ſponſum, quarum alię vigilantes, & lampadibus accenſis inſtructæ à ſponſo adveniente inducuntur ad convivium nuptiale, aliæ verò deſidioſæ excluduntur. 2. Conſ. Omnes fideles hîc comparari virginibus, non tantùm quod ſicut virginitas conſervat corpus à corruptione; ita & fides mentem ab errore; ſed ut ad virginitatis & caſtitatis amorem ac ſtudium omnes excitentur: quia autem ſola virginitas non profuit fatuis ſine accenſis lampadibus, ita nec fidelibus profuturam ſolam fidem, vel etiam caſtitatem ſine operibus bonis.

Punct. II. Moram autem faciente ſponſo dormitaverunt omnes, & dormierunt. Conſ. 1. Moram fieri ac temporis dilationem, ut juſti præmia ſua per bona opera adaugeant, peccatores verò ad pœnitentiam expectentur. S. Anſelmus: *Qui differt in futurum vitam corrigere, certum bonum dimittit pro incerto, & contemnendo quod perdit, oſtendit ſe non amare quod expectat.* Et Gregorius: *Qui pœnitentibus veniam ſpopondit, peccanti craſtinum non promiſit.* 2. Somno ægritudinem deſignari, qua quis ad mortem diſponitur, cujus ſomnus imago eſt; quare mortis memoriam revoca cùm te ad ſonnnum componis. 3. *Media nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obviàm ei.* Conſ. Cùm minimè cogitas, te ex hac vita evocandum; quare hanc vocem: *Ecce ſponſus venit*, tibi inſonantem frequenter attende: *Latet autem ultimus dies, ut obſerventur omnes dies*, inquit Auguſtinus.

Punct. III. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro; quia lampades noſtræ extinguuntur. Conſ. 1. Peccatores à morte quaſi ſomno experrectos ſerò cogitare de oleo bonorum operum, quæ in vita neglexerunt, & fruſtra tunc implorare opem aliorum, qui nec miſericordia flectuntur; nec juvare poſſunt. 2. Iuſtos cum gaudio occurſuros ſponſo, excipiendos ab eo complexu, & oſculis puriſſimi amoris, atque adhibendos delicijs menſæ cæleſtis. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* 3. *Et clauſa eſt ianua*, tum prudentibus ſive juſtis, qui numquam ab illa felicitate excidere poterunt, tum fatuis ſeu peccatoribus, quibus numquam patebit ingreſſus, objecto illis quaſi peſſulo inviolabili: *Neſcio vos.* Quare *ante obitum tuum operare juſtitiam, quia non eſt apud inferos invenire cibum.* Pulſandæ fores non poſtea, ſed in hac vita, nec nudis verbis, ſed operibus: *Quodcumque facere poteſt, manus tua, inſtanter operare. Gens abſque conſilio & ſine prudentia, utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent!* Concludit Chriſtus: *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.*

Pſal. 35. 9. Prov. 14 19. Eccl. 9. 10. Deut. 32. 29.

A.3°. Julio ad mare Galilææ.

DE VIRGINE ET MARTYRE, VIRGINE TANTUM, ET NON VIRGINE. II.

Parabolæ thesauri, Margaritæ, & sagenæ. Matt. 13.

PUnct. I. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.* Consid. 1. Christum comparare hîc doctrinam suam, ac nominatim consilia Euangelica cum thesauro pretioso, qui etiam omnium temporalium jactura sit comparandus, quod facit, inquit S. Gregorius, *qui voluptatibus carnis renuncians, cuncta sua terrena desideria per disciplinæ cælestis custodiam calcat, ut nihil jam quod caro blanditur libeat, nihil quod carnalem vitam trucidat, spiritus perhorrescat.* 2. Consid. Intelligi hoc thesauro etiam ipsum Christum, Ecclesiam, animam cujusque, & cælestem gloriam, quæ omnia cælesti ejus doctrina continentur. *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucri faciam.* (Phil. 3. 8.) 3. Consid. Paucos tamen huic thesauro conquirendo adlaborare, quia abscondito in agro hujus mundi, ita ut præstantia ejus plurimos lateat. Qui illũ invenit, dives est, licet non appareat, & sic religiosus divitias suas solus novit: *Pretiũ ejus nos sumus, da te Deo, & dabit tibi thesaurũ.* (Augusti.)

Punct. II. Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Consid. 1. Hîc priora comparari à Christo cum pretiosa margarita, etiam venditis omnibus coëmenda, non vitrea ac fallaci, *ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* (Ps. 4. 3.) sed vera & cælesti à Deo & Angelis probata. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam:* (Cant. 8. 7.) felices proinde qui fallacia & peritura cum veris & æternis, terrena cum cælestibus commutant. 2. Quia margarita auro includitur, etiam hanc includendam à nobis auro caritatis, gestandam in fronte per apertam professionem fidei, in moribus per observantiam legis & regularum, in collo & pectore per affectum pietatis, in manibus per exercitia bonorum operum, in vestibus denique per externam modestiam.

Punct. III. Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Consid. 1. Christum hîc ostendere doctrinæ suæ & Ecclesiæ amplitudinem, complectentis omnes gentes ac nationes, cujuscumque gradus, conditionis, ætatis, & sexus, tam bonos quam malos: sed in morte ac judicio seperationem faciendam, rejectis peccatoribus *de medio justorum in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium*, solos verò justos donandos cælesti gloria: hinc cave tibi abblandiri, eò quod sis in sagena Ecclesiæ aut religionis, si in ea non rectè vixeris. 2. Moneri Apostolos, virosque Apostolicos, ut sicut prudens pater familias *profert de thesauro suo nova & vetera*, ita & ipsi de doctrina Christi documenta depromant, singulorum statui & captui accomoda, & tam in veteri, quam in nova lege gratiæ fundata; quorum prudentem zelum etiam imitare.

DE COMMVNI VIRGINIS. III.

An. 33. December in Bethania ad Jord.

Christus ex indissulibilitate matrimonij commendat virginitatem.

Matt. 19. Marc. 10.

PVnct. I. *Accesserunt ad Iesum Pharisæi tentantes eum, & dicentes; si licet homini dimittere uxorem.* Consid. 1. Christum hîc docuisse eos primævam à Deo institutionem matrimonij, per quod conjuges relictis alienis consortiis, etiam parentum, perpetuo inter se amore junguntur, nam *propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*: unde infert: *quod ergo Deus conjunxit homo non separet.* Ubi attende hac indissulibilitate matrimonij præsignatam fuisse conjunctionem verbi æterni cum natura humana, & Christi cum Ecclesia, atque anima cujusque ex parte Christi, in quo ejus erga te dignationem ac benignitatem expende. 2. Consid. Nùm tu etiam alienis ac illicitis affectibus seriò renuncies, ut familiaritate Christi pleniùs ac suaviùs perfruaris, & quàm puro ac stabili amore illi adhæreas. Gen. 2. 24.

Punct. II. Consid. 1. Post expositum à Christo distinctiùs matrimonij vinculum, rectè intulisse ejus discipulos: *si ita est caussa hominis cum uxore non expedit nubere.* Ubi attende status illius miserias, incommoda, & curas; nam *qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est,* 1. Cor. 7. 33. affectu & curis; felicitatem verò eorum qui in castitate Deo deserviunt, *qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo,* de qua S. Isidorus: *Amanda est pulchritudo castitatis, cujus degustata delectatio, dulcior invenitur quam carnis: Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* 2. Expedire proinde, ut Eccli. 26. 20 breves carnis voluptates multis tribulationibus permixtas, æternis ac puris gaudiis permutemus.

Punct. III. Consid. 1. Responsum Christi ad illos: *non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est;* rationem verò cur non capiant, esse quòd animum ita impleant pravis affectibus, ut cogitationes castitatis non admittant; esse quidem illam donum Dei, *scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det;* sed paratum omnibus, qui se per orationem, mortificationem sensuum, & fugam periculorum eò deposuerint. Unde S. Augustinus propositis sibi virginum castris, ait: *Tu non poteris quod isti & istæ? an isti & istæ in semetipso possunt, & non in Domino Deo suo.* 2. *Sunt qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum.* Significat Christus abstinentiam ab actu & affectu luxuriæ esse in nostra potestate, sed non fieri sine dolore: sicut qui membrum putridum, ac corpori noxium ad eis bonum præscindit, quem dolorem tamen mitigat proposito præmio regni cælestis. 3. Concludit: *qui potest capere capiat,* quod S. Chrysostomus explicans ait: *qui vult capere,* significans non esse defectum nisi seriæ nostræ voluntatis. 4. Apostolus eam etiam quidem arduam sibi agnoscit: *datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus satanæ qui me colaphiset;* sed tamen ut possibilem, & animæ maximè salutarem exemplo suo aliis commendat: *Volo omnes vos esse, sicut meipsum. Beatior erit si sic permanserit.* Sap. 8. 21. 2. Cor. 2. 7. 1. Cor. 7. 7. 1. 40.

DE DEDICATIONE TEMPLI. I.

PVnct. I. Conf. 1. Qua solennitate, pompa & gaudio omnis populi dedicatum fuerit in lege veteri templum à Rege Salomone, potissimùm accedente divino promisso: *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco illo oraverit. Elegi enim & sanctificavi locum illum, ut sit nomen meum ibi sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Hinc collige longè certiora & ampliora beneficia expectanda à Deo in templis nostris, quorum illud erat figura & umbra. 2. Conf. Reverentiam pariter & fiduciam in templis excitandam, tum quòd Deus ibi peculiariter per consecrationē præsens sit, sed singulariter in Eucharistia, tum quòd animæ nostrę ibi per verbum Dei, preces, ac Sacramenta sanctificentur, tum quòd preces singulorum ibi ob plurium concursum magis exaudiantur, tum ob Angelorum præsentiam preces nostras divinæ Majestati offerentium. 3. Christum acrioribus verbis, atque etiam accepto flagello castigasse irreverentiam in templo illo veteri commissam, cùm vendentes & ementes inde ejecit, dicens: *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Et iterum: *Domus mea domus orationis est*: quantò magis castigationi obnoxij erunt, qui non tantùm indecentia, sed & illicita in templis sanctioribus committunt. *Quàm terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli.*

2. Par. 7. 15. — Ioan. 2. 16. — Luc. 19. 46. — Gen. 28. 17.

Punct. II. Conf. 1. Etiam nosipsos per sacramentum Baptismi, sed magis per vota religionis consecratos esse templa Deo, *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est?* Ideoque cavendum, ut monet S. Augustin. *Ne Dominus omnium inveniat in nobis, quod oculos suæ majestatis offendat, sed habitaculum cordis nostri evacuetur à vitijs, & virtutibus repleatur: claudatur diabolo, & aperiatur Christo.* 2. Sicut honor templis debitus consistit potissimùm in offerendis ibi sacrificijs & precibus, in munditie & ornatu pretiosæ supellectilis, in vitandis ibi actionibus indecentibus etiam aliàs licitis; ita & idem servandum in cultu animæ Deo dicatæ, de qua dic cum Davide: *Domine, dilexi decorem domus tuæ. Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.* 3. Quia structura hujus templi spiritualis perfecta esse non potest in hac vita, continuò in ea esse nobis adlaborandum; nam, ut ait S. Augustin. *Ædificatio habet laborem, dedicatio exultationem.* Et Ecclesia: *Scalpri salubris ictibus, & tunsione plurima, fabri polita malleo hanc saxa molem construunt.* Atque ita per tolerantiam, & affectuum mortificationem ad æterna gaudia perveniendum, ubi *structura muri est ex lapide Iaspide, ipsi verò civitas aurum mundum. Et Dominus omnipotens templum illius est.*

1. Cor. 3. 17. — Psal. 25. 8. — Psal. 92. 7. — Apoc. 21. 18. — Vers. 22.

Anno 34. Martio in Iericho.

Zacchæus Christum in domum suam excipit. Luc. 19.

P*Unct.I. Ecce vir nomine Zacchæus, & hic princeps erat publicanorum, & ipse dives, & quærebat videre Iesum, quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.* Conf. 1. Christum proficiscentem Ierusalem, in Iericho civitate proxima, frequenti turba se sequentium circumdatum, injecisse ibi etiam Zacchæo sui videndi desiderium, quantùmvis statura pusilla, sed potissimùm divitiarum pondere & spinis impedito. Disce hinc pios motus à Deo provenire, eisque promptè obtemperandum. 2. *Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus.* Conf. Iunxisse Zacchæum promptitudini fervorem ad Christum videndum. Tu accusa languorem tuum in recursu ad Christum, & disce non hærendum tibi in turba, sed affectu & per orationem transcendenda tibi esse terrena & humana, ac scandendam arborem fidei, ex qua cognoscas Christi misericordiam & justitiam, miracula & majestatem.

Punct. II. Et suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zacchæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Conf. 1. Aspectum Christi non fuisse otiosum, sed fructuosum, mentem ejus immutando; ideoque se non tantùm exhibere videndum ei, quod ille desideraverat, sed & hospitio fruendum offerre. Hinc disce Deum excedere desideria nostra, & quò hæc ardentiora sunt, eò magis ab ipso adimpleri. 2. Conf. Mansisse quidem Christum eo die in domo Zacchæi, ipsum omnesque domesticos ejus convertendo, sed insuper mansisse in domo animæ ejus tota vita reliqua, atque etiam æternitate: tu cave ne Christum umquam excludas. 3. *Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.* Imitare promptam obedientiam, quę meruit Salvatorem excipere, & ab eo salutem pro se suisque omnibus obtinere, atque attende quo gaudio Christum in Eucharistia excipias, de quo per fidem ampliora edoctus es.

Punct. III. Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Conf. 1. Zacchæum excitatum à Christo ad vivam fidem, pœnitentiam, & Euangelicam perfectionem, mox obsequentem offerre se, ac decernere non solùm perfectam justitiam, sed & amplam misericordiam in pauperes, sic ut relictis omnibus, Christi discipulis deinde aggregari meruerit. 2. *Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse sit filius Abrahæ*, ex posteris nempe ejus non tantùm secundùm carnem, sed & fidem; quare & promissam illi salutem consecutus constanter stabilivit, dum à S. Petro deinde ordinatus Episcopus Cæsareæ in Palæstina, eam martyrij palma illustravit. Disce vocationi tuæ etiam constanter inhærere. 3. *Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat.* Sicut excellentia medici elucet in curãdis morbis corporis maximè desperatis; ita & Christi in morbis animi; quare in eo fiduciam excita.

Anno 31. Martio in Bethania ad Iordanem.

Christus Nathanaëli aperit se esse Dominum Angelorum. Ioan.1.

P*Vnct.I.* Conf. 1. Christum, licet sciret Nathanaëlem de se ut cive Nazareno vilem habere existimationem, unde dixerat: *à Nazareth potest aliquid boni esse?* tamen non ideo offensum, benigniùs eum excepisse, & candorem ejus sine felle malitiæ laudasse: *Ecce,* inquit, *verè Israelita, in quo dolus non est*: idem & tu imitare, dum fortè contemneris, & scias eum verè esse Christianum, qui in columbina simplicitate caret fraude & dolo. 2. Nathanaëlem quamvis sincerum & probum, non assumptum tamen à Christo ad Apostolatum, eò quòd esset eruditus & legis doctor, quales Christus assumere non decreverat, sed rudes & *stulta mundi, ut confunderet sapientes.* 3. Adjutum interim ipsum doctrina sua ad Christum citiùs cognoscendū, ubi advertit eum cordis secreta & abdita sibi manifestantem, *cum esses sub ficu vidi te*: unde collige etiam vacandum tibi sedulò studijs doctrinę, qua Christum & cælestia faciliùs cognoscas.

1. Cor. 1.27.

Punct.II. Amen Amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis. Conf. 1. Christum post declaratam divinitatem suam Nathanaëli ex inspectione secretorum, eundem in fide incipientem pleniùs instruere, nempe se esse Dominum non solùm populi Israelitici aut omnium hominum, sed etiam Angelorum, à quibus exhibenda sibi asserit palam obsequia & cultum: ubi agnosce Christi benignitatem in juvandis incipientibus. 2. Insinuare hîc Christum Angelos hominibus reconciliandos, & reserato cœlo mutuam fore inter eos amicitiam ac familiaritatem: quare nunc sectare eorum vitæ puritatem, ut aliquando in cælis nobilissima & iucundissima eorum societate gaudere possis. 3. Eos de gloriæ suę stabilitate nunc securos, nihil magis expetere, quàm ut lapsorum ruïnæ per nos restaurentur, ideoque efficacia desideria eò accende.

Punct.III. Conf. 1. Ex ijs assignatos hominibus singulos præsides & custodes, qui eos tueantur contra dæmones & malorum incursus, & excitent ad omnem virtutem, deferant ad Deum preces nostras velut ascendendo, & ad nos ejus dona velut descendendo. 2. Expende illud Davidis: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis*, quibus, de quo, & quid mandaverit. 3. Hinc collige quid tam potenti, benigno, & prudenti custodi debeas, nempe reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, & fiduciam pro custodia, cave illo præsente quidquam facere quod coram Deo non auderes, invoca opem & auxilium ejus in omni afflictione corporali & spirituali, eumque tibi in omni loco familiarem adhibe, & consule velut cælestem pædagogum, in omni dubitatione & actione, in prosperis & adversis, in speciosis & abjectis, quid, & quomodo agendum aut omittendum.

Ps. 90.11.

SABBA-

SABBATO DE B. MARIA, POST PVRIF. ET PENT.

Anno 32. Iulio Caphernai.

Deipara palam beata prædicatur. Luc. 11.

PVnct. I. *Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Conf. 1. Insignem fortitudinem vulgaris & indoctæ mulieris de turba, quæ inter horrendas scribarum & Pharisæorum in Christum blasphemias, mirata ejus doctrinam & miracula, excluso illorum metu & humano respectu, gloriam Christi & Matris ejus palam elata voce tuetur, eligens potiùs cum Christo contemni, quàm consentiendo Phariseis ab ipsis honorari: Imitare & tu hanc in muliere generosam pietatem. 2. Conf. Illam à Spiritu sancto illuminatam fuisse ad agnoscendum Christum Messiam, & excitatam ad ejus laudes. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos.* Disce tu etiam injurias tibi illatas Deo committere, *& educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem.* Psal. 8.3. Ps. 36.6.

Punct. II. Conf. 1. B. Virginem hîc beatam prędicari propter Filium fontem omnis beatitudinis, longè potiori jure quàm Christus beatos prædicaret oculos Apostolorum: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*, eò quòd datum illi esset Christum non solum per annos 30. quotidie oculis intueri, colloquijs & conversatione ejus sub eodem tecto gaudere, sed & utero concipere, portare, ac lacte uberum potare, unde etiam ipsam seraphinorum superat beatitudinem. 2. Eam cum Christum utero portaret, licet infantem corpore, tamen *virum* mente sapientissimum, imò & immensum Deum, suum & omnium creatorem portasse, ac circumdedisse, ac proinde recte appellari; *Thalamum Dei. Templum Salomonis*, radians auro caritatis, *Thronum Dei eburneum*, puritate admirabilem, *Paradisum voluptatis*, qui protulit lignum vitæ, & *Vrnam mannæ cælestis*, quare & tu eam sæpius Angelica salutatione beatam compella, explendo ejus vaticinium: *Beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 10.23. Ier. 31.22. Psal. 18.6. 3. Reg. 6.22. 3. Reg. 10.18 Gen 2.9. Exod. 16 32. Luc. 1.48.

Punct. III. Quin imo beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Conf. 1. Gratissimam Christo accidisse hanc laudem Matris suæ, ideoque relictis alijs se ad mulierem illā convertisse, ejusque pietatem approbasse, atque à beatitudine Matris suæ propria ac singulari transire, & tradere ei alterā omnibus communem sitam in verbo Dei audiendo & custodiendo, ad quam consequendā te excita. 2. Custodiendum verbum Dei non solùm mente, sed potissimùm opere, *in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* 3. Deiparam præ omnibus beatam dicendam, non solùm quòd verbum divinum ventre conceperit, & uberibus nutrierit, sed etiam quod verba Dei super omnes corde optimo exceperit, & ad uberrimum fructum perduxerit, unde S. Augusti. *Beatior fuit quod Christum mente, quàm quod ventre conceperit.* Luc 8.15.

AD

Anno 34. Martij 24. in cœnaculo.

Christus in sermone ultimo post cœnam orat Patrem pro Apostolorum & fidelium omnium inter se, & cum ipso conjunctione. Ioan. 17.

PVnct. I. *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi; ut sint unum, sicut & nos.* Cons. I. Christum hîc orare cælestem Patrem, ut Apostolos ab ipso electos, & curę suæ commissos potentia sua velit protegere & conservare in mutua caritate, ut sicut ipse cum Patre & Spiritu sancto unum sunt naturę & voluntatis identitate, ita & ipsi inter se sint & maneant per mutuam caritatem & concordiam animorum. 2. *Quos dedisti mihi custodivi, & nemo ex ijs perijt, nisi filius perditionis.* Expende quomodo tu commissos curæ tuæ, imò omnem proximum exemplis potissimùm, tum oratione & instructione foveas ac promoveas in cultu Dei: & cave nequis ex eis culpa tua, ac tu potissimū annumereris filio perditionis, laxiores vias sectādo.

Punct. II. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo. Cons. I. Illud esse verum signum nos esse discipulos Christi, si ab alijs mundi amatoribus contemnamur, deprimamur, & affligamur; quod proinde nobis cum Christo debet esse solatio. 2. *Sanctifica eos in veritate.* Petit præterea Apostolis suis, non sapientiam Salomonis, non etiam umbratilem legis Mosaicæ, vel inanem Philosophorum veterum, sed vitæ sanctitatem, per Spiritum sanctum pleniùs communicandam, cum vera & perfecta cognitione doctrinę Euangelicę, sic ut verbo & exemplo sint Orbis doctores, sanctitatem suam quasi ignem divinum omnibus afflantes per labores, tribulationes, imò & ipsam mortem subeundam: unde & plures vitæ sanctitate, quàm prædicatione ad Christum converterunt. Hinc collige qualem esse oporteat virum Apostolicum. 3. Rationem Christus addit cur singulari vitæ sanctitate indigeant, quia nempe proximè per mundum mittendi sunt, ne illius illecebris capiantur, aut persecutionibus prosternantur, utque eum vitijs depravatum expurgent, & ad Deum sanctitatis fontem adjungant.

Punct. III. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me. Cons. I. Christum hîc etiam orare pro omnibus fidelibus umquam convertendis, velut omnium Patrem, Regem, & Pontificem, singulos, ac te nominatim, & singulorum necessitates sibi repræsentantem, quibus gratiam singulis propriam precatur. 2. Quid potissimùm ijs precetur, subjungit: *Vt omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Ut nempe omnes inter se sint unanimi pace & concordia conjuncti, velut membra unius corporis, ac cum Deo per fidem, spem & caritatem. 3. Expende signa hujus unionis cum Deo esse, si tu omnia ad Deum referas, & cum eo sæpiùs mente conjungaris, effectus esse illuminationem intellectus, inflammationem voluntatis, & complacentiam in voluntate divina.

IN

IN DIE COMMEMORATIONIS DEFUNCTOR. I.

Anno 32. Aprili Jerosol.

Christus inculcat Iudæis resurrectionem mortuorum. Ioan. 5.

P*Unct. I. Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei; & qui audierint, vivent.* Consid. 1. Christum hîc proponere Judæis universalem resurrectionem mortuorum à se faciendam, tanquam actum judiciariæ suæ potestatis, eamque proximè instare post elapsam legem naturæ & scriptam, in hac novissima lege gratiæ; nam & *mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit*: cujus universalis resurrectionis præludia, aliqua in privatis ad vitam revocandis proximè daturus sit: ubi adverte sicut Christo collata est potestas revocandi ad vitam corporalem, ita maximè ad spiritualem: quare vocem ejus ad te nunc clamantis, ut surgas è vitiis & torpore percipe, & amplectere oblatam vitam gratiæ. 2. Rationem addit collatæ potestatis; *quia Filius hominis est*, ut hoc judicium Dei de hominibus, ipse pro nobis homo factus humano ac visibili modo instituat, & qui se infra omnes homines demisit, ibi etiam supra Angelos omnes exaltetur: qui injustè ab omnibus, & cum magna humilitate judicatus est, omnes justè & cum magna potestate iudicet: sedeat Judex, qui stetit sub judice: damnet reos qui falsò factus est reus, palàm terribilis, qui fuit palàm contemptibilis. Ubi expende quanto honore Deus remuneretur opera humilitatis, & illustret innocentiam suppressam. Psal. 89. 4.

Punct. II. Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei. Consid. 1. Christum hîc idem repetere, & inculcare tanquam rationem efficacissimam ad seriam pœnitentiam, ac vitæ emendationem; nam *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* 2. Cum significet hoc judicium instituendum à se tanquam Dei Filio, ostendit illud fore justissimum, propter infinitam, quam cum æterno Patre habet sapientiam, potentiam, & justitiam, quoad humanam verò voluntatem, hanc cùm divina consentire: quare hæc expende, & stude nunc vitæ sanctitati, vitæ æternæ & gloriæ consequendæ. Eccli. 7. 40.

Punct. III. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicij. Consid. 1. Significari hîc comparituros omnes è sepulchris, nempe in valle Josaphat prope Jerosolymam: ubi *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*, subituros judicium discussionis, ut loquitur S. Augustinus, quo singulorum acta, dicta, cogitata, quomodo, quo fine, & quoties iterata discutientur. 2. Expende hîc tristissimam separationem impiorum à Deo & Sanctis omnibus, idque æternùm sine ulla spe reconciliationis, eò quòd tempus liberaliter & cùm summa benignitate concessum toties repudiarint: quare nunc ejus clementiam supplex implora; *Iuste Iudex ultionis, donum fac remissionis, ante diem rationis.* Ioel 3. 2. 2. Cor 5. 10.

Vide alteram de Purgat. 2. Novemb.

Anno 34. Martio in Bethania. *Christus Martham instruit de resurrectione mortuorum.* Ioan. 11.

PVnct. I. *Dixit Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hîc frater meus non fuisset mortuus.* Consid. 1. Martham tristitia afflictam ex morte fratris sui Lazari, Christo deinde advenienti occurrisse, ac dolenter simul & amanter cùm eo questam de ejus absentia: in quo ostendit imperfectionem fidei suæ, quasi corporalis Christi præsentia necessaria fuisset ad sanitatem conferendam; cum tamen ipse divinitate ubique esset præsens, & humanitate etiam omnia absens cognosceret, & posset: quare tu Christo confidenter in omni loco necessitates tuas expone. 2. Consid. Christum distulisse venire, ut rebus desperatis opem ferret; unde S. Augustinus: *Distulit sanare, ut posse resuscitare.* Sic finit sæpe crescere afflictiones, ut magis ostendat potentiam suam & benignitatem. 3. Subdit: *Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Consid. Martham hîc alternantes edere motus, naturæ & gratiæ, fidei & diffidentiæ, spei & desperationis de fratre resuscitando: unde & infirmitatem tuam agnosce, ac disce efficax esse patrocinium Christi apud Patrem.

Punct. II. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio & vita. Consid. 1. Christum hîc pleniùs instruere Martham de sua Divinitate, se esse caussam resurrectionis omnium mortuorum, & vitæ viventium. Ubi attende Christum caussam resurrectionis esse *meritoriam*, quia eam morte sua nobis prome-

1. Cor. 15. 22 ruit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Et efficien-

Ioan. 5. 28. *tem*, quia eam ipse pro universali judicio efficiet: *Omnes qui in monumento sunt, audient vocem Filij Dei.* Et *exemplarem*, quia ipsius resurrectio exemplar

Phil. 3. 21. erit justorum: *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Et *finalem*, quia hoc spectat ut justi in cælesti gloria sibi corpore & animo conformentur. 2. Consid. Christum esse caussam etiam vitæ omnium viventium, & naturalis, quam ipse singulis cum Patre donavit, & supernaturalis gratiæ ac gloriæ, quam omnibus morte sua promeruit: tu vide ut vitam gratiæ studiosè conserves, ac si perdideris, enitaris ad eam

Eph. 5. 14. quamprimùm resurgere. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

Punct. III. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum, sive morte æterna. Consid. 1. Promitti hîc à Christo justis, licet temporalem mortem obeant, ab ea tamen ad vitam gloriæ revocandos, omni gaudio & honore cumulatam. 2. Exigere Christum ad hoc à Martha exercitium firmæ fidei, à cujus soliditate & reliquæ virtutes, & salus nostra potissimùm dependet: quare cum illa dic exanimo: *Ego credidi*, & credo, *quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti*: ut doceres nos viam salutis, auxilia conferres, ac deinde dares singulis mercedem juxta opera sua.

PRO

PRO DEFVNCTIS III. IN ANNIVERSARIO DIE. Anno 33. Martio Caphernai.

Christus promittit justis resurrectionem ad vitam æternam. Ioan. 6.

PUnct. I. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Consid. 1. Christum hîc ostendere fidem esse donum Patris cælestis morte sua & obedientia omnibus promerendum: eoque instructos ad se accedentes gressibus affectus, cujuscumque nationis, conditionis, status, sexus, ætatis, omnes sibi fore gratos & charos, velut hereditatem sibi à Patre traditam olim promissam: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psal. 2. 8. Ubi attende felicitatem fidelium sub cura Christi, & infelicitatem infidelium, qui oblatum fidei donum rejiciunt. 2. *Quia de cælo descendi, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Exprimit rationem, cur fideles omnes tam benignè sit excepturus, eò quòd hæc sit voluntas Patris cælestis, ad quam implendam in terras descenderit: de quo & gratias illis age, & attende datum hîc nobis exemplum obedientiæ & zeli animarum.

Punct. II. Hæc est voluntas ejus qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo. Consid. 1. Christum hîc exponere voluntatem Patris cælestis, ut nempe fideles omnes ipse, tanquam Pastor oves sibi ab eo commissas, non sinat culpa sua perire, sed errantes quærat, omnes amplectatur, pascat, conservet, protegat, dirigat, ac deducat ad vitam æternam. 2. Addit ejusdem voluntatem esse, *ut eos resuscitet in novissimo die*, ad vitam immortalem, ut corpus quod in hac vita particeps fuit dolorum & molestiarum, etiam particeps deinde sit gaudij & gloriæ cælestis: hinc collige improbos resurrecturos quidem, sed non ad vitam, at morte perpetua in corpore & anima cruciandos, eò quòd vitæ hujus brevia & fugacia bona æternis proposuerint. *Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione.* Psal. 77. 33. *Cor durum malè habebit in novissimo.* Eccl. 3. 27.

Punct. III. Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt, seu cognoscit, *Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Consid. 1. Christum hîc iteratò declarare ardens desiderium Patris omnes salvandi per fidem, obedientiam, & caritatem: quare stude desiderio illi cooperari. 2. *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Promittit fidelibus suis, licet in hac vita tribulationibus & persecutionibus divexentur, se tamen deinde eos suscitaturum ad vitam immortalem: ubi *absterget omnem lacrymam ab oculis eorum.* Apoc. 21. 4. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent*; & dicent: Psal. 125. 3. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Psal. 93. 19. 3. Stude etiam animas defunctorum necdum plene purgatas eo promovere per pia opera & actus virtutum, sacrificia Missæ, sacram Communionem, orationes, jejunia, corporis afflictiones, & indulgentias; nam *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matt. 5. 7. *Memor esto judicij mei, sic enim erit & tuum, mihi heri, & tibi hodie.* Ezech. 38. 23.

Anno 33. Martio Caphernai. *Christus docet Eucharistiam liberare à morte æterna.* Ioan. 6.

PVnct. I. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi; siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Consid. 1. Christum hîc inculcare omnibus sumptionem Eucharistiæ à se instituendæ, quæ & vitam contineat divinam, fontem omnis vitæ, & conferat omnibus dignè sumentibus vitam æternam ac beatam in cælis, quam cum omnes super omnia concupiscant, ideo omnes ad panis hujus vivifici sumptionem hortatur. 2. *Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Declarat quis sit ille panis vivus, nempe *caro mea,* inquit, sive corpus & sanguis animæ ac divinitati unita, pro omnium salute offerenda semel in ara crucis, ac deinde quotidie usque ad mundi finem in Eucharistia sacrificio incruento. 3. Consid. Singularem in hoc Christi erga nos benignitatem; cum in alimentum vitæ nostræ spiritualis præbet nobis non mel aut lac, aut etiam manna, sed carnem suam & sanguinem, id quod nulli parentes faciunt; nam ut alimentũ congruum esset naturæ & generationi, quam nobis in baptismo regeneratis confert cælestem ac divinam, voluit & alimentum præbere ejusdem rationis.

Punct. II. Consid. 1. Judæis inter se adhuc dubitantibus ac litigantibus de hujus mysterij veritate, *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Christum graviter & constanter respondere: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* quo omnibus ætate maturis præcipit hujus carnis ac corporis sui in Eucharistia sumptionem, idque sub pœna mortis æternæ, privandos eos vita gratiæ & gloriæ, qui id culpa sua prætermiserint. 2. Hinc excita te ad libenter & frequenter utendum hoc cælesti pane, qui sicut corporalis necessarius est ad conservandam vitam corporis; ita & hic ad vitam animæ, ne in nos crudeles simus, fame ultro pereuntes, & animam occidentes. *Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* (Psal. 101. 5.) 3. Cave cùm Judæis dubitare de veritate & omnipotentia Christi circa hoc mysterium, quasi ipse non possit plura præstare quam nos intelligere. *Credere oportet accedentes ad Deum.* (Heb. 11. 6.) *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* (2. Cor. 10. 5.)

Punct. III. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Ubi Consid. 1. non solùm promitti vitam æternam dignè communicantibus, sed eo ipso jus, pignus, ac tesseram illis præstari, qua de ea consequenda certi reddantur. 2. Sicut, ut quis participet fructum cibi corporalis, necesse est, ut sumatur à vivente sano, & rectè disposito: ita & ad participandum fructum suum cibi spiritualis, necesse esse ut anima sit in statu gratiæ, & amoris fervore excitata.

FINIS PARTIS SECVNDÆ.

MEDITATIONUM
PARS III.

Sectio { I. In reliquam vitam Christi.
II. In passionem ejusdem.
III. In Excellentias B. Virginis.
IV. In functiones diei, & varias. }

MEDITATIONUM

PARS III.

Sectio { I. In reliquam vitam Christi.
II. In passionem ejusdem.
III. In Excellentias B. Virginis.
IV. In functiones diei, & varias. }

PRÆFATIO AD PARTIS III. SECTIONEM I:

In reliquam vitam Christi.



Vm vita ac doctrina Christi à quatuor Euangelistis tradita, norma sit omnium nostrarum virtutum & actionum, thesaurus omnium donorum cælestium, vita, robur, & lumen animæ nostræ: ne quid ex ea desideretur, post ea quæ Euangeliis per Dominicas & Festa comprehensis Parte I. & II. proposui, visum fuit ad complementum hîc reliqua collecta attexere, ut eam integram diversis anni diebus ad majorem animæ nostræ fructum, solatium, & salutem communicare nobis possimus, identidem aspicientes *Heb.12.2.*
in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, *ac dicentes cùm Apostolo:* Vivo ego, jam *Gal.2.20.*
non ego, vivit verò in me Christus.

Anno 32. Januar. in deserto Galilææ.

I. S. Ioannis vita in deserto, & prædicatio. Matt. 3. Marc. 1. Luc. 3.

PVnct. I. Consid. 1. Vitam S. Joannis à prima ætate actam in deserto singulari asperitate, inter assiduas orationes, sic ut vestimentum illi esset cilicium *de pilis camelorum*, illudque zona pellicea, seu cingulo coriaceo carni adstrictum, victus *locustæ*, vilissima animalia, & *mel sylvestre*, insipidum ex apibus sylvestribus, potus aqua, cubile dura humus: ubi attende si ipse in utero sanctificatus eam asperitatem assumpserit, quid nos facere oporteat tot vitiis obnoxios. 2. *Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem.* Consid. omnes circumquaque excitos fuisse ea vitæ austeritate & sanctimonia Joannis ad eum audiendum, atque illam fuisse ipsi pro auctoritate loco miraculorū: quare stude etiā ut vita tua doctrinę respōdeat, & quod doces verbo testeris exemplo.

Punct. II. Consid. 1. Eum post inculcatam omnibus pręparationem cordium per veram pœnitentiam ad Christum dignè excipiendum, convertere se ad superbos Pharisæos, & Sadducæos hæreticos, eosque acriùs increpare, quos sciebat non spiritu salutis impulsos, ut ceteros, sed maligno ad carpenda aliena, & ostentanda propria eò advenisse: ubi attende improbos cōmuniter misceri probis, & expende qua intentione verbū Dei audias. 2. *Progenies, genimina viperarum*, sic eos compellat, quia pessimorum parentum pessimos filios, qui velut viperæ foris speciosi appareant, intus verò pleni veneno vitiorum. *Quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?* Monet eos de falsa securitate à severa punitione supremi Judicis, quam non credebant Sadducæi, nec timebant Pharisæi, ex vana præsumptione allegantes: *Patrem habemus Abraham*, sed necesse esse ut faciant *fructus dignos pœnitentiæ*, opera nempe virtutum, quæ testentur animum verè pœnitentem: unde collige nec tibi profuturum nomen Christiani, aut religiosi, nisi & vita responderit. 3. Urget eos ab imminenti punitione, ne differant pœnitentiam; *jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur:* unde etiam tu cave differre vitæ emendationem.

Punct. III. Consid. 1. Plurimos de turba prædicatione Joannis permotos, seriò resipiscentes offerre se ad omnem emendationem, ac proinde eum interrogare: *Quid ergo faciemus?* Idem & tecum exquire, quid tibi ad salutem consequendam faciendum sit, & quæ vitia potissimùm emendanda. 2. Consid. eum benigniùs ad illos conversum apta singulis dare monita, & documenta virtutum: ita & stude te attemperare proximo ad
2. Cor. 9. 22 eorum salutem, ut cùm Apostolo fias *omnibus omnia.* 3. Consid. eum inter hæc seipsum solida humilitate deprimere, & extollere Christū, proximè adfuturum, qui efficaciori baptismo eos plenè purgaturus sit, ac deinde mundos *congregabit* velut *triticum in horreum* cæleste, peccatores verò velut *paleas comburet igni inextinguibili.*

II. Chri-

II. *Christus à Ioanne baptizatur.* Matt. 3. Marc. 1. Luc 3. Anno 31. Ian. 6. in Iord.

PUnct. I *Venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo.* Cons. 1. Cum Ioannes ad Iordanē coram frequenti populo prędicaret adventum Christi, ac baptizaret, eumq; sibi lōge præferret, Christum post exactam vitā privatam annis triginta cum matre, deinde publicam auspicaturum, venisse aspectu, incessu, & habitu humilem ad Ioannem, seq; ei in turba inter ceteros baptizandum obtulisse, & mox ab eo divina inspiratione agnitum fuisse: ubi attende & Christi humilitatem, & Ioannis gaudium, qui adhuc in utero matris ad eius præsentiam præ gaudio exilierat. 2. *Ioannes autem prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Consid. hîc certamen humilitatis inter Christum & Ioannem, quod & tu imitare apud alios, ac gaude in hoc vincere cum Christo, & vinci cum Ioanne: expende etiam cum hoc excellentiam Christi in S. Eucharistia: *& tu venis ad me?*

Punct. II. Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Consid. 1. Christum in hoc pio certamine auctoritate suâ prævaluisse, & voluisse à Ioanne baptizari; tum ut exemplo suo auctoritatem tribueret baptismo Ioannis, qui præparationis erat ad baptismum à se instituendum; tum, *ut, cùm ipse susciperet baptismum servi, nos non dedignaremur accipere baptismum Domini*, & ubi ille se subijcit inferiori, nos superiori ac pari libenter nos subderemus 2. Cons. additam & à Christo rationem: *sic enim decet nos implere omnem iustitiam*, ut nempe qui alios docere aggreditur studium perfectionis, priùs ipse exemplo præeat, & ab humilitatis exercitio incipiat, quo perfectio sanctitatis continetur. *August.*

Punct. III. Iesu baptizato & orante apertum est cælum. Consid. 1. Patrem cælestem voluisse hanc profundam filij sui humilitatem honorare publico & honorifico testimonio: atque inprimis per illustrem cæli hiatum, quo significaretur Christus de cælo, venisse, nobisq; illud proximè reseraturus, eoque proinde affectus & desideria nostra esse excitanda. 2. Per Spiritum sanctum in columbæ specie descendentē, ac super eo requiescentem, iuxta vaticinium: *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Est autem columba inter aves, sicut agnus inter animalia, mitis & innocens, atque insuper fecunda, qua Spiritus sancti, & Christi, imò & Christianorum, quales esse debeant, proprietates designantur. 3. Per vocem cælestem æterni Patris, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Hic* in speciem peccator & mortalis, *est filius meus*, mihi in natura divina consubstantialis, in humana unitus, præ omnibus singulariter *dilectus*, quia quæ placita sunt mihi, facit semper; *in quo* proinde *mihi complacui*, sic ut nihil in eo displiceat, imò & nullus mihi placeat aut placiturus sit, nisi per illum, & propter illum: tu sic vive, ut etiam in te, ac vita tua sibi Deus complaceat. *Luc. sup.* *Isa. 11. 2.*

PVnct. I. Consid. 1. Confluentibus multis ad Christum, ut ab eo baptizarentur, dæmonem pravâ æmulatione excitasse discipulos Ioannis, ut baptismum Christi apud eum invidiose traducerent: unde disce etiã opera tua quantumvis optimè acta, invidiæ exponenda, & à malignis traducenda, nec te in hoc esse Christo meliorem. 2. Ioannem non admittere, nec fovere suorum æmulatores & adulatores, sed prudenter ostendere Christum sibi esse præferendum. *Non potest*, inquit, *homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* Sibi competere solum munus præcursoris, neque amplius sibi à Deo datum, nec proinde assumere se plus posse sine superbia & ingratitudine: unde disce non ambire altiores gradus aut munia, neque aliis invidere, aut divinę electioni obmurmurare, non audire etiam susurrones & adulatores, sed acquiesce talento tibi à Deo dato, illudque stude bene impendere.

Punct. II. Qui habet sponsam, sponsus est. Consid. 1. Ioannem docere hîc Christum per Incarnationam sibi despondisse Ecclesiam, & animã cujusque fidelis; quare gratias humiliter Christo age ut cælesti sponso de anima tua sibi despõsata, & stude ei deferre omne obsequium, amorẽ, & cultum, sæpiùs cum illo agere, ac nominatim cave obligatam ei fidem peccando violare. 2. *Amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.* Vbi significat Ioannes se tantùm esse amicum & ministrum Christi, gaudere se proinde de ejus honore & conjunctione cum sponsa: unde collige & nobis gaudendum, dum multi ad Christum concurrunt, per quoscumque demum excitati & permoti cave: autem ne in functionibus tuis fideles magis tibi quam Christo concilies.

Punct. III. Illum oportet crescere, me autem minui. Consid. 1. studium Ioannis pro suâ depressione, & exaltatione Christi, ideoque significare hic honorem & existimationem Messiæ de se falsò conceptam deponendam esse: de Christo verò confirmandam ejus miraculis, celebritate prædicationis, ac deinde toto orbe per Apostolos, atque ita honorem Christi accreturum, suum verò decreturum. Vide & tu, ut Christus eiusque gloria crescat in anima tua & proximiorum per ejus perfectiorem cognitionem & amorem, tua verò gloria, ejusque appetitus hîc minuatur, ut postea maior sit in cœlo. 2. *Qui de terra est, de terra est, & terrena loquitur: qui de cælo venit, super omnes est.* Significat Ioannes eum, qui originem habet terrenã, etiam terrenam habere naturam ac terrena loqui; qui verò cælestem, cælestia; unde arguit discipulos suos, quod malint sibi docenti inferiora, ac præparatoria tantùm, potiùs quàm Christo tradenti cælestia adhærere. Attende hîc etiam seruis Dei & religiosis competere, ut de proprijs statui suo libenter loquantur & audiant.

IV. *Christus docet Capharnai in Synagogis & liberat ibi energumenum.* Marc. 1 Luc. 4.

Anno 31. Aprili Caphernai,

PVnct. I. Consid. 1. Christum ingressum Capharnaum civitatem Galilææ, statim ibi Sabbatis cœpisse publicè docere in Synagogis, *& stupebant super doctrina ejus; erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut scribæ.* Vbi attende materiam doctrinæ Christi non fuisse aliquas externas ceremonias, quas scribæ inculcabant, sed solidissima dogmata: neque explicuisse eum tantùm legem veterem, ut illi faciebant, sed & novam velut supremum legislatorem adiecisse; deinde attende docentis modum, cum ardore spiritus, libertate sermonis, sine ullo metu humano, & quæ docebat verbo, interiùs persuadebat intellectui, eoque voluntatem inclinabat, exterius verò cōprobabat vitæ suæ exemplo, & miraculis stabiliebat: Tu eum roga, ut & similiter te doceat addendo intus auxilia gratiæ pro doctrinæ executione. 2. Consid. Obire eum Galilæam prædicando, velut medicum quærentem ægros, atque in hoc formā tradere perfecti pastoris animarum; quare & tu zelum erga omnes ostende, doctrinam trade non vanam aut curiosam, sed animæ salutarem, & captui accommodatam cùm ardore spiritus, & quæ doces alios, stude etiam vitæ sanctioris exemplo comprobare.

Punct. II. Et erat in Synagoga homo habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magna dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Consid. 1. dæmones immundos appellari, eò quòd puritate gratiæ destituti, in sordibus peccatorum toti volutentur, iisque alios non tantum adspergere, sed & involuere pariter studeant. 2. *Quid nobis & tibi?* sive quid tibi nobiscum negotij, qui te non lacessimus, sed peccatores nobis peccati iure subiectos? Et tu similiter dæmonem tentantem à te reijce: *Quid mihi & tibi?* 3 *Venisti perdere nos.* significant perditionem suam, ac maximum malum esse, impediri in hominibus divexādis, & eijci ex eorum corporibus, sed magis animabus, atque unicum studium suum esse in omnibus affligendis. 4 *Scio qui sis, sanctus Dei;* ille nempe singulariter sanctus, & à Deo missus Messias ad homines sanctificandos, quod dicebant non scientes, sed conijcientes, ad tentandum & adulandum: disce hinc dæmonibus non credere, licet vera dicant, quæ non dicunt, nisi coacti subinde, vel ad fallendum.

Punct. III. Et comminatus est ei Iesus dicens: Obmutesce, & exi de homine. Consid. 1. Christum noluisse audire laudes à dæmone, ut doceret nos nihil habere cum eo commune, & adulationem fugere, quare in tentatione ei cum fortitudine similiter resiste, & Christi imperium implora. 2. *Et discerpens eum, & exclamans voce magna exiit ab eo,* contorquens membra cum strepitu & studens nocere quantùm posset: unde collige, eum quò vicinius est Dei auxilium, eò magis sævire, & cruciare maximè peccatores dum convertuntur.

Anno 32. Martio ad Mare Gal. *V. Tres parati Christum sequi, sed quia non ut oportebat, ab ipso reprehenduntur.* Marc. 8. Luc. 9.

P*Vnct. I. Magister, sequar te quòcumque ieris.* Consid. I. Scribam illum permotum concursu populi ad Christum ob curationes morborum, ac sperantem inde lucrum sibi aliquod ac commodum temporale, vltrò se offerre Christo in discipulum: sed hunc, perspecto eius pravo fine, rectiùs illum instruere & opponere suam paupertatem, propter quam non sublevandam, sed exercendam ad se accedendum sit, *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autē hominis non habet ubi caput reclinet*; quare expende hanc Christi paupertatem, eamque tibi imitandam propone, ut affectu à ceteris libero totus vaces Deo, ac proximo propter Deum, Gen. 15. 1. atque ab eius paterna providentia dependeas, qui erit *merces tua magna nimis*. 2. Consid. Christum spectare in obsequio suo intentionem cordis, quam hic habebat ad lucra & cōmoditates; tu tuam expende, num forte eò, vel ad honores tendat, ac pravam corrige. 3. Vocat se *filium hominis*, licet simul esset filius Dei, idque ad maiorem humilitatem, mansuetudinem, & charitatem.

Punct. II. Ait Christus ad alterum: sequere me, ille autem dixit: Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrē meum. Iesus autem ait illi. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade & annuncia regnum Dei. Consid. 1. Christum monere hîc non esse morā nectendam in exequenda voluntate Dei, maximè ubi periculum est recedendi ex affectu, vel remoris subnascētibus: unde S. Ambrosius: *Bonum studium, sed maius impedimentū, qui dividit curam, derivat affectum, & differt profectum.* 2. Vult Christus, ut mortui spiritu sepeliant mortuos carne, hic verò ut moriatur mundo, ac vivat Deo, & mortuos resuscitet in vitam gratiæ & gloriæ, quod longè nobilius est quàm sepelire cadavera. 3. Ostendit Christus se fore illi in patrem, & quidem perpetuum, atque altero meliorem, ab hoc accepisse illum vitam corporalem & temporalem, se verò daturum illi spiritualem & æternam; unde S. Augustinus: *Amandus est generator, sed præponendus est creator.*

Punct. III. Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renunciare his, qui domi sunt; Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Consid. 1. Monere hîc Christum, sicut arans debet ante se respicere, ut arando rectos ducat sulcos, ita & eum qui sē consecrat obsequio Dei, non posse respicere, ne fortè specie & affectu eorum quæ retro sunt, retineatur: vnde disce cavenda pericula & Gen. 19. 26. moras in sequenda Dei vocatione, ne cum uxore Loth retro respiciēte obdurescas. 2. Si hic à Christo arguitur, quantò magis ij qui sine caussa quærunt propinquos, quos in sæculo reliquerunt, visere, & sic affectum inordinatum erga eos fovere, quē Christus hîc in principio vocationis exscindere voluit; quare tu postpone humana divinis, carnalia spiritualibus temporalia æternis.

VI. Christus dæmones eiectos sinit ire in porcos. Matt 8 Mar. 5. Luc. 8.

Anno 32. Martio in regione Gerasenorum.

PVnct. I. *Cùm venisset Iesus transfretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.* Horum alter graviùs infestabatur, sicut nudus reiectis vestibus, & cōpedes & catenas quibus constringebatur, dirumperet, nec domari à quoquam posset, concidens se lapidibus. Ubi Consid. 1. imaginem hîc proponi peccatoris, qui nudatus veste gratiæ non permittitur quiescere in domo conscientiæ suæ, versatur in peccatis suis velut sepulchro, iis ipse se cædit, nec domari potest aut liberari nisi à Christo. 2. *Et clamaverūt dicentes: Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tēpus torquere nos?* Torturam appellant cessationem ab hominibus torquendis; tempus etiam vrgent, tum generale sibi à Deo hîc concessum vsque ad diem iudicij, sed restricta potentiâ per regnum Christi: tum particulare in puniēdis horum, quos obsidebant, peccatis. 3. *Interrogabat illum Iesus: Quod tibi nomen est? & dicit ei: Legio, quia multi sumus.* ultra sex millia, quibus legio constabat; unde collige malitiam dæmonum, tanto numero unum hominem invadentium: deinde ex nomine hoc militari disce eos hîc relinqui ad nos oppugnandos, & ut sic materiam nobis præbeant victoriæ & triumphi.

Punct. II. Erat autem ibi grex porcorum magnus pascens, & dæmones rogabant eum: Mitte nos in porcos. Ubi Consid. 1. infirmitatem dæmonum, nihil eos posse sine nutu Dei, sine quo si porcis nocere non possunt, minùs poterunt hominibus. *Et Iesus permisit illis,* ut ostenderet se habere in dæmones imperiū. 2. *Et impetu abijt grex per præceps in mare ad duo millia, & mortui sunt in aquis.* Hinc apparet dæmonum in illis multitudo & sævitia, eosque non minùs nocituros fuisse hominibus, nisi à Deo fuissent cohibiti, unde S. August. *Si posset aliquid diabolus, nemo nostrûm remaneret, tantum facit, quantum permittitur:* quare non tam illi, quàm Deus, sub cujus potestate sunt, timendus est. 3. Significari hic dæmones etiam dominari in peccatores, qui in voluptatum cœno nunc volutantur; postea præcipitandi in abyssum inferni.

Punct. III. Consi. 1. Pastores porcorum fugientes in villas & civitatem annunciasse omnibus, quæ acciderant. Qui exciti *rogaverunt eum, ut discederet de finibus eorum.* Vbi attende eorum miserandam cæcitatem, dum pluris æstimant opes terrenas, quàm salutem animæ, ideoque fontem omnis boni à se abigunt; nec vult etiam Christus adesse aut benefacere invitis, inquit Ambros. 2. Cons. liberatum à dæmoniis rogasse Christum, ut posset illi adhærere, sed non admissum, ne Pharisæis occasio esset calumniandi, at *vade,* inquit Christus, *in domum tuam ad tuos, & annuncia illis, quanta tibi Deus fecerit & misertus sit tui,* quod & fecit. Non ait Christus: quæ ego tibi feci, sed quæ Deus, ut doceat nos opera bona omnia Deo tribuere.

VII. Christus

Anno 31. Martio Caphernai.

VII. *Christus defendit discipulos suos reprehensos quòd non ieiunent,* Matth. 9. Marc 2. Luc. 5.

Luc. 5. 29. PVnct. I. *Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis dicentes: Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* Consid I. Hanc quæstionem seu potiùs accusationem suscitatam à Phariseis occasione convivij, quod Christo & discipulis Matthæus iam conversus exhibuerat, atque hinc eos Christum per discipulos criminari tanquam intẽperantem, urgendo, quare nos, & non tu? Nos quasi sancti & ex Deo, tu verò cum tuis peccator. Tu cave similes obtrectationes Pharisaicas, vel etiam dare alijs obtrectandi occasionem, memor interim opera tua etiam à malignis in malam partem interpretanda, & sæculares ab Ecclesiasticis maiorem perfectionem exigere. 2. Cons. Christum hîc suorum caussam suscipere, eamque triplici similitudine tueri, qua edoceat suos adhuc tirones & infirmos necdum gravandos ejusmodi austeritatibus, sed potiùs solatio favẽdos; quo deinde subtracto, quasi ablactatos, solido cibo mortificationis pascẽdos; ubi cognosce Christi paternã curã, magis solliciti de suis, quàm de se, quare calumnias de te illi cõmitte. *Revela*
Ps. 36. 5. *Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet, & educet quasi lumen iustitiã tuã.*

Punct. II. Et ait illis Iesus: Numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis
Ioan. 3. 29. *est sponsus?* Consid. 1. Christum hîc alludere ad dictum S. Ioannis, quo Christum ob desponsatam sibi Ecclesiam sponsum appellat, & sicut amicis spõsi non cõvenit luctus, ita nec cõvenire discipulis suis, sed hos potiùs humanis solatiis & honestis gaudiis ad tẽpus fovẽdos; unde collige hæc Christum etiam suis indulgere, sed vide vtaris ijs cum humilitate, & gratiarum actione tanquam ab eo cõcessis, & cùm eo manducans, &
2. Cor. 6. 4 ambulans, para te ad tempus desolationis. 2. *Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.* quod factum est post Christi mor-
1. Cor. 9. 27. tem, quam & luxerunt *in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus:* Et tu ad hanc vitam Apostolicam te dispone, dicens cum
1. Col. 24. Apostolo: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo. Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.*

Punct. III. Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus. Consid. 1. Christum hîc ostendere, sicut vesti detritæ incongruè assuitur pars nova, ita nec discipulis suis vetustate prioris vitæ & affectuum necdum exutis congruere novas austeritates, sed has differendas, dum Spiritu sancto renovati eas meliùs capiant, imò & ultrò sint appetituri tormenta & cruces: quare tu etiam infirmis compatere.
Rom. 14. 3 *Et qui non manducat, manducantem non iudicet. Neque mittunt vinum novum in vtres veteres, alioquin rumpuntur utres.* Vbi Cons. similiter comparari discipulos utribus, qui musti efferuescẽtis violentiam non capiant, sed in ea diffringantur, atque ita cavendum, ijs adhuc infirmis ne succumbant novis oneribus.

VIII. *Christus illuminat duos cæcos, & eijcit dæmonium mutum.* Matt. 9.

Anno 31. Martio Caphernai.

PUnct. I. *Transeunte Iesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes & dicentes: Miserere nostri Fili David.* Conf. 1. Hos cæcos fidem & spem recuperandi visum à Christo concepisse ex miraculis, quæ ab eo patrata audierant: tu verò quot in te miracula expertus es, & manes modicæ fidei. Agnoscunt miseriam suæ cæcitatis, pro qua tollenda misericordiam Christi implorant, quē credunt esse ex stirpe David, & Messiā, cui curationes illæ morborum per prophetas promissæ sunt: ubi adverte hos licet cæcos oculis corporis, tamen perspicaces fuisse oculis mentis, quibus corporeum visum impetrarunt: sic sanitas mentis sæpè caussa est sanitatis corporis, & contrà mentis ægritudo etiam caussa ægritudinis corporalis 2. Conf. Christum non statim tamen annuisse eorum precibus, sed domum interim reversum eos priùs interrogasse: *Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt Utiq; Domine: Tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis; & aperti sunt oculi eorum.* Unde collige dilatam hîc aliquantum à Christo curationem, ut fidem eorum magis accenderet, & sic etiam ad salutem nostram sæpè beneficia postulata differri. Tu Christum roga, ut tollat à te cæcitatem spiritualem, quæ miseria est longè gravissima, claudens oculos mentis, sic ut iudicet eligenda sibi esse terrena præ cœlestibus, transitoria præ æternis, humana præ divinis, atq; in particulari peccatum quodlibet præ Deo.

Punct. II. Et comminatus est illis Iesus dicens: Videte nequis sciat: Illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa. Consid. 1. Christum hîc vetare illis miraculi divulgationem, ut doceat nos cavere ostentationem, & tacere ea quę ad laudem nostram faciunt; nam *ostentatio illa*, inquit Chrysostomus, *nos hominibus odiosos, & Deo reddit abominales, tacendo verò gloriam apud Deum & homines consequemur. Si tu occultas, Deus manifestabit.* 2. Consid. Eos interim miraculum divulgasse ac Christi famam ubique diffudisse, ex affectu gratitudinis, persuadentes sibi Christum id vetuisse non obligando, sed ex modestia & humilitate, quam simul nobis suo exemplo commendatam volebat: quare & hanc imitare in Christo, & gratitudinem in illis.

Punct. III. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem, & eiecto dæmonio locutus est mutus. Ubi Consid. 1. propensam Christi benignitatem, qua hominem illum non petentem, sed solùm ad petitionem offerentium restituit sanitati, ut ubi major est calamitas, appareat vicinior esse Christi miseratio. 2. Consid. mutum spiritualiter à Christo curari, cùm linguam, quæ priùs tenebatur ligata, laxat ad peccata confitenda, conscientiam explicandam, ad Deum invocandum & laudandum.

Anno 32. Aprili Ierosol. IX. *Christus respondet ad calumnias Iudæorum de violato Sabbato.* Ioan. 5.

P*Vnct.I.Pater meus usque modo operatur,& ego operor.* Consid. 1. Christum hîc clarè asserere, prout etiam Iudæi intellexerunt, se esse filium æterni Patris, cum quo in principio mundum creaverit: ac licet inde dicatur quievisse Sabbato, non producendo novas rerum species, tamen se assiduè etiam sabbatis cum illo operatum atq; etiamnum operari in mundo conservando, gubernando, atque ad finem suum, nempe salutem nostram dirigendo: unde collige, si supremus Dominus tuus non cesset umquam ab opere pro salute tua, tuum etiā esse, excusso torpore & segnitie, numquam cessare ab ejus cultu & obsequio, atque omnibus actionibus tuis ad ejus unius gloriam dirigendis. 2. *Quærebant eum Iudæi interficere, quia non solùm solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum.* Ubi Cons. Iudæos odio & invidia excæcatos, avertisse oculos mentis ne manifestam ac salutarem veritatem, qua Christus se promissum iis in lege Messiā asserebat, agnoscerent, ideoq; esse inexcusabiles: Tu attende quoties etiam divinas inspirationes ad seriam emendationem vitiorum, & prosecutionem virtutum neglexeris ex pravis affectibus. 3. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Significat Christus se nihil facere nisi ex voluntate, consensu, & approbatione Patris cælestis, atque ad ejus exemplum: hinc stude etiam tu opera tua sic facere, ut sint secundùm Dei voluntatem, & ad ejus imitationem.

Gen. 2.3.

Punct.II.Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio. Consi. 1. Christum hîc timoris etiam stimulum incutere Iudæis à potestate iudiciaria sibi tamquam Regis primogenito à Patre commissa, quam solus ipse, non Pater, specie visibili, externo ritu, & verbali sententiâ prolatâ, exerciturus sit: quare & tu eum stude nunc tibi in S. Eucharistia conciliare humili cultu & affectibus Fidei, Spei, & Charitatis, ut faventem in sententia ferenda experiaris. 2. Rationem subdit collatæ potestatis, *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem,* tanquam eiusdem cum eo naturæ divinæ, in humana verò ejus legatum; & quoniam in hoc munere obeundo se exinaniverat, *formam servi accipiens,* postea à cælesti Patre exaltaretur, & ab omnibus etiam qui patientem contempserant, in gloria iudicis honoraretur.

Philip. 2. 6.

Punct.III. Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam. Consid. 1. Sicut priùs timore, ita & hîc spe æternæ vitæ consequendæ eos excitari à Christo, ut sibi atque æterno Patri de se testanti fide vivâ adhæreant, quâ doctrinam suam reverenter excipiant, & fideliter observent. 2. Sicut illis confertur jus ad vitam æternam, ita & incredulis ac refractariis decretam mortem æternam, quâ Deus fons vitæ illos æternùm deseret, & supplijcis millies morte gravioribus æternùm plectet.

X. Christus-

X. *Christus quatuor testimoniis confirmat se esse Messiam.* Ioan. 5. Anno 32. Aprili Ierosol.

PUnct. I. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum: Alius est qui testimoniū perhibet de me.* Consf. 1. Christum hîc Iudæos manifestè convincere incredulitatis suæ & pertinaciæ, quadruplici testimonio irrefragabili, atque ante omnia monere, nolle se allegare auctoritatem suam, aut dicere testimonium de se apud illos illegitimum & infirmum, quo docet nos etiam non iactare propria; nam laus in ore proprio sordescit, & de falsitate suspecta est: suum cuique pulchrum, quia omnes sui amantes. *Laudet te alienus, & non os tuum.* 2. Consid. Christum testem *alium*, cujus testimonium allegat, mox exprimere omni exceptione maiorem: *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me.* Quod fecit palam omnibus in baptismo, *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui*, ac tot manifestis miraculis, quasi certissimis sigillis, veritatem doctrinæ ejus comprobando. Tu etiam stude habere potiùs Deum approbatorem actionum tuarum, quàm homines. Proverb. 27. 2. Matt. 3. 17.

Punct. II. Vos misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati. Consid. 1. Christum significare illos ex Ioanne, quem omnes ut prophetam sanctum, & fide dignum habebant, ultrò exquisivisse ejus de se iudicium, atque idem ipsum respondisse, ac propterea ab illis repudiatum, cùm tamen id non gratiæ aut amicitiæ Christi tribueret, quem numquam viderat, sed nudæ *veritati.* 2. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* significat eum sicut præambulonem sibi lucem prætulisse, quam à Christo acceperat: *ardens* erat in se vitæ austeritate, & amore Dei ac Christi, *lucens* aliis exemplo sanctimoniæ & zelo liberæ prædicationis; unde disce etiam priùs ardere in te rectè vivendo, quam lucere aliis prædicando. *Tantum lucere vanum est, tantùm ardere parum, ardere & lucere perfectum*, ait Bernardus.

Punct. III. Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Hoc tertium est testimonium etiam infallibile; sicut enim ex fructibus cognoscitur arbor, & homo ex operibus, ita Christus ex suis, quæ præter vitæ sanctitatem, erant miracula illustria, & innumera, omnem humanam & Angelicam potentiam excedentia, quæ non ut alij prophetæ præviâ Dei invocatione, sed propriâ auctoritate & imperio palàm patrabat. Tu etiam sic vive, ut actiones tuæ externæ, & observantia disciplinæ palam testetur internas virtutes, & studium perfectionis.

Punct. IV. Scrutamini scripturas, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Hoc quartum est testimonium Scripturæ sacræ, cujus non superficialem lectionem, sed sedulam investigationem requirit, ut velut in aurifodinis latentes in ea de divinis rebus & Messia thesauros ac pretiosos affectus effodiant: nam divina profunda sunt & diligentiam requirunt: Ita & tu diligenter expende sensus Scripturæ sacræ, eorumque affectibus animum pasce.

Anno 32. Aprilis 23. in itinere in Gal.

XI. *Christus discipulos esurientes, confricantes Sabbato spicas defendit contra Pharisæos.* Matth. 12. Marc. 2. Luc. 6.

PUnct. I. *Abiit Iesus per sata sabbato: discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, & manducabant confricantes manibus.* Consf. I. Christum hîc à Iudęa revertentem in Galilęam itinere pedestri cum discipulis, sensim assuescere eos laboribus posteà obeundis, ac temperantiæ in cibo, vnde hîc in itinere esuriebant, ut doceat fugiendum cibum immoderatum ijs qui volunt esse discipuli tanti Magistri. *Modicus cibus & temperatus, & carni & animæ vtilis est,* inquit Hieronymus. 2. *Pharisæi autem videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbato.* Consf. id quod faciebant discipuli exprefsè permissum fuisse, modo falce segetes non demeterent, sed captare illos malignè occasionem traducēdi eos quasi ex sabbato violato: hinc & tu animum præpara ad similes obtrectationes, dum Christum sequeris, sed neminem tibi nociturum, dum illum habueris defensorem.

Deut. 25. 25.

1. Reg. 21.

Punct. II. Consid. 1. Christum defendere discipulos suos exemplo Davidis, qui famepressus cum suis comedit in templo panes sacros, licitos aliàs comedere solis sacerdotibus; sed sicut illum excusavit necessitas, ita & hos discipulos: 2. Ait *quia Sabbato sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt. Dico autem vobis quia templo maior est hîc,* sive hoc loco: ubi Consf. sacerdotibus licitum fuisse sabbatis obire opera servilia in victimis parandis, quæ si illos excusaverint eò quòd cederent templo, quantò magis ea quæ cedunt ministerio filij Dei, Domino templi, dum se pascunt ut illi assistant: sic tribue etiā verba illa Christo in Eucharistia: *Quia templo maior est hîc.* 3. Subdit: *Si sciretis quid est: misericordiam volo, & non sacrificium, numquam condemnassetis innocentes.* Quo arguit eos inhumanitatis, & monet, si hęc verba Scripturę sacræ rectè expendissent, eos potiùs misericordia commovendos fuisse ad pascendos famelicos: hanc & tu exerce ubi potes, operibus spiritualibus æque ac corporalibus.

Punct. III. Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. Consf. hîc tertiam rationem à Christo pro suorum defensione allegatam, nempè finē legis in eis locum non habuisse, qui est ut homo corpus fatigatum labore 6. dierum quiete sabbati reficiat & mentem applicet ad ea quæ sunt salutis ac quietis æternæ, considerando Dei beneficia, gratias agendo, voluntatem ejus exquirendo & observando.

Punct. IV. Dominus est Filius hominis etiam sabbathi. Hæc quarta est ratio, qua significat se festa omnia & eorum cultum habere in suâ potestate, tanquam supremum omnium Dominum, ac proinde posse se in eorum observantiis dispensare, & post labores hujus vitæ, ut par est, susceptos se collaturum nobis perpetuum Sabbatum in cœlo, ubi erit quies gratissima. 2. Consf. Iustos in hac vita etiam habere perpetuum sabbatum, seu quietem mentis, non fatigatæ desideriis aut affectibus terrenis, malos verò nec hîc nec postea quiete frui.

XII Christus

XII. *Christus manum aridam sanat, & plures morbos.* Matt.12. Marc. 3. Luc 6.

Anno 30. April 30. in Galilæa.

P*Unct. I. Venit Iesus alio sabbato in Synagogam, & erat ibi homo habens manum aridam, & observabant eum Scribæ & Pharisæi, si in Sabbato curaret, ut invenirent unde accusarent eum, & interrogabant eum dicentes: Si licet sabbatis curare.* Consid. 1. Hos malignè Christum interrogare, ejusque actiones observare atque unde mel debuissent sugere, venenum quærere, & unde aurum, inde lapides eruere: Tu Christum ejusque actiones observa, ut inde tuum erga eum amorem accendas, easque imiteris 2. Probat exemplo ovis sabbato in foveam lapsæ, etiam hominem tunc ex infirmitate sublevandum. *Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini: extende manum tuam, & extendit, & restituta est sanitati sicut altera.* Disce hic à Christo zelum erga peccatores sic moderari, ut irascaris eorum peccatis, & peccantibus condoleas. 3. Consid. cum Beda Adamum manum humani generis carpendo pomum vetitum arefecisse, seu privasse facultate boni operis, sed Christum eam nobis restituisse, extendendo manus suas, pro nobis in cruce: iterum verò nos illam aridam reddere, cùm non extendimus ad Deum per orationem, nec ad proximum per misericordiam, nec ad nos ipsos per opera bona, quibus merita & præmia in cœlis accumulemus.

Punct. II. Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent. Vbi Consid. 1. hanc primam fuisse conspirationem in necem Christi, & ubi de eo velut Messia suo reverenter excipiendo agere debuissent, agere de eo perdendo. 2. *Iesus autem cum discipulis suis sciens, recessit inde*, ut doceret nos contentiones modestè declinare, & cedere etiam inferioribus. 3. *Et secuta est eum turba multa* ex regionibus omnibus circumquaque, *ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent, quotquot habebant plagas, & curavit eos omnes.* Tu etiam illum cum fide & humilitate accede, ut sanitatem perfectam obtineas.

Punct. III. Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Ecce puer meus, quem elegi; dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Non contendet neque clamabit. Vbi Consid. 1. proponi nobis & commendari Christi modestiam & mansuetudinem, tum in agendo, tum in docendo. 2. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Quo gemino proverbio significatur eum infirmos spiritu non oppressurum potentiâ suâ aut iustitiâ, sed mansuetudine & clementia roboraturum. Vbi attende peccatores esse velut arundinem quassatam, materiam aptam ad ignem infernalem, & linum amisso lumine gratiæ, sed malle Christum eos reficere, quàm perdere, & expende quàm clementer tecum egerit, atque ita fac etiam cum aliis.

Anno 32. Matio in monte Galilææ.

XIII. Christus exponit præcepta de adulterio, iuramento, & dilectione proximi. Matt. 5. Luc. 6.

PVnct. I. Consid. 1. Christum docere hîc peccari adversus præcepta decalogi non solùm actu externo, sed potissimùm interno: & hinc sicut adversus præceptum 5. *Non occides*, peccatur etiam verbis, & affectibus iracundiæ, ita & adversus 6. *Non mœchaberis*, peccari etiam affectu pravæ concupiscentiæ, & consequenter delectatione ac cogitatione, atque hæc omnia à Deo cordium scrutatore punienda, ac proinde cavenda maximè iis, qui per votum castitatis Deo consecrati sunt, & quàm citissimè in primo exortu velut anguem aut ignẽ è sinu excutienda. 2. Monet occasiones etiã hujus vitij, atq; idẽ est de ceteris, omni studio cavendas: ut fit in rebus corporalibus, *si oculus tuus scandalizat te, erue eũ & projice abs te.* etiã manũ & pedẽ, ac quævis membra, quantùmvis chara & necessaria, si tamen inde corpori periculum creetur, esse resecanda, licet cum gravi doloris sensu: ita & peccandi occasiones noxias animæ, ut sunt consortia, colloquia, contactus, aspectus, etiam cum incommodo, penitus & promptè resecanda. *Qui amat periculum, peribit in eo. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Ascendit mors per fenestras*, seu sensus; *oculus meus deprædatus est animam meam.*

Eccle. 3. 17.
Eccli 13. 1.
Ierem. 9. 21.
Thren. 3. 51.

Punct. II. Consid. Præcepto secundo de iuramento, ex doctrina Christi, non vetari tantùm iuramentum per Deum, sed etiam per creaturas, quia Deo subiectas, quarum dominium tunc nobis iniquè arrogamus: neq; etiã tam vetari tantùm si subsit falsum, sed etiam si verum, adeoque illicitum, nisi hæc tria simul concurrant: *in veritate*, cùm res vera est: *in iustitia*, cùm licita: *& in iudicio*, cùm necessaria vel utilis ad bonum nostrum vel proximi. 2. *Sit autem sermo vester: est, est: non, non.* id quod congruit simplicitati Christianæ, ac magis religiosæ, quorum vita conferre debet pondus iuramenti. *Quod autem his abundantius est, à malo est*, nempè diabolo mali omnis auctore; unde collige cavendas etiam omnes immodicas exaggerationes, potissimùm in defectibus aliorum referendis.

Ier. 4. 2.

Punct. III. Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente: ego autem dico vobis, non resistere malo. Vbi Consid. 1. Christum docere hîc legem illam talionis spectare Iudices, non verò subditos, nec proinde privatâ auctoritate iniurias ulciscendas. *Melior est uncia pacis, quàm libra victoriæ*, ait Bellarminus, & Chrysostomus: *Non extinguitur ignis igne, sed aquâ; sic iniuria mansuetudine, humilitate, & beneficiis.* 2. *Sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram*, nempe *in præparatione animi*, ut ait S. Augustinus, sic ut paratus sis potiùs quasvis iniurias etiam repetitas perferre, quàm vel iniquè vindicare, quod præcepti est, vel etiam defensione repellere, quod consilij, & amplexi sunt Martyres, insigni patientiâ, mansuetudine, caritate, & magnanimitate.

Exo. 21. 23.

XIV. Oratio

 Anno 32. Maio in monte Gal.

PVnct.I. Conſ.1. Formam huius orationis præſcriptam nobis à Chriſto, qui optimè noverat eam fore gratiorem Patri ſuo cæleſti, vtiliorem nobis, & ad impetrandum efficaciorem: ideoque ad vocem *Pater* expende officium patris terreni, quod eſt dare filijs ſuis vitam temporalem, eos amare, nutrire, neceſſarijs inſtruere, erudire, in ſtatu collocare, ac tandem hæreditate donare: & quàm perfectè hęc omnia in nobis adimpleat Pater cæleſtis, ut meritò dixerit Propheta: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.* Pſ.26.10. Noſtrum proinde, ut veros filios decet, officium eſſe, huic Patri deferre gratiarum actionem, amorem, honorem, obedientiam, fiduciam, ac potiſſimùm imitationem virtutum paternarum. 2. *Noſter.* Conſ. amplam cæleſtis Patris in omnes liberalitatem, debitumque à te in omnes velut fratres amorem, nullâ exceptione conditionis, ætatis, aut gradus, ac fructum ex omnium oratione. 3. *Qui es in cælis.* Licèt enim ubique præſens ſit, quia tamen in cælis gloriam ſuam beatis manifeſtat, monemur affectum noſtrum à terrenis ad cæleſtia transferre, inde opem omnem & auxilium implorare, neque habere nos hîc *manentem civitatem.* ſed eſſe peregrinos & exules. Heb.13.14.

Punct.II. Sanctificetur nomen tuum. Conſ.1. Quid præ ceteris petere debeas, nempe ut honor Patris tui cæleſtis ubique promoveatur, ac ſuprema ejus Majeſtas non à te tantùm, ſed ab omnibus cognoſcatur, adoretur ac prædicetur carmine ſanctorum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: timeatur, & diligatur ut ſummum bonum, mente, linguâ, & opere. Apoc.4.8. *Tuum* nomen, non noſtrum. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Pſ.113.6. 2. *Adveniat Regnũ tuum.* Cùm Pater ille tuus ſimul Rex ſit ſupremus, infinitè potens, & liberalis, pete ab eo ut regnet per gratiam ſuam in corde tuo, & omnium, expulſa inde poteſtate dæmonis, & pravorum affectuum, ac ſolus ipſe hos ſibi ſubiectos regat & protegat: ſicut & tu deinde ceterique omnes pervenire poſſint ad regnum eius cæleſte, bonis omnibus cumulatum.

Punct.III. Fiat voluntas tua. Conſ.1. Poſt honorem & imperium cæleſtis Patris propagatum, peti hîc ut debita obedientia illi non à te tantùm, ſed ab omnibus exhibeatur, exequendo eius voluntatem non tantùm in præceptis illius, Eccleſiæ, & Superiorum, ſed etiam in conſilijs ac nutibus. 2. *Tua.* Non igitur propriam voluntatem, non mundi, carnis, aut dæmonis, quæ ad interitum ducit, ſed ipſius, quæ ad ſalutem & veram animæ quietem ducit, implere ſtude, nec tantùm in agendo, ſed & patiendo, morbos, dolores, iniurias, & quæcumq; adverſa. *Sicut in cælo & in terrâ.* Non qualiſcumque obedientia illi exhibenda eſt, ſed prout decet filios tam benigni Patris, & prout beati in cælo ipſi exhibent, promptè, purè, fortiter, & conſtanter, ita & ab omnibus in terra, quoad fieri poteſt, illi præſtetur. Pſ.142.10. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Anno 32. Matio in monte Galilææ.

PVnct. I. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Consid. 1. Per panem intelligi quidquid necessarium est ad sustentationẽ tum corporis, ut sunt victus, vestitus, habitatio; tum animæ, ut sunt divina gratia, verbum Dei, Sacramenta, & oratio: utrumque pete, & humiliter ut mendicus à Rege cœlesti, & confidenter ut filius à patre. 2. *Nostrum*, nempe naturæ nostræ ejusque necessitati sublevandæ convenientem, ad vitam obsequio tuo alacriùs impendendam; nobisque etiam comparatum meritis Christi. 3. *Quotidianum*, quotidie, quæ infirmitas nostra est, necessarium, nec peto etiam delicias corpori, neque animæ favores extraordinarios, sed auxilia ordinaria, sine quibus subsistere non possum. 4. *Da*, nam à te uno fonte omnis boni benedictio omnis expectanda est. 5. *Nobis*, non mihi tantùm, sed & ijs qui me ac te persequuntur; nominatim verò ijs qui propter te terrena omnia reliquerunt. 6. *Hodie*, nam quovis die voluisti nos dependere à divina tua providentia, nec nos esse anxiè solicitos in crastinum, quod nobis incertum est. Concede igitur pro hoc die, atque etiam pro vita reliqua, quæ omnis instar diei est comparata æternitati.

Punct. II. Et dimitte nobis debita nostra. 1. Peccatorem me agnosco, quod celare non possum oculos majestatis tuæ, ac proinde debitorem culpæ & pœnæ: vtrumque remitti mihi atque alijs supplices petimus, filij à patre, proponentes seriam emendationem. 2. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Cõmunicasti nobiscum potestatem operis nobilissimi: nempè remittendi iniurias, quod & voluisti esse conditionem remissionis à te faciendæ: dimitto igitur ex sincero corde plenè, & promptè ijs qui me in aliquo offenderunt, *ut sol non occidat super iracundiam* nostram, neq; vlla signa auersionis, cupio ijs exhibere, imò & paratus sum eos peculiaribus beneficijs prævenire, sensumq; alienum superare contendam: quod ut omnes præstemus, gratiâ tuâ nos adiuua.

Eph. 4. 26.

Punct. III. Et ne nos inducas in tentationem Non peto inimunis esse ab omni tentatione, cùm sciam eam esse necessariã ad coronam meam & honorem tuum: sed gratiam imploro, ne per liberum cõnsensum tentationi succumbam. Scio dæmonem velut canem ligatum nihil posse sine permissu tuo: quare auxilio gratiæ tuæ munitus non est quod timeam; scio etiam non nociturum nisi liberè accessero, sed conscius fragilitatis meæ, & astutiæ dæmonis, gratiam peto, qua pravam voluntatem meam cohibeam.

Punct. IV. Sed libera nos à malo, & præterito culpæ & pœnæ, quod per peccata contraximus, & præsenti, quod nunc sive corpus, sive animam affligendo, salutem impedit vel imminuit, & futuro quod tam in hoc sæculo occurrere potest, quàm in futuro, pœnis nempè inferni ac purgatorij, ac potissimùm à dæmone omnis mali auspice, & impulsore, ne nobis prævaleat. *Amen.* Ita ut fiat, verè probo, & animitus expeto, ac fiet; nam *desiderium pauperum exaudiuit Dominus.*

Ps 9. 39.

XVI Chri-

XVI. *De pane cœlesti Eucharistiæ*. Ioan. 6. Anno 33. Martio Capharnai.

P*Vnct. I. Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Consid. 1. Hosce de turba satiatos à Christo in deserto pane miraculoso, frequentes hîc ad ipsum redire non gratitudinis aut salutis æternæ studio, sed commodi temporalis ac curiositatis; ideoque placidè ab eo argui, quòd miraculis suis non uterentur ad salutem. Sic multi amici sunt mensæ potiùs Christi, quàm Christi, neque ipsum quærunt nisi propter corporis commoda, de quibus Apostolus: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* & Augustinus: *Vix quæritur Iesus propter Iesum.* Phil. 2. 21. 2. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Monet eos ut solliciti sint de cibo non corporis, qui perit, sed animæ quo redduntur immortales, nempe de gratia Dei, virtutibus, Sacramentis, ac nominatim Eucharistia à se instituenda.

Punct. II Dixerunt ad Iesum: Quid faciemus ut operemur opera Dei? Respondit eis Iesus: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Vbi Consid. 1. Christum requirere ab eis pro salute consequenda, non ardua aut laboriosa, sed fidem in se tanquam à cælesti Patre missum, prout tot manifestis miraculis & argumentis sæpiùs demonstraverat, ac proinde observantiam doctrinæ suæ. 2. Opponentibus miraculum Moysis de cœlesti manna, quo missionem suam à Deo confirmaverat, reponit Christus: *Non Moysès dedit vobis panem de cælo.* Vbi adverte antitheses: nõ Moyses, sed Deus: non vobis dedit, sed Patribus vestris: non de cælo, sed de aëre: *sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Is qui dat omnibus panem corporalem, dabit & hunc spiritualem animæ, *verum*, cujus manna erat tantùm typus & signum, verè vivificum, verè cælestem, cùm naturam habeat cælestem & divinam, ac vitam conferat in cœlis æternam: eò igitur fides nostra & desideria excitanda sunt.

Punct. III. Consi. 1. Turbis hunc panem petentibus, Christum benignè respondere: *Ego sum panis vitæ*, seu vivificans; quo alludit ad arborem vitæ Gen. 2. 9. in paradiso, cujus fructus allaturus erat Adamo ac posteris vitam longævam, sanã, hilarem & robustã; quæ omnia longè uberiùs & efficaciùs præstanda sunt per hunc panem cœlestem Eucharistiæ. 2. *Qui venit ad me*, gressibus mentis, per fidem, obedientiam & caritatem, *non esuriet* amplius terrena, quia confero illi vitã non deficientẽ gratiæ & gloriæ, ubi omne desiderium explebitur & erit omne delectamẽtum suavitatis: *Memoriã abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt.* Ps. 144. 7. 3. *Sed dixi vobis, quia vidistis me*, tot tamque stupenda & illustria signa patrantem, ex quibus me Messiam cognoscere poteratis & debebatis, & tamen per animi obstinationem, *non creditis.* Nos Christi in ferenda eorum incredulitate patientiam attendamus, & pleniùs in fide instructi dicamus ei supplices: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui, & antiquum documentum novo cedat ritui.* Off. Eccl.

Anno 33. Martio Caphernai.

Punct. I. Durus est hic sermo, & quis potest eum audire. Consid. 1. durum fuisse & ingratum incredulis discipulis, ac de eo obmurmurantibus; iucundum verò & pergratum esse fidelibus, ac proinde illos à Christo redargui à quibus præsens post tot recentia miracula, hanc fidẽ per se obtinere non poterat. 2. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Exponit Christus vim & potentiam vivificandi non procedere propriè à carne sua, sed à divinitate illi conjuncta, quæ cùm omnipotens sit, nihil illi esse denegandum; ac proinde verba sua spirituali sensu accipienda. Unde subdit. 3. *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* significans ea intelligenda non de comestione carnali per partes facienda, sed modo spirituali, quo totum corpus vivum & illæsum sub specie panis & vini invisibiliter, sed realiter præsens sumitur, in quo Christi veracitatem reverenter adora.

Punct. II. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro. Consid. 1. multos hîc à Christo defecisse ex superbia, eò quòd nollent in mysterio Eucharistię captivare intellectum, & Christo in hoc adversatos fuisse, in quo oportebat esse maximè intentos; humiliter interrogare, non viliter desperare; instructionẽ patienter expectare, nõ superbè reijcere. 2. *Dixit ergo Iesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?* Vbi Cons. Christum hoc iis proponere tum ut ostendat se relinquere omnes libertati suæ, se nemine egere, illos beneficium potiùs accipere quàm præstare, tum ut exploret eorum constantiam, & occasionem det fidem suam palàm & indubitanter profitendi. 3. *Respondit ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Præ omnibus & omnium nomine non solùm fidem profitetur, sed & amorem, cùm ostendit Christum unicum esse Magistrum qui docere possit viam, ac simul velut manu ducere, & portam aperire ad vitam æternam, ideoq; meritò omnibus creaturis etiam parentibus & propinquis debere nobis esse chariorem: vbi attende infelicitatem deficientium à Christo.

Punct. III. Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus est? nempè Iudas, qui hinc primam malignandi videtur sumpsisse occasionem, diabolus imitatione & similitudine apostasiæ, impænitẽtiæ, ac damnationis, quę omnia Christus prævidebat, ac nominatim calumnias ejus quibus non solùm apud plebem, sed & apud Principes verba & opera Christi erat impiè traducturus, eumq; post annum proditurus. Vbi attende prolixam Christi patientiam in homine tam perdito, & abominandã proditionem adornante tam clementer, tanto tempore tolerando, fovendo, & in mensa sua alendo. 2. Cons. noluisse tamen Christum nominare hîc Iudam, tum ut famæ ejus parceret, tum ut omnibus timorem incuteret ne de se superbe præfiderent, tum ut solicitos redderet, & horrore erigeret ad vigilantiam. Disce hinc cum tremore operari salutem, & in loco etiam sanctissimo, ac gradu altissimo timere lapsum, qui eò gravior est, quò gradus in quo stas, est altior.

XVIII. *Christus prehendit petentes nova signa, monet cavendum ab eorum doctrina, & cæcum illuminat.* Mat. 16. Marc. 8.

Anno 33. Maio in Magedan & Bethsaida.

PUnct. I. *Accesserunt ad Iesum Pharisæi & Sadducæi tentantes, & rogaverunt eum ut signum de cælo ostenderet eis.* Consid. 1. Christum hic meritò arguere superbos Pharisæos, & Sadducæos Hæreticos, tot evidentibus signis, quæ in terra passim ediderat, necdum permotos, quia animum induraverant; ideoque petentibus nova signa de cœlo, opponere ipsos ex nubus rectè colligere auram serenam vel pluviam, iisque signis acquiescere. *Faciem ergo cæli diudicare nostis, signa autem temporum* iam completorum manifesta, & certissima de adventu Messiæ *non potestis scire?* sed serò eos & frustra agnituros signa adventus sui posterioris. 2. Consid. cum S. Augustino signa præcedentia hunc primum Christi adventum designasse serenitatem gratiæ, præcessura verò adventum posteriorem designatura tempestatem vindictæ, quam detonabit in reprobos, cum fulmine maledictionis. Tu stude nunc assequi signa salutis tuæ, tranquillitatem conscientiæ, cultum Deiparæ, & observantiam legis divinæ, ac religionis.

Punct. II. Cons. Christum iterum transfretantem cùm discipulis monere eos: *Cavete à fermento Pharisæorũ & Sadducæorũ*, quo designabat eorum doctrinam aridam, vitiosam, & superbiâ tumentem: sic & tu cave omnes pravas suggestiones, sive ab hominibus, sive à dæmonibus. 2. Ipsum discipulos, cum fermenti nomine panes intelligerent, de bis anxiè solicitos redarguere, tanquam *modicæ fidei*, 3. Cons. cum S. Chrysostomo Christum aliàs mansuetudine, aliàs etiam reprehensione, prout hic facit, suos erudire, eò quòd vtroque remedio homo indigeat: sic Deus non semper prospera, nec semper etiam immittit adversa, sed noctem dies, & hiemem æstas sequitur, dolor & voluptas, ægritudo & sanitas sibi succedunt, à divina manu temperata ad nostram salutem.

Punct. III. Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & Iesus apprehensa manu ejus, eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret. Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes. Consid. 1. Christum ob incredulitatem incolarum Bethsaidæ cæcum hunc inde educere ut beneficium ei conferat extra consortium malorum, & turbam ac strepitum. 2. *Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, & cœpit videre, & restitutus est, ita ut clarè videret omnia.* Consid. Christum sensim hunc cæcum curasse, ut se fidei ac fiduciæ ejus sensim crescenti attemperaret, atque ita & nos debere sensim in Dei cognitione & cultu proficere ac tunc ampliora nobis etiã beneficia à Deo conferenda. 3. Cæcum hunc esse animam nostram, quæ non attendit præterita, præsentia, futura: sive dolores Christi pro nobis toleratos, Sanctorum exempla, mundi vanitatem, Dei misericordiam & iustitiam, diem mortis & iudicij, inferni tormenta, & cœli gaudia.

Anno 33. Octob. 7. Ierosolymæ.

XIX. Christus Iudæos credulos hortatur ad constantiam, & arguit incredulos. Ioan. 8.

PVnct. I. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.* Cons. 1. Christum hîc hortari Iudæos doctrinâ suâ conversos ad constantiam, ne vel pro speris, vel adversis ab ea deficiant, sed quam amplexi iam erant, fortiter ad extremum usque spiritum retineant; atque hac nota constantiæ & fortitudinis ipsos probaturos se veros esse Christi discipulos, atque ab eo velut cœlesti Magistro pleniùs ac certiùs quotidie instruendos. 2. *Et cognoscetis veritatem.* Promittit iis alterum fructum hujus constantiæ; cognituros nempe experientiâ, quàm sua doctrina sit vera, sincera, certa, ac salutaris, se esse primam veritatem infallibilem, ac sublatis umbris legis veteris, se omnes promissiones Patribus eorum factas veraciter adimpleturum. 3. *Et veritas liberabit vos.* Hunc tertium ponit constantiæ fructum, eripiendos ipsos non tantùm servitute legis Mosaicæ, sed & peccati, dæmonis, ac mortis æternæ, atque asserendos in libertatem filiorum Dei. Vbi Consid. quotquot à Christo non liberantur manere sub hac miserrima servitute.
2. Pet. 2. 19 Subdit: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. A quo enim quis superatus est,*
Prov. 5. 22. *hujus & servus est. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Stipendia peccati mors.* De quo Augustinus: *Vnusquisque peccando*
Rom. 6. 23. *animam suam diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.*

Punct. II. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Cons. 1. Christum hîc arguere, eos qui vanè gloriabantur, se secundùm carnem originem ducere ex Abrahamo, & interim ab ipsius indole, obedientia, ceterisque virtutibus maximè discrepabant: ac proinde originem illam nihil ipsis profuturam, nisi & imitatio virtutum accesserit: vnde disce & Christianis & Religiosis incumbere, ut se non veste ac nomine, sed vitâ & moribus tales exhibeant: 2. Allegantes deinde se secundùm spiritum ex Deo natos, *vnum Patrem habemus Deum*, redarguit Christus: *Si Deus Pater vester esset, diligeretis vtique me, ego enim ex eo processi*, ab æterno secundùm divinam naturam, *& veni* in tempore secundùm humanam ab eo missus: hinc disce fidē tuam in Deum probare reverentiâ & amore erga Christum.

Punct. III. Vos ex patre diabolo estis: non natura, sed imitatione, ut ait S. Augu-
August. stinus, & S. Ambrosius, *successione non carnis, sed criminis.* Nam *desideria patris vestri vultis facere*, consentientes diabolo vos ad peccata excitanti: quare tentationibus eius stude fortiter resistere, 2. Exprimit in particulari in quo ipsi diabolum imitentur: *Ille homicida erat ab initio*, cùm occidit primos parentes quoad animam & corpus, ac totam posteritatem, quod fecit *non gladium stringendo, sed peccatum persuadendo.* Deinde *in veritate non stetit*, quo arguit etiam eorum inconstantiam. Denique *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus.*

XX. Christus

XX. *Christus monet cavendam avaritiam.* Luc. 12. Anno 33. Novemb. in Iudea.

P*Unct. I. Magister dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem: at ille dixit illi: Homo quis me constituit iudicem aut divisorem super vos?* Consid. 1. Christum hîc interpellatum de controversia inter duos fratres circa bona temporalia, non negare sibi competere potestatem de iis iudicandi, cum supremus omnium Rex ac Iudex esset à Patre constitutus, sed noluisse se negotiis sæcularibus immiscere: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularebus.* Et ut ostenderet munus suum esse curandi omnibus possessionem hereditatis non terrenæ, sed cœlestis. 2. Subdit: *Cavete ab omni avaritia,* quæ est inordinata cupiditas divitiarum, *radix malorum omnium, & idolorum servitus,* eò quòd illi tanquam Deo serviant, & omnia ejus caussa faciant, premantur ab ea mancipatu miserrimo in bonis conservandis, & augendis, ac curis illis tanquam spinis assiduè pungantur. 2. Tim. 2. 4. 1. Tim. 6. 10. Gal. 5. 5.

Punct. II. Consf. 1. Christum ostendere vanam solicitudinem avarorum exemplo divitis, *cujus ager uberes fructus attulit, & cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam.* Attende curas & anxietates divitum. Angitur hic tanquam pauper, quia dives est; eget loco, quia opibus abundat; consilium capit à cupiditate, quod capere deberet à ratione & charitate. 2. *Et dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Multa bona appellat terrena & transitoria, quia non novit cœlestia & æterna; ubi Consf. exilia esse ea bona quæ nobis hîc cum impiis & brutis communia sunt, verè magna bona esse quæ possident iusti, nempe gratiam Dei & virtutes. *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt: beatus populus cujus Dominus Deus ejus.* 3. Consid. Vitam nostram sæpè nos fallere: apparet longa cum brevis sit. *Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Ps. 143. 15. Iac. 4. 15. Iob 21. 13. Apoc. 18. 7.

Punct. III. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetent à te. Consid. Rectè stultum vocari, quia de vita alieno dominio subiecta promittit sibi annos multos, quia de corpore & vita præsenti tantùm est sollicitus, non verò de anima & vita futurâ. *Hac nocte,* quia lucem considerationis admittere noluisti, *animam tuam,* quæ Dei est, sed tibi instar depositi ab eo concredita, *repetunt* Angeli quasi exactores à Deo submissi, ut tribunali ejus sistatur & rationem reddat acceptorum *à te,* etiam invito, nec opinante, nec parato. 2. *Quæ autem parasti, cujus erunt?* nescis an heres futurus amicus, an inimicus, *relinquent alienis divitias suas. Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Ambros. *Non nostra sunt, quæ non possumus auferre nobiscum: sola virtus comes est defunctorum. Opera eorum sequuntur illos,* Ps. 48. 11. Ps. 75. 6. Apoc. 14. 13.

A. 1032. Decemb. in itinere Ierosol.

XXI. *Christus docet viam cœli esse angustam.* Luc. 13.

P*unct.* I. *Contendite intrare per angustam portam.* Consid. 1. Christum hîc respondere ad quæstionem sibi propositam: *Domine si pauci sunt qui salvantur?* & ostendere plerosque molestia ac difficultate deterritos à salute excidere, quæ difficultas appellatur *angusta porta*, quia nulli cum sarcina terrenorum affectuum vel alicujus peccati ingressus permittitur, *& arcta via quæ ducit ad vitam,* quia ratio vivendi secundùm virtutem sita est inter duo præcipitia excessuum & defectuum, & contraria pravæ hominum inclinationi, adeò ut contentione & certamine opus sit. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quod quia plurimis non lubet, *pauci sunt qui inveniunt eam.* De qua paucitate, comparatione reproborum, sancti Patres, ac nominatim S. Chrysostomus severè pronunciant, ac typum habemus in uno Loth cum familia sua liberato ex incendio Sodomæ, in uno Noë cum familia ex universali diluvio; in duobus Iosue & Caleb ingressis terram promissam, ex sexcentis millibus; adlaborandum proinde cuilibet, ut inter paucos illos inveniatur. 2. Cons. difficultatem & asperitatem viæ hujus transire, sed remanere deinde perpetuam amœnitatem, & gaudia in adepto felici fine: sicut & transit amœnitas, & gaudia in lata via peccatorum, ac remanent deinde æterni luctus, & tormenta in termino infelicissimo. 3. Recreationem tamen spiritus non deesse in via illa arcta salutis; ex floribus virtutum, arbore crucis, sacramentis velut fontibus sitim reficientibus, & rore cœlestium solatiorum mitigari molestiam dum mente concipiuntur termini hujus æterna gaudia, & alterius tormenta, mundi vanitas, & virtutum pulchritudo: insuper vestigia Christi & Sanctorum complanare viam & stimulos addere. 4. *Lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam*; quia ratio illa vivendi corporis sensibus iucunda est; quam proinde plurimi sectantur. De utraque autem S. Hieronymus: *Quanta inter has vias separatio, quantum discrimen! hæc ad mortem tendit, illa ad vitam: hæc teritur à multis, illa vix invenitur à paucis: hæc vitijs per consuetudinem declivior ac mollior, illa insueto calle virtutum tristior & horridior.*

Matt. 7. 14.

Matt. 11. 12.

Gen. 19. 15.

Gen. 7. 1.

Nu. 14. 30.

Punct. II. Tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vos: discedite à me omnes operarij iniquitatis. Consid. 1. Christum hîc præmonere eos, non profuturam ipsis familiaritatem secum in terra habitam, eò quòd illa ad salutem usi non sint; unde disce nec profuturum etiam Christianis, aut Ecclesiasticis statum suum, si vita & opera non responderint. 2. Minatur eis æterna supplicia, nisi tempestivè resipiscant, *Ibi erit fletus, & stridor dentium*, & successuros in locum eorum gentiles. *Erunt novissimi primi*: nam hi velut canes à Iudæis contemnebantur, & ultimi ad Dei cognitionem accesserunt, *& erunt primi novissimi.*

XXII. *Christus adolescentem cupidum salutis instruit ad perfectionem.* Matt 19. Marc. 10. Luc. 18.

Anno 34. Febr. in Bethania ad Iord.

P*Unct. I. Magister bone quid faciens vitam æternam possidebo?* Consid. 1. Adolescentem hunc opulentum & Principem, vt ait S. Lucas, commotum fama de doctrina & operibns Christi, eiusque sermone de regno cœlesti, accessisse eum supplicem, *genuflexo*, ac petijsse non dona temporalia, sed modum seu viam consequendi salutē æternam: vide num tua desideria & orationes eò tendant. *Quærite primùm regnū Dei & iustitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* 2. *Qui dixit ei: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.* Significat Christus solùm Deum esse bonum ex natura & essentia, immutabiliter, infinitè, & fontem omnis boni creati, atque ita excitat eum ad se cognoscendum Deum, docetque nos, cùm laudamur, laudem omnem in Deum referre. 3. *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Vocat beatitudinem vitam simpliciter, quia ut ait S. Gregorius, *temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potiùs dicenda quàm vita; ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quàm quædam prolixitas mortis?* Requirit autem pro vita illa felicissima consequenda tanquam medium necessarium observantiam mandatorum. *Si volueris mandata servare, conservabunt te:* velut arx aut mœnia urbis, dum à nobis servantur, etiam nos servant.

Marc sup. *Matt. 6. 33.* *Eccli 15. 16.*

Punct. II. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi à iuventute mea: quid adhuc mihi deest? Cons. 1. Si hic illustris adolescens in sæculo, & lege veteri lōgè paucioribus auxiliis gratiæ instructus id fecerit, quid à nobis in tanta gratiarum & mediorum abundantia nunc Christus expectet? expende hîc languorem tuum, frequentes transgressiones & inconstantiam. 2. *Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse*, perfectiori modo caritatem exercere, & sic ad altiorem gloriæ gradum pertingere, *vende quæ habes*, omnia, & quanta sunt, idque statim sine mora ulteriori iniecta, *& da*, non consanguineis aut propinquis, sed *pauperibus:* ecce consilium voluntariæ paupertatis, cujus amaritudine ne deterreatur, subdit dulcedinē mercedes: *Et habebis thesaurum in cœlo;* non amittes, sed recipies cum certo & amplo incremento ea quæ hîc corruptioni & iacturæ obnoxia relinquis. 3. Addit *& veni, sequere me;* subjice te instituto meo, etiam in consiliis ad salutem, non solùm per voluntariam paupertatem, sed etiam castitatem & obedientiam, *quæ vox* inquit S. Bernard. *impleuit claustra monachis, & deserta anachoretis.*

Punct. III. Qui contristatus in verbo abiit mœrens, erat enim habens multas possessiones. Cons. 1. Hunc adolescentem licet salutis atq; etiā perfectionis cupidum, tamen impedimenta divitiarum sensisse, quando de iis abdicandis sermo fuit. 2. *Et circumspiciens Iesus ait: Quàm difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt.* Ubi Consid. pericula divitiarum, & felicitatem pauperum pro Christo.

Anno 34. Martij 22. Ierosolymæ.

XXIII. Christus quæstionem Iudæorum de potestate sua retundit alterâ, eosq; parabola duorum filiorum improbitatis convincit. Matth. 21. Marc. 11. Luc. 20.

PVnct. I. *Accesserunt in templo docentem Principes sacerdotum, & seniores populi dicentes: In qua potestate hæc facis?* Consid. 1. Christum, licet iam sæpiùs verbis inculcasset, & miraculis comprobasset missum se esse à Patre cœlesti Messiam ad salutem humani generis, & interim videret hosce cum aliis plurimis odio induratos, & invidia excæcatos nolle veritatem agnoscere, sed calumniis impugnare, dare hîc nobis exemplum in aliorum improperiis, & calumniis patientet sustinendis, & modestè, ubi opus est, refellendis. 2. Consid. eum malignam eorum quæstionem quæstione alterâ modestè, sed nervosè retundere: *Interrogabo vos & ego*, inquit, *unum sermonem; baptismus Ioannis vnde erat? è cœlo, an ex hominibus?* Cum autem scirent Ioannem passim ab omnibus Prophetam habitum, ejusque doctrinam cœlestem, quâ potissimùm tradiderat Christum esse Messiam & mundi salvatorem, eos advertentes se hac quæstione illaqueatos ad Christum agnoscendum, noluisse sensum suum expromere, sed eum mendacio velasse, *Nescimus*: in quo attende eorum pervicaciam & confer duritiem tuam. 3. *Ait illis Christus: Nec ego dico vobis, in qua potestate hæc facio.* Ostendit non posse eos sibi imponere, seque eorum pravos sensus intimè penetrare, ideoque nolle etiam se iterum apud eos idem repetere, apud quos videbat se nihil profecturum: Tu Christum audi, dum ad cor loquitur.

Punct. II. Consid. 1. Christum deinde ipsis pervicaciam eorum ob oculos ponere parabolâ duorum filiorum dissimiliter patri obtemperantium, qui cum iuberentur à patre in vinea operari, prior dixit: *Nolo. postea autem pœnitentia motus, abiit.* Alter verò ait: *Eo Domine, & non ivit*; unde interrogati ipsi; *quis ex duobus fecit voluntatem patris? dicunt ei: Primus.* Ab infinita sapientia Christi inducti sunt ad sententiam contra se ferendam, sicut olim David à Nathano, cum ab eo audivit: *Tu es ille vir.* 2. Subdit illis Christus: *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei*, significans peccatores hos aliosque similes esse filio priori, qui licet mandata Dei verbis & factis primùm repulissent, posteà tamen ad prædicationem Ioannis & Christi resipuerunt, ac proinde in Ecclesia & regno cœlesti ipsos præcessuri sunt; ita Magdalena, Matthæus, Zacchæus, Paulus, aliique à peccatis suis ad Deum seriò conversi, quorum & constantiam tibi propone imitandam. 2. Ipsos verò similes esse filio secundo qui legem Dei frequenter in ore habeant, & alios doceant, ejus observantiam externis ceremoniis profiteantur, & interim factis minimè observent, in quo notat eorum hypocrisim, & animi duplicitatem. Vbi Consid. iis etiam similes esse eos, qui statu & vestibus profitentur sanctitatem, quam interim opere non præstant.

2. Reg. 12. 7.

XXIV. *Christus docet Sadducæos resurrectionem carnis, & continentiam in cœlo.* Matth. 22. Marc. 12. Luc. 20. Anno 34. Martij 22. Ierosolymæ.

Punct. I. Consid. Sadducæos, qui erant inter Iudæos hæretici, negantes immortalitalitatem animę, & corporum resurrectionem, auditâ aliàs doctrinâ Christi de surrectione, contra hanc excogitasse quæstionem, quàm putabant inextricabilem, & hîc Christo proponere; cùm nempè mulier aliqua pluribus viris moriētibus successivè nubit, cui ex illis in resurrectione iungēda sit. Quam quæstionē Christus ostendit in errore fundatam: *Erratis, nescientes scripturas neque virtutem Dei.* Vbi adverte hæreses omnes provenire ex ignorantia Scripturæ sacræ, quam nolunt intelligere ad sensum Ecclesiæ, sed privatum affectum; atque inde ex uno errore in plures delabi. 2. *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo:* non naturâ, sed puritate & incorruptione; ac proinde sicut non indigent cibo, ita nec nuptiis aut generatione ad speciem propagandam; unde collige castitatem virtutem esse maximè Angelicam, eamque similitudinem castos in hac vita inchoare, de qua S. Bernardus: *Differt inter se homo pudicus & Angelus; sed felicitate, non virtute, etsi enim illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur*, ac proinde laudabilior. 3. Consid. licet voluptas carnalis post hanc vitam cessatura sit, sanctos tamen omnes beandos in cœlo voluptate etiam corporali pura, incomparabiliter maiori, æternùm duratura, Deo & Angelis propria, quam ut consequaris, abstine nunc à carnali, communi cum peccatoribus & brutis. 4. Christum, sicut ab Angelis colitur in cœlis, ita & voluisse hîc in terra ab hisce potissimùm qui se per castitatem etiam voto firmatam ei dicarunt: velut Angelis peculiariter coli, esse hos milites cœlestes, quibus ipse arma & auxilia abundè subministrat, *Sufficit tibi gratia mea*, ad decertandum contra carnem & diabolum, diuturnos martyres, ac gratissimas Deo victimas. 2. Cor. 12. 8.

Punct. II. Consid. 1. Christum deinde manifestè ostendere eis futuram resurrectionem ex Moyse, unde ipsi quæstionem suam deprompserant; ubi Deus dicit: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*, vnde subdit: *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Cùm igitur non possit esse Deus, iudex, & remunerator eorum qui non sunt, sequitur illos saltem secundùm animam superesse atque hanc secundùm naturalem exigentiam aliquando corpori suo iungendam. 2. Corporum resurrectionem etiam necessariam esse, ut corpus quod in hac vita particeps fuit operum bonorum ac malorum, dolorum ac gaudiorum, in altera etiam particeps sit mercedis: ac proinde corpora iustorum speciosa ac fulgida in omnibus sensibus ac membris, iis nominatim quibus plura pro Deo passi sunt, torrente voluptatum beanda: *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit:* copora verò damnatorum deformia & lurida, in omnibus pariter crucianda. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Fel draconum vinum eorum.* Exo. 3. 6. 1. Cor. 2. Sap. 11. 17. Deut. 32. 33.

Anno 34. Martij 22 Hierosolymæ.

XXV. *Christus insectatur uitia Scribarum & Pharisæorum.* Matth. 23.

P*Unct.I.* Conf. 1. Christum, sicut initio doctrinæ suæ posuit octo Beatitudines, compellans & repetens toties beatos cultores variarum virtutum, quibus singulis mercedem cœlestis gloriæ variis nominibus promittit: ita & hîc sub finem doctrinæ & vitæ suæ octo maledictionibus insectari Scribas & Pharisæos, eos toties hypocritas compellando, tanquam simulatores & histriones, qui personam gerant viri probi & sancti; cùm sint improbi & iniqui, ac proinde toties detonare in eos horrendum *væ*, tanquam fulmina æternæ damnationis tum prædicendo mala eventura, tum condolendo. 1. Igitur eos arguit propter publica scandala populo passim data: *Quia clauditis regnum cælorum ante homines*, dum in auctoritate & dignitate constituti pessimis vitæ exemplis alios arcetis ab ingressu in Ecclesiam & gloriam cœlestem: *Væ mundo à scandalis.* 2. Propter avaritiam velatam externa pietate. *Quia comeditis*, sive exhauritis *domos viduarum, orationes longas orantes*, & sic illudentes illis, ad ampliora stipendia extorquenda.

Matt. 18. 7.

Punct.II. Conf. 1. Tertium vitium in quo eos arguit, amorem proprium velatum amore proximi, *circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum*; ut aliquem è gentilismo convertatis ad religionem Iudaicam, idque tantùm, ad vanam gloriam & lucrum temporale, quos posteà pravis exemplis facitis etiam vobis deteriores. 4. Avaritiam antepositam religioni; quia dicitis: *Quicumque iuraverit per templum, nihil est; qui autem iuraverit in auro templi, debet.* sic ut iuramenta, in quibus Deus non exprimitur, dicerent non obligare, nisi cederent in eorum utilitatem. 5. Neglectum graviorum mandatorum, inhærendo minimis. *Decimatis mentam & anethum, & cyminum*, ex vilissimis herbis urgetis decimas pendi, *& reliquistis quæ graviora sunt legis, iudicium*, seu iustitiam erga oppressos, *& misericordiam* erga pauperes, *& fidem* in Deum & Christum ejus: *Hæc* maiora *oportuit facere, & illa* minora *non omittere, excolantes culicem, camelum autem glutientes*, in minimis meticulosi & scrupulosi, in maximis securi & audaces.

Punct.III. Conf. Sextum vitium, externam tantùm speciem virtutis, & neglectum internæ, *Mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis; intus autem pleni estis rapinâ & immunditiâ*: cùm tamen ante & super omnia sectanda sit munditiés conscientiæ. 7. Interna & occulta scelera velata exteriori modestia. *Similes estis sepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Si bonum est, apparere probum, studendum ut simus. 8. Denique intentionem pravam arguit in operibus bonis. *Ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum*, captantes inde gloriam & favorem populi, & interim *filij*, seu imitatores *estis eorum qui prophetas occiderunt*, nominatim dum Christo Prophetarum Domino mortem machinamini.

XXVI. *Iudæi consilium ineunt de Christo occidendo, Iudas paciscitur, & agnus Paschalis paratur.* Matt.16. Marc.14. Luc.22. Anno 34. Martij 23. Bethaniæ & Ierosolymæ,

P*Unct. I. Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifi-
gatur.* Cons. 1. Pascha celebratum quotannis à Iudæis in memoriam
populi liberati à Deo ex servitute Ægypti, cùm Angelus ad hoc nocte
præcedenti percussit omnes primogenitos Ægyptiorum, transiens domos
Israëlitarum illæsas; unde dies ille *Phase*, seu Paschæ, *id est transitus Domini* Ex.12.
nomen accepit. Sed quem diem grati animi memoria colere debuissent, 11.
quàm horrendo crimine fœdarunt! Tu cave dies festos peccatis, vanita-
tibus, aut otio transfigere, sed eos Divino cultui impende. 2. Consid.
Christum traditum fuisse Iudæis in mortem à diversis diverso affectu; à
Patre cœlesti ex affectu misericordiæ erga nos & iustitiæ. *Pro nobis omnibus
tradidit illum:* à seipso ex eodem affectu. *Tradidit semetipsum pro nobis:* à Iuda Rom.8.
ex avaritia. *Quid vultis mihi dare, & eum vobis tradam?* à diabolo ex odio. *Cum* 32.
diabolus misisset in cor, ut traderet eum Iudas. denique à Iudæis in manus gen- Ephes.5.2.
tium ex invidia. *Sciebat Pilatus quod per invidiam tradidissent eum.* Et hæc omnia Mat.26.15.
ad misisse Christum in salutē tuā. 3. *Tunc congregati sunt Principes sacerdotum,* Ioan.13.2.
& consilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent & occiderent. *Tunc,* cùm maximè Matt.27.
debuissent esse soliciti de gratiis agendis, Magistratus Ecclesiasticus & 18.
civilis convenerunt in aulam Cayphæ Pontificis, ibique unanimi consen-
su decreverunt liberatorem suum, ac redemptorem occulte capere &
occidere, sed Deus *consilium pravorum dissipat.* Iob 5.13.

Punct. II. Intravit autem satanas in Iudam. Cons. 1. Intrasse hunc per ostium
avaritiæ, per quod ei aditus patebat: tu vide quo vitio diabolus in te
ingressum sibi parare possit, & peculiari examine occurre. 2. Et hic *tūc abijt,*
*unus de duodecim ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, &
ego vobis eum tradam?* Consid. hic singularem Iudæ ingratitudinem erga
Christum Magistrum suum, à quo assumptus fuerat ad Apostolatum,
donatus potestate pellendi dæmones, & morbos, cujus doctrinæ auditor
& virtutum ac miraculorum spectator fere triennium fuerat. *Tu verò ho-* Ps.54.13.
mo unanimis, dux meus & notus meus: disce hinc etiam tibi timere: *Qui stat* 1.Cor.10.
videat ne cadat. Casus maiorum sit tremor minorum. 3. Consid. Iudam offerre 12. August.
Christum velut vile mancipium quovis pretio venalem. *At illi constitue-* Ex.21.
runt ei: triginta argenteos, seu florenos, quod pretium erat vitæ servi. 32.
Tu vide num Christum vendas pretio vilioris voluptatis.

Punct. III. Consid. 1. Christum pridie Paschæ misisse Petrum & Ioannem
Ierosolymam ad parandum ibi agnum Paschalem secundùm legem, quam Deut.16.
licet sciret ibi mortem sibi strui, tamen servare voluit in exemplum obser- 6.
vantiæ. 2. Præmonuit eos de hominis occursu, qui oblaturus esset *cœna-
culum grande;* quo ostendit se cor hominum in manu habere. Tu affer illi
cor tuum, ut apud te faciat Pascha.

Anno 34. Martij 23. Ierosolymæ.

XXVII. *Christus prædicit se prodendum ab uno suorum.* Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13.

PVnct. I. Discumbentibus eis & manducantibus, Iesus turbatus est spiritu & dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrûm tradet me. Consid. 1. Christum licet animo sibi semper præsenti & constanti, edere hîc signa externa animi turbati, ad declarandam immanitatem criminis proferendi, quod ante institutionem Eucharistiæ proferre noluit, ne præsentium animos affligeret; nunc autem proferre, ut conscium se ostendat, adeoque se ultrò passurum, & Iudam hac præscientia ad pœnitentiam excitet. 2. *Et aspiciebant ad invicem discipuli hæsitantes de quo diceret, & contristati valde cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine?* licet scirent se innocentes, tamen quia tristitia perculsi ex hoc funesto nuncio, plus credere maluerunt verbis Christi, quàm suæ conscientiæ. 3. Consid. Noluisse Christum prodere Iudam, ut famæ ejus consuleret ad exemplum perfectę charitatis, utque eum hac lenitate ad resipiscentiam alliceret, tum ne etiam Apostoli cognoscentes auctorem in eum insurgerent.

Punct. II. Iesus respondens ait illis: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Consf. 1. Christum hîc iteratò, sed occultè monere auctorem proditionis, & ubi vidit eum nec præscientia sua, nec occulta monitione, nec dulcedine bonitatis in celando auctore commoveri, detonuisse in eum fulmen æternæ damnationis, ut vel sic ad pœnitētiam stimularet. *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Sed impius cùm in profundum venerit, contemnit.* 4. Consid. Ipsum Iudam impiè præsumentem de Christi mansuetudine, à quo manifestandus non esset, ausum etiam interrogare: *Numquid ego sum Rabbi? Et ait illi: Tu dixisti*, ita est, idque voce submissa; in quo observa Christi mansuetudinem. non ait: Tu scelestе, sacrilege, proditor, ingrate. nihil durius reponit. Disce hinc etiam iniurias patienter tolerare.

Prov. 18. 3.

Punct. III Et erat recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Iesu, quem diligebat Iesus, cui dilectionis peculiaria signa præ ceteris exhibebat ob eximiam morum probitatem, vitæ innocentiam, corporis castitatem, & excellentem caritatē in Christum & proximum; hic à Petro excitatus petit: *Domine quis est? Respondit Iesus: Ille est cui ego intinctum panem porrexero.* Vbi Conf. 1. Christum Ioanni ob illas insignes virtutes inter cetera arcana communicata, etiam hoc singulariter & privatim aperuisse. Tu virtutes Ioannis imitare ut arcanorum Dei conscius esse merearis. 2. *Et post buccellam introivit in eum satanas*, ad complendam executionem sceleris, & sic ipse simul traditus est penitus dominio diaboli. 3. *Et dixi ei Iesus: Quod facis, fac citius*, non iubēs aut suadens, sed contemnens, & potestatem concedens exequendi, quod vellet. 4. *Et exivit continuò* turpissimus transfuga, & apostata ab Apostolatu Christi, ad famulatum satanæ & Iudæorum, perculsus verbis Christi, sed non ad pœnitentiam.

XXVIII. *Christus commendat suis charitatem mutuam, & prædicit Apostolorum fugam, ac Petri negationem.* Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13.

Anno 34. Martij 24. in cœnaculo.

PVnct. I. *Filioli adhuc modicum vobiscum sum: quæretis me, & quò ego vado, vos non potestis venire.* Conf. 1. Christum hic pridie mortis suæ declarare teneritudinem affectus plusquam materni ergà suos Apostolos adhuc imbecilles & parvulos in fide & amore Christi, eisque prædicere: *quæretis me*, & proximè mortuum, & deinde in cælis regnantem, sed necdum posse eos sequi, eò quòd necdum haberent robur spiritus ad mortem pro se obeundam. 2. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Novum* quod se extendat ad diligendos non tantùm Iudæos & amicos, prout volebant scribæ, sed etiam gentiles & inimicos, & sicut ego vos dilexi prior, amore puro & forti ad salutem vestram spiritualem. 3. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* quia proprium est discipuli insistere principiis Magistri; principium autem Christi fuit dilectionem erga omnes exhibere, ob quam è cælis descendens, homo factus, mortem subiit.

Punct. II. Conf. 1. Petrum cæco fervore præ ceteris abreptum vrgere Christum: *Quare non possum te sequi modò? Animam meam pro te ponam.* In quo erravit Petrus nimia præsumptione de viribus suis, quam ut Christus ipsum aliosque dedoceret, subdit: *Omnes vos scandalum patiemni in me in illa nocte: scriptum est enim Percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis.* eâ prædictione fugæ simul eos præmuniens, ut non planè animis caderent, sed animaduerso eventu prædictionis resipiscerent, quare & præsentiæ suæ solatium citò adfuturum iis promittit: *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Tu time ne etiam aliquando Christum deseras. 2. *Petrus autem ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint, ego numquam scandalizabor*, & iterum. *Eetiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt*, exemplo Petri, ne viderentur eo inferiores in fide & amore erga suum Magistrum. Conf. hic duplicem & iteratum errorem Petri, tum nimiam de se præsumptionem, tum contradictionem verbis Christi, tum arrogantiam super alios, quæ licet cæcus fervor à grauiori culpa excusaret, meruit tamen propterea à Christo humiliari denunciatione & permissione lapsus sui: *Quia in hac nocte antequam gallus cantet bis, ter me negabis.* Tu potiùs Dei auxilium humiliter implora, quàm de te præsumas.

Zacch. 13. 7.

Punct. III. Conf. 1. Christum deinde præmonere eos de gravissima persecutione instante, & cùm hactenus iis præsens de necessariis prospexerit nunc abiturum se permittere, ut sibi prospiciant non tantùm de cibariis, sed etiam armis, ne fugæ suæ prætexant se à Christo non fuisse præmonitos 2. Optima arma ipsis deinde suadere assumenda exemplo suo, nempe orationem.

SECTIO II.

PRÆFATIO

Ad Meditationes in Passionem Christi.

PAssio Christi sicut omnibus hominibus ex parte sua profuit ad salutem, ita & omnibus quoties in mente piè proponitur, fructum confert singularem; tum in via purgativa peccatoribus, ut ad Deum seriò convertantur, & incipientibus, ut pravos affectus vincant: tum in illuminativa proficientibus, ut in virtutum studio strenuè progrediantur: tum in unitiva perfectis, ut affectu puri & ardentis amoris Deo adhæreant. Neque enim ea dolorem tantùm excitat & compaßionem, sed & gaudium & gratulationem de fructu uberrimo inde in omnes emanante: ideoq; expendenda erit à nobis humiliter, utpote qui tantis cruciatibus caussam peccando dederimus, & confidenter ob infinitam ejus clementiam & misericordiam, & constanter exemplo ejus usque ad mortem.

PUnct. I. Conſ. 1. *Quis eſt qui patitur?* dignitate Deus, qui maieſtate replet cœlum & terram, homo nobilis ex ſtirpe Regia Davidis, conceptus de Spiritu ſancto in utero Virginis, intellectu doctiſſimus, voluntate ſanctiſſimus, qui neminem umquam verbo læſit, ſed factus nobis omnibus omnia, Pater Magiſter, Medicus, Redemptor, Paſtor, & Sponſus animarum, converſatione integerrimus, forma corporis ſpecioſus præ filiis hominum, complexione tenerrimus. 2. *Quid patitur?* in rebus externis, ſpoliatus veſtibus: in honore, contumeliis ſatiatus: in fama, traductus ut ſeductor, blaſphemus, poſſeſſus à dæmone, magus, & ab omnibus deſertus: in corpore toto acerbiſsimè cruciatus per omnia membra, per quinque ſenſus, *à planta pedis uſque ad verticem capitis, non eſt in eo ſanitas.* Acceſſere ad hæc dolores interni ſine ullo ſolatio, ut apparuit ex agonia & ſudore ſanguineo. Iſ. 1. 6.

Punct. II. Conſ. 1. *Pro quibus hæc patitur, & quare?* Pro omnibus, & ſingulis hominibus, etiam inimicis ſuis & crucifixoribus, ut pro illis ſatisfaceret divinæ iuſtitiæ, eriperet illos de æternis inferorum ſupplicijs, ac viam aperiret ad gloriam cœleſtem, eoque media certiſsima & ſuaviſsima iis compararet. 2. *A quibus patitur?* ab iis quos præ ceteris in populum ſibi chariſsimum elegerat, quos beneficiis infinitis cumulaverat: à ſummis, mediis, & infimis: à ſacerdotibus, & profanis: quorum ingratitudinem, internam rabiē, odium, & invidiam inſpiciebat. 3. *Quando, & ubi?* Toto tempore vitæ ſuæ, quo paſsionis ſuæ tormenta ſemper ante oculos habuit: ſed potiſsimùm, quando hæc ei illata ſunt, in flore & vigore ætatis, pleno die, eoque feſto, quo annuam memoriam liberationis è ſervitute Ægypti recolebant: extra urbem, velut eo indignus: in frequentiſſimo hominum concurſu. 4. *Quomodo?* ſeu quo affectu paſſus ſit, nempe profundæ humilitatis, obedientiæ, manſuetudinis, & ardentiſſimæ charitatis, qua ultrò ſe hoſtibus obtulit, & crucem amplexus eſt, ac paratus fuit plura ſuſtinere, quàm ipſi licet infeſtiſſimi poſſent inferre.

Punct. III. Conſid. Fructus ex paſſionis hujus memoria, eſſe pios affectus voluntatis; quales ſunt 1. *Compaſſio,* qua dolores Chriſti animo noſtro percipimus. *Si compatimur, ut & conglorificemur.* 2. *dolor de peccatis*, quæ illi cauſſam attulerunt tam acerbæ paſsionis. 3. *Imitatio* tum in ferendis ſimiliter adverſis, tum in virtutibus conſectandis *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus.* 4. *Gratiarum actio*, qua recolentes malum depulſum, & bonum collatum, illum laudemus, veneremur, & caveamus iterum offendere. 5. *Spes* erigitur redemptione adeò copioſa. 6. *Amor* denique, cùm ipſe nos prior dilexerit, non verbo tantum, ſed opere & veritate, ampliſsima nobis bona contulerit graviſsimo ſuo incommodo, pro quibus omnibus non petit niſi amorem reciprocum.

Rom. 8. 17
1. Pet. 2. 21.

Anno 34. Martij 24 in horto. **II. Oratio Christi in horto. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.**

PVnct. I. *Egressus Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, venit secundùm consuetudinem in prædium, cui nomen Gethsemani*, ad radicem montis Olivarum. Consid. 1. Eadem via olim Davidem mœstum abiisse fugitiuum à persecutione filij Absalonis, ac per torrentem designari afflictiones hujus vitæ, ad eas in Christo recolendas, & in nobis sustinendas, quò cum discipulis ab ipso invitamur. 2. Iussis discipulis in villa subsistere, & orare, *assumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem secum*, tres ferventiores, quos priùs testes assumpserat suæ trãsfigurationis; unde apparet chariores Christo præparari ad maiores afflictiones. 3. *Et cœpit pavere, & tadere, contristari, & mœstus esse.* Pavor seu formido illi erat mali imminentis, mortis acerbissimæ; tædium seu fastidium, rerum omnium, cùm se videret ab omnibus etiam cœlesti Patre desertum; tristitia ob peccata Iudæorum, & nostra: mœstitia denique seu anxietas, eò quòd videret malum ineluctabile. Tu Christum roga, ut pro his doloribus conferat tibi in afflictione fortitudinẽ, alacritatem, gaudium, & securitatem. 4. *Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem.* Aperit illis internam animi tristitiam, à qua passionem suam auspicari voluit, eò quòd peccatum communiter ab illicita animi oblectatione exordium capiat.

2. Reg. 15. 13.

Matt. 17. 2.

Punct. II. Et progressus pusillum, positis genibus, procidit in faciem suam super terram. Consid. 1. Reverentiam Christi in oratione ad Patrem cœlestem, eumque hîc depressum pondere peccatorum nostrorum, velut reum capitis, & indignum qui cœlum suspiciat, exprimere abiectissimam conditionem peccatoris. 2. *Et ait: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ostendit fiduciam in paterna clementia, resignationem in re maximè ardua, ac naturæ infirmitatem. 2. *Et iterum secundò & tertiò oravit eundem sermonem*, eadem fiducia ac resignatione. Vnde disce etiam in afflictione sic ad orationem confugere, nec animum dejicere, si non statim exaudiaris. 3. *Et venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes.* Cons. quomodo & tu etiam sæpè torpeas in re divina, dum Christus pro salute tua est solicitus, quare & corripit eos; *Sic nõ potuistis una hora vigilare mecum?* Attingit brevitatem temporis, quo hîc nobis laborandum est, & præcavet in futurum; *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*, succumbentes peccato.

Punct. III. Et factus in agonia prolixiùs oravit. Consid. 1. certamen fuisse in Christo inter appetitum superiorẽ subdentem se nutui Patris, & inferiorem horrentem tormenta mortis, unde disce quomodo etiam tibi certandum sit. 2. *Et factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terrã.* Expende hîc æstum angoris, qui è membris Christi hunc sanguineum sudorem tam copiosè expressit, ac dole de peccatis tuis sic Christum prementibus. 3. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortãs eum*, proponendo ei voluntatem Patris cœlestis, ejus gloriam, & fructum animarum inde secuturum.

III. *Christus Iudæ osculo proditus, comprehenditur.* Matt.26. Marc.14. Luc.22. Ioan.18.

P*Unct.* I. *Ecce Iudas unus de 12. cùm accepisset cohortem, antecedebat eos, & venit cum laternis, & facibus, & armis.* Consid. 1. Rem meritò mirandam, discipulum Christi factum ejus proditorem, Principem priùs Ecclesiæ nunc latronum, Magistrum virtutis nunc esse nequitiæ: quare cave confidere in donis à Deo acceptis, quorum rationem scias à te exigendam, & argue tuam ingratitudinem. 2. *Et accedens ad Iesum, dixit: Ave Rabbi. & osculatus est eum*, idque de more gentis, in salutatione; sed signo pacis & amicitiæ abutitur perfidus ad bellum & proditionẽ. 3. *Dixitq; illi Iesus: Amice, ad quid venisti?* Amicum appellat, quia talis antè fuerat, eoq; iterum invitat, ac docet nos, etiam iniurias æquo animo ferre, & inimicos diligere. *Ad quid venisti?* quò miseriarum redactus es? *Osculo Filium hominis tradis?* Proponit illi ob oculos suscepti criminis enormitatem, ut flectat ad pœnitentiam.

Punct. II. *Et processit Iesus, & dixit: Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Qui dicit eis: Ego sum.* Consid. 1. Christum hîc ultrò se hostibus offerre pro salute nostra, nos quæramus dum illum inveniamus, & invento adhæreamus. 2. *Vt dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram*, resupini in tergum repulsi vi vocis Christi, de qua S. August. *Quid faciet iudicaturus, qui iudicandus omnes verbo prosternit?* 3. Iterumque eos interrogans, subdit; *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Vbi Consid. solicitam boni Pastoris pro ovibus suis curam, quarum salutem præponit suæ.

Punct. III. *Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt, & ligaverunt eum.* Cons. 1. Eos nec lapsu suo, nec Christi mansuetudine edomitos, velut rabidos canes, lupos, & leones in ipsum insilire, & vincula ei injicere, qui venerat solvere vincula pravitatis nostræ, quibus detinebamur rei mortis æternæ. 2. Discipulos, ac nominatim Petrum pro Magistri defensione pugnantem cohibet pluribus rationibus, tum quia, inquit, *omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt* quare cave à privata vindicta: tum quia confidere se aït in Patre cœlesti. *An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi* pro. 12. discipulis *plusquam* 12. *legiones Angelorũ?* tum ut impleat ejusdem voluntatem, *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* cujus voluntas est, ut vincat non feriendo, sed ferendo; quare etiam Malcho Caiphæ servo aurem à Petro abscissam mox tactu restituit. 3. *Et dixit ad turbas: Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis: sed hæc est hora vestra*, tempus breve vobis concessum ad salutem vel, damnationẽ *& potestas tenebrarum*, seu malignorum spirituum. 4. *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt*, metu humano, sed inexcusabili, contra promissum suum, & contra officium ac observantiam Magistro debitam. Disce hinc non confidere in hominibus, qui sæpè in hac vita, semper autem in morte, nos deserunt: Sed Christum roga ne te unquam deserat.

IV. Christus

IV. *Christus ducitur ad Annam & Caipham, ibiq; alapâ percutitur, & à Petro negatur.* Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

PUnct. I. *Et adduxerunt eum ad Annam primùm*, socerum Caiphæ Pontificis, idq; e in transitu, ut præda, qua gloriabantur, etiam oculos ejus oblectaret: inde trahentes & petulanter impellentes, *duxerunt eũ ad Caipham, ubi scribæ & seniores convenerant.* Tu Christo compatere, ambulanti vias difficiles, ut complanaret tibi viam regni cœlestis; & cave ne consentias consiliis malignantium. 2. *Pontifex autem interrogavit Iesum de discipulis suis, & de doctrina. Qui respondit: Ego palàm locutus sum mundo*, neminem excludens; *& in occulto locutus sum nihil*, quia nihil erat quod lucem formidaret: *Quid me interrogas?* ex fiducia bonæ conscientiæ remittit eum ad testimonium hostium suorum; attende hîc puritatem doctrinæ Christi, ac de ea ex discipulis libenter exquire, ut imiteris. 3. *Hæc cùm dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes pontifici?* Fuit hæc alapa crudelis, ignominiosa Christo, & acerba, quia cum plausu excepta; quare ejus hîc peculiaris fit mentio inter plures Christo inflictas: tu verò Christi & aliorum monita benignè accipe. 4. *Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis?* Reponit Christus modestè nullo se verbo Pontificis auctoritatem læsisse. Mirare & imitare hanc Christi constantiam, pacem & mansuetudinem.

Punct. II. Petrus verò sedebat foris in atrio deorsum: quem cùm vidisset una ancilla calefacientem se, dixit: Et hic cum illo erat. Et tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens: Non novi illum, neque scio, neque novi quid dicas. Cons. 1. hîc humanam fragilitatem, & disce non præfidere de viribus tuis, dum vides cecidisse columnam Ecclesiæ: attende etiam non solis verbis,
Tit. 1. 16. sed & maximè factis Christum negari ab iis qui *confitentur se nosse Deũ, factis autem negant.* 2. *Et vidit illum, alia ancilla*, cui idem objicienti, *negavit cum iuramento: Quia non novi hominem.* inde tertium interrogatus, *cæpit anathematizare, & detestari, quia nescio hominem illum quem dicitis.* Vbi Consid. Petrum in peccatum lapsum profundiùs labi, à simplici negatione, ad periurium, inde ad execrationem: quare cave superari à diabolo, & principiis occurre.

Punct. III Et continuò gallus cantavit: & conversus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Iesu quod dixerat: Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Cons. 1. benignitatem Christi in suos, qui tot malis oppressus curam discipuli non deponit, sed cohibet eum ne vlterius ruat in præcipitium, aspiciendo eum oculo misericordiæ. 2. *Egressus foras Petrus flevit amarè*, non ex timore, sed amore quòd ingratus tam bonum Magistrum tam graviter offendisset; quare in peccatum lapsus noli te excusare cum Adamo, sed age pœnitentiam cum Petro, qui, teste S. Clemente, toto vitæ tempore semper post primum galli cantum ad orationem consurgens, somno non amplius indulsit.

V. Christus in domo Caiphæ falsò accusatur & condemnatur. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

PUnct. I. *Principes sacerdotum, & omne consilium quærebant falsum testimonium adversus Iesum, ut eum morti traderent, & non invenerunt.* Consid. 1. Integritatem vitæ & doctrinæ Christi, in qua nec hostes ejus infensissimi, invidia & ambitione depravati vel apparentem criminis speciem potuerunt deprehendere. *Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio*: Tu sic vive cum Christo, ut nihil etiam in te reprehendi possit, ac nominatim cave ab omni falsitate & detractione. 2. *Novissimè verò venerunt duo falsi testes, & dixerunt: hic dixit possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud, & non erat conveniens testimonium illorum.* Tam verba, quam mentem Christi falsificaverant: & de iis inter se dissentiebant, ac neuter dignum quid morte proferebat: *Cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire*: tu cave Christi aut aliorum verba in pravum sensum detorquere. Ps. 63. 7. Ps. 20. 12.

Punct. II. Et exsurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Iesum dicens: nihil respondes ad ea, quæ adversùm te testificantur? Iesus autem tacebat, & nihil respondit. Consid. 1. Tacere Christum, tum quia nolebat se tueri vi verborum, tum quia videbat conscientiam ipsorum ipsis pro se respondere, ac responsa sua, ut mox patuit, in calumnias trahenda, sed potissimùm, ut nobis exemplum daret calumnias in silentio & oratione Deo committendi: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* 2. *Rursum summus sacerdos ait illi, adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei, qui dixit illi: tu dixisti, ego sum.* Paucis & clarè respondet Christus esse se eum de quo quærebant, idque ut reverentiam tribuat tum nomini divino, in quo adjurabatur, tum etiam auctoritati Pontificiæ. 3. *Veruntamen à modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Confirmat veritatem dicti sui, ne avertantur ob speciem externam viliorem, & significat eos experturos se aliquando supremum Regem & Iudicem. Ps. 108. 4.

Punct. III. Tunc summus sacerdos scidit vestimenta sua, dicens: blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? Consid. 1. Sollemne fuisse Iudæis in malo graviori occurrente vestes scindere, quo significabant tum animi dolorem, tum malum illud bonorum & honoris iactura vindicandum: tu pariter animum scinde, dum audis Regem tuum sanctissimum insigniri titulo blasphemi 2. *At illi omnes respondentes dixerunt: reus est mortis.* Atque hæc prima fuit Christi condemnatio ab his, in quos tot beneficia contulerat: mirare illorum malitiam, & Christi modestiam. 3. *Et illudebant ei, & expuerunt in faciem ejus, & velaverunt eum, & colaphis eum cæciderunt, & palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit.* Consf. hic soluto concilio, à ministris certatim diris modis sævitum in Christum, ubi dixerat se esse filium Dei, idemque & tibi expectandum, ubi virtutum morumque imitatione te filium Dei monstraveris.

VI. Iudas desperat, & Christus traditur Pilato. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 22. 23. Ioan. 18.

PVnct. I. *Et confestim mane facto convenerunt omnes Principes Sacerdotum, & seniores populi, & scribæ adversùs Iesum, ut eum morti traderent.* Consid. 1. Summo mane iterum coacto pleno concilio in domo Caiphæ Christum hîc iterum examinari, agnoscere se filium Dei, & ob hoc iniquissimè damnari, sicut unde resipiscere illi debuerant, inde magis obfirmentur, & concludant auctorem vitæ esse reum mortis: ita agunt qui ex Dei misericordia inferunt majorem peccandi libertatem. 2. *Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit* 30. *argenteos Principibus sacerdotum, & senioribus dicens: peccavi tradens sanguinem iustum.* Explevit hic tres partes pœnitentiæ, doloris, confessionis, & satisfactionis, sed defuit spes veniæ, eam tu numquam depone, proposita infinita Dei clementia. 3. *At illi dixerunt quid ad nos? tu videris.* Hæc merces est eorum qui peccant in gratiam aliorum, qui serviunt mundo, carni, ac dæmoni, nempe ut contempti deserantur. 4 *Et proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit: & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.* Hæc fraus est dæmonis, ante peccatum malitiam extenuare, post verò exaggerando in desperationem adducere. Consid. Cruciatum malæ conscientiæ, & infelicem exitum eorum qui à fide aut regilione deficiunt, frustrantur cum Iuda cælestibus bonis & terrenis.

Act. 1. 18.

Punct. II. Et tradiderunt Iesum Pontio Pilato Præsidi: ipsi autem non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur. Conf. 1. Timere eos immunditiem ab ingressu prætorij, & non timere immunditiem ab iniusta occisione Messiæ, *excolantes culicem, & camelum glutientes.* 2. *Exivit ergo Pilatus ad eos dicens: quam accusationem adfertis adversus hominem hunc? qui responderunt ei: si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Conf. arrogans responsum Iudæorum, dum suam falsam & inanem accusationem sufficere volunt sine discussione caussæ. 3 *Cœperunt autem illum accusare dicentes: hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse*, hæc tria erant accusationum capita, è quibus priora duo erant manifestè falsa. Non subvertit ille quemquam sed convertit ab errore ad viam salutis; ac de regno suo iterum à Pilato interrogatus, respondit: *regnum meum non est de hoc mundo*, simile regnis mundanis, situm in pompa exteriori.

Matt. 1. 24.

Punct. III. Iterum exivit Pilatus ad Iudæos dicens: ego nullam invenio in eo caussam, morte dignam. Conf. 1. Innocentiam Christi à gentili Præside probatam, tu sic vive, ut nihil in te inveniatur reprehensibile, & caussam in eo vnicam agnosce, peccata tua. 2. Conf. Iudæis instantibus accusationi, Pilatum urgere Christum: *non audis quanta adversum te dicunt testimonia? Iesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur præses vehementer.*

VII. Christus

VII. Christus ab Herode illuditur & Barrabæ postponitur. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18.

Punct. I. Pilatus audiens quod Iesus Galilæus esset, remisit eum ad Herodem, qui viso Iesu gavisus est valde; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Consid. 1. Herodem valde optasse videre Christum, ex desiderio non salutis sed curiositatis: sic multi malunt audire iucunda quæ sensus oblectant, quàm salutaria quæ animum moveant. 2. *Interrogabat autem Herodes eum multis sermonibus, at ipse nihil respondit.* Quia ille intentione non recta movebatur, noluit Christus curiositati ejus servire: disce hinc non effutire verba inutilia, nec respicere vultum potentis, cum pluris sit apud Deum pannosus humilis, quàm purpuratus superbus. 3. *Sprevit autem Herodes illum cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum,* notans eum ambitionis, & stultitiæ, qui coram Rege in defensione caussæ suæ nihil diceret: at verum signum vestis illa erat ejus innocentiæ, qua meruit nobis vestem immortalitatis, contemptu suo honorem, & illusione cælestem sapientiam: discamus ab illo etiam probra & illusiones patienter sustinere.

Punct. II. Consf. 1. Pilatum remisso Iesu ab Herode, magis incubuisse in ejus liberationem, ideoque contestatâ iterum ejus innocentiâ, se ad plebem, cui Christum gratiorem sciebat, convertisse, *Est*, inquit, *consuetudo vobis ut dimittam vnum in Paschate, quem vultis dimittam vobis, Barrabam, an Iesum, qui dicitur Christus?* ubi attende fuisse eam consuetudinem in lætam & gratam memoriam redempti populi hoc tempore ex servitute Ægypti, quo ipsi liberationis suæ auctorem perdere conantur. 2. Consid. Christum purissimum vitæ omnis fontem, ac publicum benefactorem hîc conferri cum seditioso homicida flagitijs infami, ne tu graviùs feras, dum quid de honore tuo detrahitur.

Punct. III. Principes autem sacerdotum, & seniores concitaverunt turbam, & persuaserunt populo, ut peterent Barrabam, Iesum autem perderent. Consf. 1. Quantùm valeat apud subditos auctoritas superiorum in utramque partem, virtutis aut vitij, atque hinc hos apud illos prævaluisse. 2. *Et exclamaverunt omnes simul: tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam.* Probrosum fuit Christo comparari cum Barraba, sed longe turpius eidem postponi: disce hinc cæcum & perversum populi iudicium, qui spretis summis bonis pessima eligunt: Christum verò neminem habuisse patronum. 3. *Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?* verba sunt humani timoris cedentis justitiæ. *At illi clamabant crucifigatur, crucifige, crucifige eum. Pilatus verò dixit ad illos tertiò: quid enim mali fecit iste? nullam caussam mortis invenio in eo: at illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur, & invalescebant voces eorum.* Consid. toties repeti innocentiam Christi, ut memineris eum non sua, sed tua peccata luisse: expende quàm acriter pupugerint animum ejus hæ voces poscentes eum ad tam crudele & ignominiosum genus mortis.

P*Unct. I. Videns Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, acceptâ aqua, lavit manus coram populo dicens: innocens ego sum à sanguine iusti hujus, vos videritis.* Cons. 1. Pilatum cærimonia gentilibus ac Iudæis solemni, contestari innocentiam suam, eò quod Christum invitus damnet ad mortem; sed innocens esse non potest qui damnat innocentem: nec crimen conscientiæ aqua abluitur, sed dolore & lacrymis. 2. *Et respondens universus populus dicens: sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Consid. cæcum furorem Iudæorum, non negant Christum esse iustum, sed qualemcumque poscunt ad morrem, & ut Præsidi timido animos addant, ultro se offerunt ad omnes pœnas, quarum gravitatem tunc ignorantes, postea abunde experti sunt: tu imprecare tibi, ut sanguis Christi sit super te, & omnes actiones tuas in sanctificationem & remissionem peccatorum. 3. *Tunc Pilatus volens populo satisfacere, adiudicavit fieri petitionem eorum.* Maluit populo satisfacere, quam iustitiæ & conscientiæ suæ, sic faciunt qui ex respectu humano in Deum peccant.

Punct. II. Et tradidit eis Iesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur. Cons. 1. Morem fuisse apud Romanos, ut ad mortem damnatos, nominatum crucifigendos priùs flagellis cæderent, ut hæc nudi corporis deformatio tolleret in spectatoribus sensum turpitudinis, cum viderent omnia plena miseratione: quæ sententia hic in Christum fuit iniqua, quia lata in innocentem, & ignominiosa quia tantùm in mancipia & servos ferri solita, & crudelis
Ps. 37. 17. quia iussit eum Pilatus sic duriùs excipi, ut Iudæorum corda flecteret ad
Is. 68, 5. misericordiã; acceptavit tamen eam Christus æquo animo. *Quoniam ego in flagella paratus sum. Et quæ non rapui, tunc exsolvebam* 2. Cons. Congregatam ad hoc opus vniversam cohortem militum 666. qui Christum ab omnibus amicis desertum velut agnum in medio luporum deducunt in atrium Prætorij, ibique vestibus nudant: expende verecundiam, ut vestiat te veste gratiæ & gloriæ quam toties reiecisti: inde columnæ adstringunt, ut soluat te vinculis peccatorum.

Punct. III. Quam acerba fuerit Christo hæc flagellatio, tum ab instrumentis, quæ feruntur fuisse triplicia, virgæ spinosæ, nerui indurati, & catenæ ferreæ, tum ex corporis exhausti tenerrima complexione, tunc à tortorum sibi succedentium sævitia, & diaboli suggestione ad exprimendam impatientiam, tum à verberum multitudine, quæ ad 5400. feruntur
Is. 1. 6. accessisse: unde *à planta pedis usque ad verticem capitis non erat in eo sanitas.* 2. Cons. Christum, toto corpore lacerum, & sacro sanguine suo velut imbre perfusum, dolenter queri: *Popule meus quid feci tibi, aut in quo contristavi te, responde mihi*, indeque ad te conversum subdere, se his flagellis expiare delicta sua, idque unum petere, ut caveas in posterum, & minora incommoda pro salute tua patienter suo exemplo sustineas.

XI. *Christus spinis coronatur, & palam proponitur.* Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

PVnct. I. *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Consid. 1. Christum vix resumptis vestibus iterum exutum, easque plagis recentibus adhærentes cum acerrimo dolore revulsas, & iniectam illi chlamydem coccineam seu purpuream, vt quod aliis honoris insigne esset, cederet illi in irrisionem & contumeliam. 2. *Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus.* Non erat satis amori Christi pati communia & usitata, novis suppliciis castigare in se voluit nova studia nostra in sectandis pravis cupiditatibus. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua,* gens Iudaica, non tantùm ad opprobrium ut Regem vanum, sed etiam ad immanem cruciatum, spinis fortiter impressis fodicantibus sacrum caput, sic ut cranium penetrantes novos sanguinis rivos elicerent: confer hic studia tua honorum & commodorum. Cant. 3. 11.

Punct. II Et posuerunt arundinem in dextra ejus, idque pro sceptro in signum regni ejus vani & ludicri, *& genuflexo ante eum illudebant ei, dicentes: ave Rex Iudæorum.* Cons. 1. Hunc esse quem cœlestes Principes omnes reverenter adorãt, & omnes in extremo die omnium dominum agnoscẽt. 2. Quem ut vanum regem irriserant, deinde ut vile mancipium indigne tractant: *Expuentes in eum, percutiebant caput ejus arundine, & dabant ei alapas,* ipse verò patienter & humiliter ferebat omnia, nemine compatiente, sed omnibus ex spectaculo risum & voluptatem captantibus. 3. Cons. Christum hîc miserrimè deformatum produci à Pilato foras populo ostentandum: *Ecce homo.* ille *speciosus forma præ filiis hominum*: Iam non habet speciem hominis, *Vidimus eum & non erat aspectus.* Non tamen hisce mota sunt indurata corda Iudæorum: quare tu saltem Christo ab omnibus deserto compatere. Ps. 44. 3. Is. 53. 2.

Punct. III. Cons. 1. Pilatum persistentibus Iudæis in poscendo Christo ad supplicium crucis, iterum ipsum interrogasse, cumque responsum ab eo non acciperet indignanter subiecisse: *Mihi non loqueris?* Potestatem intentanti Christum non pro se, sed pro Patris gloria reponere: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Vbi attende superbos facile in iram erumpere. 2. *Iudæi autem clamabant dicentes: si hunc dimittis non es amicus Cæsaris.* Quod falsis accusationibus obtinere non possunt, minis & incusso metu extorquent: tu cave humano metui succumbere. 3. Instantibus Iudæis: *Tolle, tolle, crucifige eum, dicit Pilatus: Regem vestrum crucifigam? responderunt: non habemus Regem nisi Cæsarem.* Consid. Discrimen inter Christum Regem cœlestem, & Reges terrenos, illum benignum & mitem, ac effusa in omnes charitate: hos sæpè difficiles, superbos, ac graves, proinde insanam Iudæorum electionem; Tu Christo totum te regendum trade.

X. *Christus crucem portat ad locum supplicij.* Matt.27.Marc.15. Luc.23.Ioan.19.

P*Unct.I. Et susceperunt Iesum milites, & exuentes eum chlamyde coccinea, induerunt vestimentis suis.* Consid. 1. Pilatum iterum victum humano metu, sicut damnaverat Christum innocentem ad flagellationem, ita & nunc desertum ab omnibus tradere tortoribus ad supplicium crucis, vide quò hominem præcipitet timor humanus: acquievit velut ovis Christus, ne tu desertus à Deo tradereris dæmonibus. 2. Christum iterum nudatum magno castissimi cordis rubore, & purpura à concreto sanguine novo dolore vulnerum revulsa, suis vestibus indui, ut toto vultu sputis, sordibus, & sanguine oppletus, & ignotus, saltem ex vestibus agnosceretur: tu ad portandam crucem Domini exue te priùs affectibus inordinatis, & indue mores ac virtutes Christi, ex quibus agnoscaris ejus discipulus.

Punct. II. Et baiulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum. Cons. 1. gravissimam trabem crucis humeris Christi teneris & vi tormentorum exhaustis impositam, id quod nulli latroni fieri solet, sed in ea
Isa.53.6. maximè illum pressisse peccata nostra: *Posuit Dominus in eo iniquitatem nium nostrûm.* Aspice eum sæpius in via tremulis genibus cespitantem, impingentem, & cadentē. 2. *Exivit* civitate tanquā indignus qui in ea moreretur. *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Fugiamus
Heb.12. 13. sæculi vanitates, & quæramus eum in quiete conscientiæ, in contemptu, paupertate, & afflictione. 3. *Exeuntes autem invenerunt hominem quemdam Cyrenæum nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* Cons. Iudæos permotos non pietate sed crudelitate, ut Christum graviori supplicio reservarent, eoque iter accelerarent, adegisse gentilem forte obvium ad ipsum sublevandum, quo significatum est crucem Christi à nobis ex gentilitate cōversis etiam ferendā, licet carne relictante, in martyrio, affli-
Luc.9. 23. ctione & tribulatione: *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucē suam,* sibi propriam, *& sequatur me,* æquanimitatem meam, & charitatem.

Punct. III. Sequebatur autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum, ad quas conversus Iesus dixit: filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Cons. 1. Vetare hîc Christum lacrymas inutiles humanæ commiserationis, probare verò pias commiserationis Christianæ, sed præferre compunctionis, quibus peccata deleantur: tu attende quo affectu Christum sequaris. 2. *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt.* Significat mortem hanc suam iniustam adeo graviter vindicandam, ut mulieres optaturæ sint non genuisse, ne cogantur cernere & tolerare mala eventura. 3. *Quia si in viridi ligno hæc faciant, in arido quid fiet?* Si filium innocentem & dilectū sic excipiat cœlestis Pater ob peccata aliena, quid faciet servo improbo & contumaci ob peccata propria? Timè igitur, & dum tempus est, eum lacrymis placa.

XI. Chri-

XI. *Christus crucifigitur inter latrones.* Matt.27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

P*Vnct.I. Et ubi venerunt in locum Calvariæ, dederunt ei bibere vinũ myrrhatum cum felle mixtum.* Consid. 1. Christum ascensum hunc montis, licet corpori exhausto permolestum, tamen constanter perfecisse, ut ne pigeret te cum illo montem hunc, & religiosæ perfectionis ascendere, & hunc elegisse suppliciis infamem ut ostenderet se morte sua mortuos vivificaturum. Attende hîc quomodo carnifices mox crucem adaptent, clavos, malleos, & funes expediant, Christo omnia oculis benignè spectante; sic & tu Christo crucem paras, quoties animæ tuæ ad imaginem ejus creatæ per peccata locum paras in inferno. 2. Oblatum illi poculum de more reorum, non tamen ad solatium, sed novum cruciatum, quia vinum insolentiâ militum mixtum erat myrrha, felle & aceto: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto:* ut sic nullus sensus dolore vacaret; gustavit, ut absorberet amaritudinem animæ nostræ, eam curaret, & reficeret vino mero gratiæ suæ, & cœlestis gloriæ. 3. *Et cum gustasset noluit bibere,* ut ostenderet displicere sibi barbaram crudelitatem, & se solam peccati pœnam non verò maculam in se admittere, idemque nos facere doceret: Vinum felle mixtum Christo offerunt, qui opera bona inficiunt prava intentione. Ps. 68. 22.

Pnct. II. Et ibi crucifixerunt eum. Conf. 1. Supplicium hoc crucis, licet verbo tantùm expressum ab Evangelistis, pleniùs tamen colligi posse ex odio Iudæorum, & oraculis prophetarum; nam inclementer vestes illi detrahunt, renovatis vulneribus, nudum exhibent, petulanter in lignum crucis humi positum dejiciunt, manum unam foramini applicant, eique clauum malleo impingunt, inde & similiter alteram vi extensam, pariter & sacros pedes. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea:* sic ut locis suis reuulsa, & compage membrorum soluta conspici palam possent. 2. Conf. Arborem crucis hâc sacrâ hostiâ vestitam in altum attolli, & magno impetu in fossam demitti: expende hîc acerbos Christi dolores, & ignominiam, dum omnium oculis nudus pleno die exponitur, aspice defluentes è manibus & pedibus sanguinis rivos, & opta cum ipso cruci affigi. Ps. 21. 18.

Punct. III. Et crucifixerunt cum eo duos latrones, unum à dextris, & alium, à sinistris, medium autem Iesum, & impleta est scriptura quæ dicit: & cum iniquis reputatus est. Conf. Malitiam Iudęorum, qui hâc ignominiâ nomen Christi delere studebant, sed Christus convertit eam ad maiorem gloriam suam ac salutem nostram, cum innocentia ejus inter duos latrones clariùs eluxit, & hoc ipso ostendit se imposterum versaturum in medio peccatorum, spem illis se facere reconciliationis, etiam in hora mortis, si opem suam supplices imploraverint. Is. 53. 12.

XII. De

XII. De titulo Crucis. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

P*Vnct.* I. *Scripsit & titulum caussæ eius Pilatus, & posuit super crucem eius, Hebraicè, Græcè, & Latinè, Iesus Nazarænus Rex Iudæorum.* Consf. 1. Pilatum hoc titulo voluisse omnibus exponere caussam mortis Christi, quod reus esset læsæ Majestatis, ob regium honorem sibi iniquè arrogatum, ac proinde ipsum se sic purgare voluisse de regni æmulo damnato, si forte apud Cæsarem traduceretur: tu cave cum Pilato placere hominibus contra Deum & conscientiam. 2 Christum verò hunc titulum assumpsisse, ut ostenderet se non ut noxium hoc supplicio affectum, sed quia *Iesum*, omnium Salvatorem, quod nomen in circumcisione impositum hic complevit, quia *Nazarenum* virtutum omnium floribus ornatum, quia *Regem* benignissimum ac clementissimum omnium se confitentium: quare illi te regendum totum committe, ac roga ne alium præter se sinat tibi dominari. 3. Sicut ludimagistri solent valuis domus suæ præfigere titulum disciplinæ quam tradunt, ita & Christum hoc titulo ostendere se è cathedra crucis docere nos viam ad salutem.

Punct. II Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, & eorum Pontifices dicebant Pilato: noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum, respondit Pilatus: quod scripsi scripsi: Consf. 1. Multos Iudæos hæc sacra verba legisse, sed alios cum risu & contemptu, sicut & nunc hæretici Ecclesiæ cærimonias excipiunt, alios oscitanter & obiter, ut languidi Catholici, paucos verò cum sensu pietatis, qui soli participant de fructu passionis. 2. Quia hic titulus tolo orbe erat celebrandus, & crux ipsa Regum frontibus imprimenda, ideo primum risu & conuicijs erat excipienda, sicut vas æneum ac aureum priùs luto fædatur quam niteat, sic & tu maiori fulgebis gloria, ubi prius contemptum pro Christo & cum ipso sustinueris. 3. Pilatum titulum quidem hunc posuisse, sed nutu divino, ac propterea non mutandum. Stabit gloria crucis & regnum Christi, quantùmvis malevolis obstrepentibus: tu titulum hunc, & signum crucis tibi in Sacramento baptismi & confirmationis impressum constanter retine, vota etiam deo oblata cave infringas, mundo, carni ac dæmoni aliud suadentibus similiter responde: *quod scripsi, scripsi*, ac Deum roga ut nomen tuum seruet inscriptum libro vitæ.

Punct. III. Consf. 1. Caussam cur Christus hoc genus mortis præ alijs elegerit, nempe quia nullum hoc diuturnius, ignominosius, & saluti nostræ accommodatius: ut velut hostia in altum sublata mediatorem se poneret inter Patrem cœlestem & genus humanum, ut dæmones in aëre regnantes deturbaret aut viribus frangeret, ut nos eminus oculis quæreret, & venientes expansis brachijs exciperet. 2. Consid. Illum ibi tribus clavis confixum, ut Deum omnium dominũ, qui *appendit tribus digitis molem terræ*, Is. 49. 12. ut sacerdotem magnum, Principem Pastorum, & Episcopum animarum nostrarum, doctorem veritatis, ducem ac bellatorem fortissimum.

XIII. De

XIII. De divisione vestium. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

PUnct. I. *Milites cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem.* Conſ. 1. Paupertatem Chriſti, qui non habebat veſtes mutatorias, nec precioſas, ſed pauculas & viles, ad tegendam nuditatem, & pellendum frigus neceſſarias: quare cave in ijs ſectari ſuperfluitatem, aut vanum ornatum. 2. Conſ. liberalitatem ſponſi tui, qui cùm iam dediſſet tibi corpus, & ſanguinem, & florem ætatis, nunc bona externa quæ habet, veſtes pauculas etiam donat, nihil ſibi reſeruans niſi clavos & ſpinas: Ecce divitias ſponſi tui, qui *non habet ubi caput reclinet,* Luc. 9. 58.
niſi ſpinoſum cervical: tu nudus etiam ad Chriſtum propera, ac vide quid te detineat. 3. Conſ. ſcommata militum dividentium veſtes in partes quatuor, ac ridentium ornatum velut Regis ludicri, eoque ſignificari gratiam ejus ſufficere ad quatuor mundi plagas exornandas: tu Chriſto nuditatem tuam expone.

Punct. II. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Conſ. 1. Tunicā hanc fuiſſe opus Deiparæ, quam filio infantulo contexverat, ipſo deinde creſcente pariter creſcentem, nec diuturno uſu detritam, quod vtrumque filijs Iſraël in deſerto contigiſſe Scriptura teſtatur: unde diſce Deut. 29. 5.
immodicam curam de veſtibus deponere. 2. Hac integritate veſtis deſignari integritatem Eccleſiæ, ad mundi finem in vnitate fidei, ſub uno viſibili Capite perſeveraturam; licet enim externa Chriſti veſtimenta dividantur, varia nempe piorum hominum inſtituta, opiniones, & ritus; Eccleſia tamen Chriſtum proximè attingens ſeparationem non patitur; quare cave ab ea excidere. 3. Conſid. duas fuiſſe militum ſortitiones, alteram de tunica inconſutili, alteram de partibus veſtium; priore ſignificari donum fidei ſingulis integrum dari, altera particulares gratias occulto Dei iudicio velut ſorte diſtributas.

Punct. III. Et milites quidem hæc fecerunt. Conſid. 1. Chriſto in tormentis orante, Matre ejus gladium doloris patiente, amicis ejus piè lugentibus; milites aleas & ſortes tractare, atque ita etiam nunc ſubinde improbos genio ſuo & pravis affectibus indulgere, dum Chriſti cruciatus ab Eccleſia proponuntur. 2. Sicut militibus illis ſacræ Chriſti veſtes permiſſæ ſunt, ita & nunc impiè contrectari à peccatoribus divina myſteria, & quæ piè vtentibus cedunt in ſalutem, illis cedere in majorem damnationem. 3. *Et ſedentes ſervabant eum,* caventes ne vel ſolatio leniretur, vel à diſcipulis, aut præſtigijs dæmonis ſupplicio eriperetur: tu Chriſtum attente obſerva, & gratiā ejus in corde tuo diligenter cuſtodi, ne dæmonis fraude tibi eripiatur. 4. *Et ſtabat populus ſpectans.* Alij irridentes, alij oſcitanter, pauci piè contemplantes: tu accede promptus ad ejus ſolatium, & omnem ejus nutum exequendum, ſpecta dolores toto corpore diffuſos, audi opprobria, tange vulnera, & guſta abſconditum ſub illis manna.

XIV. *Christus in Cruce illuditur.* Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.

P*Unct. I. Et prætereuntes blasphemabant eum moventes capita sua, & dicentes: vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, salva teipsum, si filius Dei es, descende de cruce.* Consid. 1. Christũ in cruce illusum fuisse ab omni hominum genere, à Iudæis & gentilibus, sacerdotibus & laicis, senatu & populo, atque à nobis illudi per quodvis peccatum, cum mandata ejus transgredimur, promissa & minas contemnimus, ac consilia negligimus: sed & ego, inquit, *in interitu vestro ridebo, & subsannabo.* 2. Blasphemabãt eum, tum gestibus ludicris moventes capita: *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput*: Tum verbis, ludificantes ejus miracula, & personam filij Dei, sic ut cùm peccata in eo non inveniret, criminarentur beneficia. 3. Consid. Immensam Christi charitatem, constantiam, & patientiam, qui nec lacessitus impiorum opprobriis, nec provocatus piorum lacrymis induci potuit, ut crucem quam tui amore semel conscenderat, desereret. Vnde & tu disce constantiam, ac cave, ne vel ad iniurias vindicandas, vel ad illicitas voluptates sectandas, crucem Christi amore semel susceptam deseras, quantùmvis mundo & carne, & diabolo provocante, cujus hæ voces sunt: *Descende de cruce: mitte te deorsum.*

Prov. 1. 26. Ps. 21. 8. Matt. 4. 6.

Punct. II. Similiter & Principes sacerdotum cum scribis & senioribus illudentes ad alterutrum dicebant: alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere, si Rex Israël est descendat nunc de cruce, & credimus ei, confidit in Deo, liberet nunc, si vult; eum, dixit enim, quia filius Dei sum. Cons. 1. Quam graviter hæ voces pupugerint cor Christi, cum soleant maledicta in calamitosos coniecta ipsa calamitate esse acerbiora, & quidem ab iis quos id minimè decebat: ubi attende peccata Ecclesiasticorum, & superiorum exẽplo suo alios plures in lapsum trahere. 2. Exprobrant Christo impotentiam se salvandi, præsumptam Regis dignitatem, vanam in deo fiduciam, & inane nomen filij Dei, sic ut ea quæ honorem Christo conciliare debuerant, malitiosè convertant in opprobrium, & quem adhuc infantẽ Magi gentiles supplices muneribus venerati sunt, Deum, Regem, & Hominem, ipsi iam miraculis celebrem, sannis & contumeliis excipiant. 3. Cons. Erroneas eorum & pessimas collectiones; nam ideo non salvat seipsum, ut morte sua nos salvos faciat: ideo non descendit de ligno crucis, ut ab eo regnet: ideo non liberatur à Patre, ut nos liberemur.

Punct. III Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Iudæorum salvum te fac. Cons. 1. Hos vilissimos milites etiam factis & verbis Christo illudere, propiùs accedere nudum inspecturos: *ipsi verò consideraverunt, & inspexerunt me.* Ac misericordiæ ejus dulcedinem aceti & peccatorum nostrorum amaritudine aspergere. 2. Cons. Non agnosci ab impiis salutem nisi temporalem hujus vitæ & corporalem cum brutis communem: at verò pios spectare salutem spiritualem, & æternam in cœlo cum Angelis.

Ps. 21. 18.

XV. De

XV. De Primo verbo Christi in cruce: Pater dimitte illis. Luc. 23.

PVnct. I. *Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis.* Consid. 1. Christum in extremis tormentis solatio omni destitutum, insuper & probris ac convitijs lacessitum non petere ignem de cœlo cum Elia, nec maledicere irrisoribus suis cum Noë & Elisæo, sed primùm in silentio pro ijs cœlestem Patrem interpellare, inde & clara voce, quam in caussa propria iustissima, cum omnium admiratione suppresserat, nunc caussam eorum & nostram iniquissimam agere, iuxta præceptum suum: *diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* 2. Cons. dixisse eum hîc verba, brevia quidem, sed neruosa, & expende, quis ea dixerit: filius Dei ad Patrem, ubi: in ara crucis, quando: proximus morti, quomodo: expansis manibus, cum clamore valido, lacrymis, & sanguine manante, pro quibus: pro crucifixoribus & omnibus peccatoribus, ac palam omnibus, quid petit: remissionem peccatorum. Matt. 5. 44.

Punct. II. Expende verba singula. *Pater* non vtitur nomine Domini, quod iustitiæ est, sed Patris, quod est misericordiæ, monetque ipsum esse communem omnium Patrem, & quia infinitè benignus & clemens est, non potest filio suo adeo morigero tam suppliciter & ardenter poscenti remissionem denegare:, quam unicam petit obedientiæ suæ, laborum, ac dolorum mercedem. 2. *Dimitte.* Fungitur simul officio sacerdotis, orantis pro peccatis populi, quorum remissionẽ petit non gratuitam, sed oblatâ plenâ satisfactione & copiosâ redemptione, nec differi petit, sed nunc concedi ad unicum solatium antequam expiret: *Quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.* Vnde & tu disce proximo absolute, plene, & citò ignoscere. 3 *Illis*, non ait iniquis, scelestis, adversariis, hostibus, crucifixoribus, carnificibus, sed *illis* omnibus, qui peccatis suis caussam mortis ei dedissent vel daturi essent, quibus & tu comprehenderis, quare fiduciam in Christo adauge. Ps. 101. 14.

Punct. III. Quia nesciunt quid faciunt. Consi. 1. Christum licet Iudicem omnium à Patre constitutum, & graviter læsum, non tamen hîc Iudicis aut accusatoris partes agere, sed defensoris ac patroni, & dum Iudæi laborant ut inveniant quod accusent, laborare ipsum ut eorum manifesta crimina excuset, nec invenire nisi ignorantiam voluntariam, adeoq; inexcusabilem: unde disce delicta proximi non aggravare, sed extenuare. 2. Licet scirent Iudæi se male agere, nesciebant tamen peccatorum suorum gravitatem, ac debita iis suppliciia, quæ *si cognovissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, quod & locum habet in omni peccatore. 3. Christum *exauditum pro sua reverentia*, pro merito suæ dignitatis, & submissione qua preces offerebat; nam cohibuit Deus omnes creaturas, ne ad ulciscendam Domini sui necem in hostes insurgerent, & mox plures tundentes pectora ad ipsum conversi sunt. 1. Cor. 2. 8. Heb. 5. 7.

XVI. *De secundo verbo Christi in cruce,* Domine memento mei. Matt.27. Marc.15. Luc.23.

PVnct. I. *Vnus de his qui pendebant latronibus blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, saluum fac te ipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Consi. 1. Blasphemias & opprobria hîc in Christum coniecta, etiam primùm ab utroque latrone cum illo pendente, sed uno converso, alterum in malo perseverasse, cujus æternus interitus cor Christi magis affligebat, quàm tormenta crucis. Vbi attende eos qui malè viuunt, communiter malè mori: *Vt qui dum viveret, obliviscebatur Dei, etiam moriens obliviscatur sui.* 2. Consid. in perverso latrone apparere ex ejus verbis defectum veræ fidei, ac spei; non enim quærebat salutem æternam, sed temporalem: tu hac postpositâ ad æternam desideria dirige. 3. Consid. bonum latronem, insigni patientia, & charitate Christi, qua pro crucifixoribus oraverat, permotum, plus profecisse paucis horis in cruce, quàm multi per annos plures. 4. Verba ejus expende: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Socium peccantem cum charitate corripit, & quidem priùs quàm sibi aliquid petat, incutit timorem divini judicij, & peccata ob oculos ponit, inde & sua agnoscit, iisque supplicia debita: *Et nos quidem iustè; nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit.* Confer hîc cum cruciatibus Christi innocentissimi, tuos leviores.

August.

Punct. II. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Consid. 1. Ejusdem crucis & afflictionis varios fructus pro diversa hominum conditione; mali enim dum flagellis indurantur, resipiscunt boni: unde fit Deum sæpè in hac vita parcere malis, ne graviùs peccent, & affligere bonos, ut in virtute proficiant. 2. Expende verba: *Domine* vox reverentiæ est & submissionis, quâ se in mancipium consecrat, *memento mei* non petit regnum, sed solùm benignam sui memoriam; neque enim meminisse potest Christus, & deesse: *dum veneris in regnum tuum.* Firma fide Regem agnoscit, non terrenum, aut temporalem, sed cœlestem & æternum, cujus favorem sperat.

Punct. III. Dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Consi. 1. Christum ad latronis perversi blasphemias nihil respondisse, ut doceret nos opprobria patienter ferre; boni verò resipiscentiam palàm laudasse, ut omnibus peccatoribus faceret spem veniæ. 2. Expende verba, *Amen dico vobis,* ego veritas æterna palàm affirmo *tibi*, seriò pœnitenti, *sed qui pœnitenti addixit veniam, non addixit peccanti tempus pœnitendi. Hodie,* non differt mercedem, ut appareat crucis efficacia, *mecum eris in paradiso,* ut qui in cruce & pugna fuisti socius, sic etiam, socius in gloria, & triumpho, cum clara contemplatione divinæ naturæ. Attende hîc Christi liberalitatem, qui latroni pro brevi pœnitentia, promptè, ultra quàm petierat, regnum promisit.

August.

XVII. *De tertio verbo Christi*, Mater ecce filius tuus. Joan. 19.

PVnct. I. *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophæ, & Magdalena.* Consid. 1. Fugientibus Apostolis, paucas pias mulieres usque ad crucem fuisse Christum secutas, atque inter eas Deiparam ceteris ferventiorem, non curiositate vel levitate permotam, sed puro amore erga dilectum filium, ut ei in extremis, siquid posset, obsequij vel solatij adferret. 2. Voluisse Christũ Matrẽ suam huic spectaculo humanæ redemptionis interesse, ut ipsa in amorem Dei ardentiùs provocaretur, & nostrum pariter patrocinium susciperet, tum ut ne ipsa Sanctorum omnium Regina tam illustri Martyrij corona fraudaretur. 3. Expende verba, *Stabant iuxta crucem Iesu.* Non igitur virgo deses sedebat, nec languida jacebat, nec vaga discurrebat, sed stabat ad reverentiam filij, erecta & forti in eum fide, parata ejus nutus exequi, mortem etiam pro nobis oppetere. Tu roga virginem matrem, ut tibi morienti etiam assistat, tuasque tunc sublevet angustias.

Punct II. Cùm vidisset ergo Iesus Matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Cons. 1. Ordinatam charitatem in verbis Christi; nam primò pro salute peccatorum Patrem oravit, inde bona spiritualia promisit latroni, post hæc Matri temporale præstat solatium: unde disce priùs de spirituali solatio proximi solicitus esse, quàm ad temporalia curam convertas. 2. Cons. quibus oculis Christus Matrem amantissimam conspexerit, & hæc vicissim illum, quæ utrimque interna cordis alloquia, quibus & tua iunge. 3. Consid. Ioannem compellare se hîc non proprio nomine, *sed discipulum, quem diligebat Iesus*: ut & tu Dei in te charitatem, & collata beneficia semper grato animo ob oculos habeas. 4. Expende verba, *Mulier.* non Matrem appellat, ne cor ejus hac dulci amoris voce graviùs vulneret: *Ecce*, iniqua permutatio; pro filio Dei substituitur filius piscatoris, *filius tuus*, quem ego, & in quo fideles omnes ut filios dilexi, eos & tu mei amore, eodem habebis loco: unde monemur nos ad maternum ejus sinum in necessitate confidenter confugere.

Punct. III. Deinde dixit discipulo: Ecce Mater tua. Cons. 1. Ioanni, qui amore Christi, patrem & matrem in iuventute deseruerat, longè præstantiorem hîc Matrem substitui, ad complendum centuplum à Christo promissum, & in prœmium castitatis, & constantiæ in passione Christi. 2. *Ecce* summum beneficium, ut Deus & homo communem habeat Matrem. *Mater tua*, & omnium fidelium, quam omnes venerentur, diligant, & observent, & per quam omnium preces suscipiam. 3. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, officia nempe & obsequia, sollicitus nequid illi deesset, ac lætus tali Matre.

XVIII. De Quarto verbo Christi. Deus meus, ut quid dereliquisti me? Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.

PVnct. I. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam, & obscuratus est sol.* Consid. 1. Solem in passione Christi obscuratum, & densis tenebris orbem totum involutum, quo significaretur indignitas necis Christi, quam Sol & Luna atque elementa omnia aversarentur ac lugerent, nosque ad luctum pariter provocarent, tum ut significarent Christum verum solem iustitiæ occumbere, & tenebras Iudæorum interiores, atque exteriores criminibus illorum præparatas. 2. Cons. Modum hujus obscurationis, descriptum à S. Dionysio teste oculato, non solùm lunam plenam solique oppositam subito motu ad solem accessisse, seque radiis ejus interposuisse, sed & ipsi soli lumen divinitus subtractum, sic ut pleno die stellæ viderentur, quo significabantur mundani homines instar lunæ mutabiles, deoque per scelera sua oppositi, ad Christi patientis gloriam obscurandam accurisse, eamque etiam à cœlesti Patre per substractionem omnis hnmani solatij obscuratam, vnde postea gloriosior resurgeret: tu Christum roga ut verum lumen fidei & gratiæ in anima tua conservet.

Punct. II. Et circa horam nonam clamavit Iesus voce magna, Eli Eli lamma sabacthani, hoc est Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me? Consid. 1. Christum moribundos & natantes in lacrymis oculos in cœlum attollere, ac clamore suo, voce magna, & divini nominis ingeminatione indicare vehementiam affectus. 2. *Deus meus, Deus meus.* Non Patrē compellat, ne de eo queri videatur, sed personam exprimit peccatoris, ut & tu depositâ superbia addiscas humilitatem. *Meus*, licet omnis creaturæ Deus sis, meus tamen peculiariter multis nominibus, tum ob peculiaria beneficia à te in me collata, tum ob peculiarem cultum & amorem à me semper erga te vicissim exhibitum. 3 *Vt quid dereliquisti me?* Non caussam quærit, nequid obedientiæ perfectioni deroget, sed modeste queritur de gravissimo malo, quo premitur, cui ipse caussam nullam dederit, idque ut posteris constet de vero atque acerrimo suo doloris sensu, sine ullo humano solatio propter nos vilissimos servos redimendos, solandos, & recreandos: tu Deum ora, ne te in morte potissimùm derelinquat, ideoque cave eum in vita derelinquere.

Punct. III. Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant: Ecce Eliam vocat iste. Consid. 1. Romanos milites Hebraicæ linguæ imperitos audita subinde à Iudæis mentione Eliæ, ac deceptos vocum affinitate existimasse inclamatum ab eo Eliam, indeque novam captasse occasionem ludibrij. 2. Totis illis tribus horis tenebrarum hæsisse omnes ibi attonitos, sine motu & voce, sed sensim luce redeunte, impios ad convicia redijsse.

XIX De

XIX. *De Quinto, & sexto verbo Christi:* Sitio. Consummatum est.
Matt. 27. Marc. 15. Ioan. 19.

P*Unct. I. Sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit sitio.* Consid. 1. Christum iam tribus horis in cruce pendulum, sub finem tenebrarum & vitæ suæ significasse sitim suam corporalem, cum à cœna pridie omnem prope humorem & sanguinem exsudasset, ac reliquum in flagellatione & coronatione effudisset; laboribus, ac doloribus exhaustus, unde ait: *aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis.* Non petit refocillari, sed tantùm necessitatem repræsentat: ita & tu, tuam repræsenta Deo & superiori, ac disce ejus exemplo gulam frenare. 2. Voluisse Christum significare nobis potissimùm sitim suam spiritualem, erga salutem animarum, & nostram cujusque emendationem & perfectionem, quam à vitæ exordio ardenter susceptam, & factis semper prodidit, & verbis declaravit apud Samaritanam: *da mihi bibere.* Secumque in cælum detulit, ibi etiam salutis nostræ negotium acturus; sitiebat insuper pro eadem plures cruciatus sustinere. Ps. 68. 22. Ps. 21. 16. Ioan. 4. 7.

Punct. II. Vas ergo positum erat aceto plenùm, & continuò accurrens unus ex eis spongiam plenam aceto, hyssopo circumponens, obtulit ori ejus. Cons. 1. pronitatem hominum in malum, qui vel minima occasione oblata continuò accurrunt ad peccandum, diabolo media promptè suggerente: unde hi Christo in extremis negantes & vini solatium, reis tunc dari solitum, & aquæ guttam, acetum porrigunt: quod admittit ipse, ut nobis amara convertat in dulcia, mortem in vitam, opprobria in gloriam. 2. Consid. Christum qui venerat curare superbiam nostram sua confusione, avaritiam paupertate, libidinem tormentis, iram patientia, invidiam charitate, acediam alacritate, voluisse etiam gulæ nostræ hanc medicinam abhibere.

Punct. III. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit consummatum est. Consid. 1. Christum in illis tormentis mente lustrasse scripturas, num quid à se prætermissum esset ex decretis ab æterno Patre, vel circa ipsum in observatione legis & executione muneris impositi, vel circa se in laboribus & afflictionibus toto corpore & anima sustinendis, vel circa nos in erectione novæ Ecclesiæ cum novo sacrificio & Sacramentis: ac cognoscentem omnia fideliter adimpleta, nec restare nisi ut cursum suum morte consummaret, palam declarasse, *consummatum est.* Vnde disce etiam in observatione regularum, in sustinendis incommodis, & zelo erga proximum constanter usque ad mortem perseverare. 2. In fine vitæ etiam dicendum tibi: *consummatum est*, transierunt cōmoda, honores, & voluptates, etiam incommoda, & opprobria, expiravit tempus bene merendi. Vtinam tunc dicere possis: *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi,* ut addere possis: *reposita est mihi corona iustitiæ.* 2. Tim. 4. 7.

Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

PVnct. I. *Et iterum clamans voce magna, ait.* Consid. 1. Christum iam moribundum iterum vocem attollere ad Patrem cœlestem, ut ostendat vehementiam amoris, obedientiæ, & desiderij erga salutem nostram, ac se esse dominum vitæ & mortis, iamq; peractam victoriam. Tu non tam vocis contentione, quàm cordis affectu in precibus tuis pulsa aures divinas & cum Christi precibus tuas coniuge. 2. *Patrem* compellat, sicut & in primo verbo orans pro peccatoribus, in signum fiduciæ & filialis affectus, atque hoc postremo insinuat se mansisse filium semper fidelem in tantis tormentis & opprobriis, nec de pietate aut charitate quidquam remisisse; redire se iam ex legatione difficili, ex bello cruento victorem, spoliis gravem, atque ad triumphum, gloriam, & regni hereditatem adspirare. 3. *In manus tuas*, divinæ tuæ misericordiæ & iustitiæ, *commendo spiritum meum*, non opes terrenas, honores, aut sanitatẽ, sed spiritum victorem, ut deducas eum ad spoliandos inferos, & coërcendos dæmones; eumque die tertio resuscites. Ubi attende omnes fideles spiritu Christi imbutos hîc simul commendari, ut divinis quasi manibus conserventur, formentur, & perficiantur, ne quisquam eos rapiat de manibus illis. Et ego bone Iesu spiritum meum in manus tuas quotidie, sed potissimùm in extremo agone commendo.

Ps. 30. 6.

Punct. II. Et inclinato capite tradidit spiritum. Cons. 1. Solere morientium verba, vultus & gestus ab adstantibus observari, ac posteà mente versari; quare & tu, in cujus gratiam filius Dei hanc mortem oppetiit, ad hanc crucem accede, omnia oculis mentis attende, & frequenter recole. 2. Cons. Eum prius caput inclinare tanquam vltro moriturum, idque in signum submissionis, & obedientiæ erga Patrem, & quia gravatum pondere peccatorum meorum, utque offerat mihi amplexum, & osculum pacis, ut in aurem loquatur, commendaturus præcepta sua, & consilia. 3. Prius dedisse eum vestes, honorem, & famam, etiam corpus, & sanguinem; tandem nequid ad plenam felicitatem desit, tradere etiam animam suam, ut totus sit noster, & tu vicissim totus sis ipsius.

Punct. III. Cons. 1. Christum non solùm supplicia, sed etiam mortem sustinere voluisse, ut se per mortẽ Deo sacrificium immolaret, ut per eam novum testamentum suum, & Sacramenta confirmaret, ut mortem æternam tibi debitam à te averteret. 2. Cons. mortuum fuisse ætate florente, ut florida omnia tibi offerret, & vicissim ne tu vitæ emendationem differres in aridam senectam, sed iuveniles annos etiam ipsi consecrares. Expende hîc solatium datum peccatoribus, dum qui ætate, morbo, aut animo languidi gravibus pœnitentijs pro peccatis suis satisfacere non possunt, habent in promptu Christi pœnas, sanguinem & mortem, quibus Deum placent.

XXI. *De signis in morte Christi* Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

PUnct. I. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum.* Consid. 1. Christo moriente, omnes creaturas velut displosis tormentis strepitum & fragorem edidisse, quo & gratularentur illi partam de hoste victoriam, & pertinacibus Iudæorum animis terrorem incuterent, offerentes se ad criminum eorum ultionem. 2. *Velum templi scissum est*, vt significentur mysteria legis veteris nunc tandē sublato velo in aperta luce refulgere, patefactum aditum in sanctum sanctorum, nempe regnum cœleste, tum ut significetur tēplum ipsum lugere Iudæorum crimina, & in eorum detestationem velum seu vestimenta scindere: discamus hinc & nos memoria mortis Christi cor dolore scindere, ac sublato velo excusationum, interiora nostra confessario manifestare, ne ea postea sine ullo fructu ad maiorem confusionem omnibus revelentur.

Punct. II. Et terra mota est. Consf. 1. Terram contremuisse horrore tanti flagitij, & quia diabolus Princeps hujus mundi magno impetu in gehennam præcipitabatur, sed potissimùm ut & terrenum cor nostrum cōmoveretur ad pœnitentiam. 2. *Et petræ scissæ sunt*, ut significarentur corda nostra saxis duriora, sanguine Christi emollienda, sicut durities adamantis sanguine hirci emollitur: ubi observa completum hic quod Christus respondit Pharisæis petentibus supprimi plausus populi die Palmarum: *Quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*, dum hac sua scissione testimonium dant divinitatis Christi. 3. Si nos, qui quovis peccato mortali Christum crucifigimus, non conteramur, nec Christo patienti compatiamur, ostendere nos esse terrā magis insensibiles, & petris duriores, Luc. 18. 40.

Punct. III. Et monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt: & post resurrectionem ejus introierunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis. Consf. 1. Significari hîc Christum morte sua apertis inferorum portis, sanctos Patres ibi pluribus sæculis detentos liberos emisisse, & iustorum corpora sic etiam surrectura aliquando ad gloriam: 2. Sanctos illos resurgente Christo, etiam resumptis corporibus apparuisse multis, ut essent veri ejus testes, qui eadem facilitate corpus suum recens mortuum, qua illorum corpora in cineres redacta ad vitam revocavit, ut & tu in omnibus angustiis Deo confideres, ac tuam etiam ab eo resurrectionem sperares. 3. Consf. his quinque signis contineri fructus dominicæ Passionis, quos in anima peccatoris operatur; nam disrupto velo ignorantiæ & errorum apparet veritas doctrinæ Christi & divini iudicij: terrena corda salutari timore commoventur ad pœnitentiam, Saxea & indurata emolliuntur: aperiuntur intimæ sordes confessario: & animus restitutus vitæ gratiæ dignus fit ingressu in civitatem sanctam cælestem.

XXII. *Converſio Centurionis, cum ſuis.* Matt. 27. Matt. 15. Luc. 23.

P*Unct. I. Videns Centurio qui ex adverſo ſtabat, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, quia ſic clamans expiraſſet, & viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde.* Conſ. 1. Quàm cito exerat vires ſuas mors & ſanguis Chriſti, tam efficaci oratione pro peccatoribus Deo Patri oblatus: unde & tu ſpem concipe eum tibi in neceſſitatibus non defuturum, qui carnifices ſuos ad pœnitentiam revocavit. 2. Conſ. Quinam primi à morte Chriſti ad ipſum convertantur, nempe gentiles, quia ad hos Eccleſiam ſuam transferre ſtatuerat, milites, carnifices, homines infames, ut videas quales ad ſe primùm attraxerit, nec eſſe flagitium tam grave cui non ſit paratus ignoſcre: Romani; quia decebat Romanã Religionẽ, quæ Eccleſiam univerſam erat moderatura, Chriſto ſub ejus cruce dicari. 3. Conſ. & imitare modum converſionis hujus Centurionis: ſta ex adverſo, attendens diligenter Chriſti mores, vitam & verba: audi ejus pro te & ad te clamorem, ac deſiderium ſalutis: vide terram ceteraſque creaturas motu ſuo teſtari divinam ejus Majeſtatem, ut & te ad pœnitentiam commoveat. 4. Cum centurione etiam converti ejus milites, unde collige quantum valeat exemplum ſuperioris apud ſubditos. Omnes autem *timuerunt valde, quia initium ſapientiæ timor Domini.* Eccli. 1. 16.

Punct. II. Et glorificaverunt Deum dicentes: verè hic homo iuſtus erat, verè filius Dei erat iſte. Conſ. 1. Infinitam bonitatem Chriſti, qua crudelitatem hoſtium ſuorum convertit in manſuetudinẽ, & opprobria, in gloriam ſuam prædicandam, quod munus eſt Angelorum. 2. Illos *corde* crediidiſſe *ad juſtitiam*, cum per fidem *timuerunt valde*, *ore* confeſſos *ad ſalutem* Chriſtum eſſe hominem iuſtum & innocentem, ac filium Dei. 3. Conſ. Ingens miraculum, dum gentiles eum hominem Deum, & ſupremum numen agnoſcunt, quem videbant infami & atroci morte extinctum, ac præ plagarum immanitate vix referre ſpeciem hominis: quare & tu eum roga, ut mortis ſuæ merito fidem tuam confirmet & augeat. Rom. 10. 10.

Punct. III. Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant, ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur. Conſ. 1. Hoſce terræ motu, aliiſque ſignis permotos, ut venerari & colere inciperent, quem priùs ſpreverant: ut diſcas plures per adverſa ad Deum converti, quàm per proſpera. 2. Si ad te derivari volueris fructum Dominicæ Paſſionis, propoſitâ peccatorum gravitate eſſe cor dolore tundendum, & aſſumenda ſigna pœnitentiæ. 3. *Stabant autem noti ejus à longè, & mulieres multæ, quæ ſecutæ erant eum à Galilæa, miniſtrantes ei:* Conſ. Quomodo Chriſtus amicos ſuos & benefactores remuneretur, ut nempe tribulationes ſuſtineant, & in iis uſque ad mortem perſeverent: ſtant, à longè, quia exigua eſt crux noſtra ſi cum cruce Chriſti comparetur: tu Chriſtum roga ut te cruce ſua inſignitum adiungat numero amicorum ſuorum.

XXIII. De

XXIII. De aperto latere Christi. Ioan. 19.

PVnct. I. *Iudæi ergo, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura & tollerentur.* Consid. 1. Suspensos in ligno de more & lege sub vesperam donari solitos beneficio sepulturæ, quia noverat supremus legislator Deus filium suum eo mortis genere perimendum, ideoque voluit & socios ejus in hoc supplicio ejusdem beneficij esse participes: unde tu disce Christo ac bonis adhærere, ut cum ipsis de mercede communices. 2. Ad hoc rogandum permotos Iudæos non observantia legis, sed honoris sui, ob sequentis diei festivitatem, & ut Christum citius ac novo tormento extinguerent, atque ex oculis plebis tollerent, quam videbant per prodigia compunctam: ubi adverte malitiam semper crescere, & inde obdurari unde simplices compunguntur. 3. Consid. utrumque latronem commune sustinuisse supplicium & accepisse beneficium, sed bonum peccata sua supplicio delevisse, ac gloriam sibi æternam etiam Martyrij comparasse: alterum verò addidisse æterna supplicia gehennæ: tu exemplo boni latronis afflictiones tuas suscipe in satisfactionem peccatorum, Deumque roga cum S. Augustino. *hîc ure hîc seca, modo in æternum parcas.* Deut. 21. 23.

Punct. II. Ad Iesum autem cum venerunt, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua. Consf. 1. Immanitatem hujus vulneris, quo latus non percussum, sed apertum est, ea amplitudine ut S. Thomas manum suam ei inserere potuerit. Expende hîc caussam cur Christus iam mortuus sic excipi voluerit, ut ostenderet se morte sua nihil de amore remisisse, sed paratum iterum & sæpius pro salute nostra pati, ut ad cordis sui intima, quasi per ostium in latare arcæ nos invitaret: quare constituam mihi hic tria tabernacula in pedibus ejus in manibus, & latere ad corrigendos ibi gressus meos, opera & cogitationes. 2. Consid. per sanguinem & aquam significari sacramentum baptismi, in quo corpus abluitur aqua, & anima sacro ejus sanguine. Gen 6.16. Matt. 17. 4.

Punct. III. Facta sunt hæc, ut scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo. Consid. 1. dictum hoc, sed figuratè de Agno Paschali, primariò autem de Christo, significari hîc non comminuendum os ejus, nempè divinitatem, neque in humanite ejus animi fortitudinem, patientiam, charitatitem, neque Ecclesiam ejus aut fideles, quantùmvis affligendos, sed fore in omnibus invictos. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* 2. *Et alia scriptura: videbunt in quem transfixerunt*, nempè in extremo Christi adventu, cum omnes etiam impij videbunt venientem Iudicem, bonis exhibentem viscera misericordiæ, ipsis verò impijs exprobrantem & vindicantem crimina: tu ea nunc vide ad compunctionem, ne postea videas ad opprobrium. Ex. 12. 46. Ps. 33. 21. Zacch. 12. 10.

XXIV. *Christus de cruce deponitur.* Matt.27. Marc.15. Luc.23. Ioan.19.

P*Unct.I. Cum serò factum esset, venit quidam homo dives, ab Arimathia civitate Iudaea nomine Ioseph, qui erat nobilis decurio, vir bonus & justus, qui & ipse discipulus erat Iesu, occultus tamen propter metum Iudaeorum.* Cons. 1. Christum qui hora diei nona, sive tertia pomeridiana spiritum emiserat, minimùm tribus horis in cruce pendulum mansisse, ut se cruci affixum non solùm vivum, sed etiã mortuum oculis & animis omnium spectandum exponeret, tantumque beneficium numquam ex animo tuo deponeres. 2. Cons. Insignem Dei providentiam, qua deiparæ de filij sepultura sollicitæ, ne sacrum corpus indignè tractaretur, submisit in tempore virum, qui ad hoc polleret opibus, valeret auctoritate, & pietate ferretur. 3. Cons. viri hujus conditiones, erat enim dives, nobilis, & decurio seu senator, & iustus, sed meticulosus: unde collige talenta naturæ sternere quidem viam ad Deum, siquis recte ijs utatur, sed ea sæpe dæmonis fraude metum humanum incutere, quo minùs ausint Deum palam confiteri: tu stude hunc metum humanum superare, memor non carpi rosas divinæ gloriæ, sine puncturis metus humani.

Punct. II. Hic non consenserat consilio & actibus eorum, quia expectabat & ipse regnum Dei: & audacter introivit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Cons. 1. Tres alias insignes dotes in hoc Iosepho, quas convenit & te imitari, si concredi tibi velis corpus Iesu: fuge malorum consortia, adspira sæpius inter afflictiones hujus vitæ ad cælestem patriam, & perfice confidenter ac constanter ea quæ spectant Dei gloriam. 2. Cons. Miram obedientiam Christi, qua sicut ad mandatum Patris cœlestis crucem ascenderat, ita nec deponi inde voluit, nisi annuente Magistratu sæculari. Attende etiam eximium ejus in nos amorem, quo post datum nobis sanguinem, vitam, & animam, etiam corpus post mortem ad solatium nostrum per Iosephum dare voluit.

Punct. III. Ioseph autem mercatus sindonem tulit corpus Iesu, & deponens involvit illud in sindone munda. Cons. 1. Quanta veneratione & reverentia pius ille senator ad crucem Christi accesserit, manibus suis clavos evulserit, & sacrum corpus mortuum de cruce sustulerit, S. Ioanne, pijsque mulieribus auxiliantibus; quo sensu pietatis deipara illud in sinum suum exceperit, & contemplata fuerit, expende hic hujus singultus, suspiria, lacrymas, & oscula vulneribus impressa. 2. Cons. Sindone munda designari conscientiam mundam à peccatis, qua corpus Christi iam gloriosum in S. Communione excipiendum est, quam si non habeas, eme pretio pœnitentiæ. 3. Nullam hîc fieri mentionem ministrorum, ut scias viros sanctos opera pietatis libenter, & per se obire, non verò per manus famulorum: aliàs cavendum ne ij qui ea per se obire dedignantur, etiam per se excludantur à cælesti gloria.

XXV. *Christus sepelitur.* Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

P*Vnct. I. Venit autem & Nicodemus ferens mixturam myrrhæ, & aloës quasi libras centum, & acceperunt corpus Iesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Consid. 1. Quantùm profecerit Nicodemus ex effuso Christi sanguine, priùs enim veniebat nocte, nunc palam, tunc præter quæstiones nihil adferebat, nunc pretiosa ad fert aromata, & officium exhibet sepulturæ: unde & tu disce ex passione Christi in virtute proficere, omnemque metum humanum superare. 2. Oblata hæc munera à Nicodemo corpori Christi, eiq; grata accidisse, ut & tu ea quæ spectant Dei cultum pro viribus præstes, promoveas, ac collaudes, caveas verò cum Iuda carpere: *Vt quid perditio hæc?* 3. Consid. coronam spineam multis ramis capiti impressam reverenter evelli, corpus vulneribus lacerum diligenter ablui, subiecta pelui, & sanguinis grumas ut sacras reliquias colligi ac magna cura asservari. 4. Corpus studiose lotum mundatum, & aromatibus conditum linteis involvi, ligari manus ne te puniat, pedes ne ad vindictam properet, velari vultum sudario, ne aspiciat fœditatem peccatorum tuorum.

Ioan. 3. 2.

Matt. 26. 8.

Punct. II. Erat autē in loco, ubi crucifixus est, hortus & in horto monumentū novū, quod exciderat Ioseph in petra, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo posuerunt Iesum, & advoulit Ioseph saxum magnum ad ostium monumenti. Consid. 1. Sacrum hoc corpus deferri ad sepulchram vicinū monti Calvariæ, prosequente matre cum paucis piis mulieribus, comitantibus Angelis pacis amarè flentibus, quibus & tu te adiunge. 2. Cons. Quale fuerit hoc sepulchrum, *in horto*, quia per mortem Christi patefactus nobis est reditus ad hortum deliciarum, unde per peccatum Adæ excideramus. *Excisum è petra*, ut perpetuum extaret monumentum mortis ejus ac resurrectionis. *Nouum, in quo nondum quisquam positus erat.* Vt ipse omnia innovans solus sepulchrum cordis tui possideret, nec alteri in eo locum dares. 3. Consid. Christum in ven. Eucharistia involutum sindone specierum, condendum in sepulchro animæ nostræ, quæ per varias virtutes referat horti amœnitatem, per constantiam firmitatem petræ, per puritatem à peccato nulli alteri Domino sit obnoxia.

Punct. III. Erant autem ibi Maria Magdalena, & Maria Ioseph sedentes contra sepulchrum: & mulieres quæ cum eo venerant de Galilæa, aspiciebant ubi poneretur corpus Iesu. Consid. 1. dolorem piarum mulierum, atque imprimis Deiparæ, quando à conspectu suavissimi Domini sui debuerunt avelli, quare & tu etiam ab ipso in oratione cum sensu pietatis recede. 2. Sicut mulieres illæ sederunt contra sepulchrum, attendentes ea quæ gerebantur, ita & tibi in angustiis tuis fugiendum ad corpus Christi in Eucharistia, ibique velut ad sepulchrum, passionem ejus ac mortem piè meditandum, tam quam unicum afflictionibus tuis remedium & solatium.

XXVI. De custodia sepulchri. Mat. 27.

Punct. I. Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum dicentes: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens, post tres dies resurgam, iube ergo custodiri sepulchrum, ne veniant discipuli ejus. & furentur eum, & dicant plebi, surrexit à mortuis, & erit novissimus error pejor priore. Consid. 1. Impia studia malignorum ad obscurandam gloriam Christi, & quidem in tanta festivitate, qua oportebat illos cum Deo agere, de salute animæ, ac gloria Christi promovenda. 2. Christum vocari hîc seductorem, quasi ipse homines ad errorem aut malum seduxerit, cùm tamen omne studium ejus fuerit in abducendis hominibus ab errore ad lucem veritatis, à peccatis ad studia virtutum, à spaciosa via inferni ad angustam semitam regni cœlestis: quare nouum tibi aut durum non sit cum Christo calumnias pati ob studia virtutum. 3. Christum etiam mortuum timeri ab impijs, quantò magis timebitur viuus, & veniens cum maiestate iudicaturus vivos & mortuos: ubi attende timorem duplicem, alterum salutarem, quo percutientes pectora sua solliciti sunt de vitæ emendatione, illumque in te exprime: alterum vanum & inutilem, quo impij decretis Dei adversantur, eaque nituntur frustra infringere, quem tu declina.

Punct. II. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite, sicut scitis. Consid. 1. Pilatum cum semel cœpisset Iudæis consentire in mortem iniquam Christi, etiam hîc consentire illis in danda custodia: unde collige eum qui semel suggestionibus dæmonis, & consiliis improborum cœpit aurem & animum accommodare, ægre deinde se inde subducere, prout experientia quotidie docet. 2. Hac diligenti custodia sepulchri maximè illustratam fuisse gloriam Christi, cum inde rumor resurrectionis deinde latiùs sparsus sit, & omnis suspicio furti per discipulos sublata: atque ita etiam illustrior fiet virtus tua, dum à malignis impetitur.

Punct. III. Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus. Cons. 1. & expende hanc adeò diligentem custodiam; nam saxum sigillo munierunt, nequa fraus à quopiam fieret, & copiosum numerum militum adhibuerunt, ut certiùs vim omnem averterent. 2. Cons. Quo studio & vigilantia oporteat te custodire cor tuum, quo Christus, & cœlestes thesauri latent absconditi, maximè post sacram communionem: quare præserva te non solùm ab operibus malis, custodiendo sensus externos, sed etiam cor obsigna signo sanctæ Crucis, & custodi adversus omnem fraudem ac violentiam dæmonum, ne tantus thesaurus tibi eripiatur. 3. Mansisse corpus Christi in sepulchro tribus diebus & noctibus, sed non integris: duabus noctibus integris designari mortem & animæ & corporis nostri, die verò uno vitam gratiæ nobis morte ejus acquisitam.

SECTIO III.

PRÆFATIO AD MEDITATIONES XII.

In Excellentias B. Virginis Mariæ per Litanias Lauretanas.

Litaniæ, quæ preces sunt ad Deum supplices per Sanctorum intercessionem imploratam, Lauretanæ dictæ sunt illæ, quæ Deiparæ præ ceteris Sanctis intercessionem implorant, ac multiplices ejus excellentias complexæ, primum in sacra ejus æde Lauretana ad ejus honorem recitatæ sunt. Per illas obsecramus ipsam, ut postulatis nostris filium faciat annuere. Ante omnia autem nos ad Deum convertimus fontem omnis boni, & in Personis trinum, ut triplicem miseriam nostram, ignorantiæ, culpæ, & pœnæ velit depellere: Inde specialiter ad Christum, Deum & hominem, tanquam nostræ consortem naturæ, qua ad complenda nostra desideria efficaciùs flectatur. Hinc Deiparæ dignitatem, quàm nec verbis, nec mente possumus concipere, pluribus titulis honorificis conamur exprimere, quibus nostrum erga ipsum pietatis affectum, & amorem accendamus, simul & fiduciam, reverentiam, ac gratulationem. Votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Bernard.

I. Sancta

I. Sancta Maria. Sancta Dei Genitrix. Sancta Virgo Virginum.

Punct. I. Sancta Maria. Consid. 1. Virginem Mariam primùm hîc nomine suo compellari, quod ipsi & Angelis iucundissimum, nobis utilissimum, & dæmonibus formidandum. Huius significationes quinque totidem litteris initialibus expressas expende. ac 1. *Maris stella* significatur, ad quam in procelloso mari hujus vitæ, inter fluctus pravorum affectuum, & ventos tentationum nos oportet confugere, velut certam itineris nostri directricem, *Respice stellam, voca Mariam.* 2. significatur. *Amarum mare*, quia sicut continuit plenitudinem gratiæ, ita & dolorum, tum de acerbissima passione filij, tum de nostra ingratitudine & iniquitate: dæmonibus insuper amara fuit, cum eorum potentiam contritam demersit. 3. *Regina, seu domina* cœli & terræ, hominum & Angelorum, cui proinde te regendum penitus cõmitte, ut & doceat te affectus regere freno rationis & virtutis. 4. *Illuminata & illuminans*, quia super homines omnes & Angelos illustrata fuit lumine fidei & cognitionis divinæ, quod & nobis communicat, *cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.* 5. *Assimilatrix seu imitatrix Dei.* Illa enim divinas perfectiones & virtutes præ ceteris sanctis perfectissimè in se velut in speculo expressit, quas & nobis exprimendas proponit.

Bernard.

Punct. II. Sancta Dei Genitrix. Consid. 1. Inter omnes Mariæ excellentias hanc longè præcipuam & cæterarum fontem eminere, ac sicut eminentiam Christi hinc colligit Apostolus; *Ad quem enim Angelorum aliquando dixit: filius meus es tu*, ita & Deiparæ: *Mater mea es tu.* 2. Consid. Cum fuerit in arbitrio Christi eligere sibi Matrem, ad pietatem ejus & honorem proprium spectasse, ut eligeret virtutibus nobilissimam: & sicut Christo quia Dei filio competunt omnia dona gratiæ & gloriæ, ita & post eum competere illa Mariæ, tanquã Matri Dei: ubi observa Deum non conferre dignitates, nisi inveniat, vel addat dona & ornamenta competentia. 3. Christum iuxta Præceptum suum de honore parentibus exhibendo, huic Matri suæ tribuisse singularem honorem, pietatem, venerationem, & obedientiam, *& erat subditus illis.*

Heb 1. 13.

Luc. 2. 51.

Punct. III. Sancta Virgo Virginum. Consid. 1. Ab hac excellentia Materna præ cæteris profluere decus virginitatis, integræ simul & fecundæ. *Gaudia Matris habens cum virginitatis honore*, vt sicut æternus Pater filium genuit Deum de Deo, salva integritate naturæ divinæ, ita & hæc eundem carne sua purissima vestitum genuerit, sine læsione naturæ humanæ. 2. Consid. Virginem virginum dici seu singularem & perfectissimam, quia animi & & corporis puritatem sine labe etiam minima integram semper perfectissimè servavit. 3. Quia ad eam prima ab orbe condito se voto obstrinxit, ex perfectissimo Dei amore, atque ita vexillum erexit, quod tot millia virginum de utroque sexu in religione & sæculo, insigni pietatis fervore secutæ sunt. *Adducentur Regi virgines post eam.*

2. Off. Eccl.

Ps. 44. 15.

II. Mater Christi. Mater divinæ gratiæ.

PVnct. I. *Mater Christi.* Conf. 1. Beatam Virginem Mariam genuisse non solum Deum, nec solum hominem, sed Christum Deum simul & hominem, vnctum oleo divinitatis per vnionem hypostaticam, & cælestis gratiæ in supremum Regem, Prophetam, & Sacerdotem, quem & nos rogabimus, ut nos pariter ungat in reges spirituales ad moderandos affectus, in prospicienda futura, in sacerdotes ad offerenda ei Sacrificia laudis & orationis. Insuper ut ungat nos in luctatores, ad subeundum fortiter certamen cum mundo, carne, & dæmone, sic ut de ijs triumphemus. 2. Mariam fuisse Matrem Christi non tantum carne, sed maximè spiritu, in adimplenda perfectissimè ejus voluntate. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ille meus frater, & soror, & mater est.* atque hanc materni- Matt.12. 50. tatem spiritualem longè nobiliorem esse carnali: unde S. Augustinus: *Beatior fuit Maria concipiendo mente, quàm ventre. Feliciùs gestavit corde quàm carne.* quia carnalis maternitas addit dignitatem, spiritualis verò gratiam, virtutem, & amicitiam cum Deo, ad quam te etiam excita. 3. Esse illam etiam Matrem omnium Christianorum, quos à Christo è cruce sibi commendatos in adoptionem recepit; quare rogemus eam: *Monstra te esse Matrem,* ut quos in filios recepit, eos & lactet solatijs, nutriat favoribus, vestiat patrocinijs, protectione defendat ab omni malo, & bonis omnibus cumulet, atque expleat partes muneris materni: sed & nos vicissim adimpleamus partes veri filij, amore, veneratione, & obedientia. *Sicut qui* Eccl.3.5. *thesaurizat, ita qui honorat Matrem suam.*

Punct. II. Mater divinæ gratiæ. Conf. 1. Appellari illam *Matrem divinæ gratiæ*, eò quòd fontem omnis gratiæ & gloriæ nostræ Christúm in se conceperit, & mundo palàm protulerit, copiosè scaturientem per septem fluenta Sacramentorum, omnemque gratiam tam actualem quàm iustificantem in corda nostra derivantem, de quo beneficio gratias debitas illi studebo persolvere. 2. Quia ad hoc ipsa à SS. Trinitate inde ab æterno gratis electa fuit ad salutem omnium nostrûm, & gratiæ fluentis omnibus copiosissimè impleta, quæ numquam deinde diminuit, sed amplissimis incrementis assiduè auxit. 3. Sicut ab Eva prima parente nostra omnes per peccatum nati sumus *filij iræ*, tanquã ad eam à Deo sustinendam obnoxij: Eph.2.3. ita per illam nos in baptismo renasci omnes *filios* seu participes *divinæ* Gen.3.20. *gratiæ*; ac proinde rectè dici illam *Matrem cunctorum viventium*: dare illam suis alimentum, non terrenum, sed cæleste, eoque affectum provocare: *Ego Mater pulchræ dilectionis* abstrahens amorem à terrenis ad cælestia, *& timoris* filialis, erga se & Deum, *& sanctæ spei.* 3. Parentes conferre nobis vitam naturæ, brevem, & multis miserijs obnoxiam; illam verò conferre nobis vitam gratiæ immortalem, & bonis omnibus cumulatam.

IV. Mater Purissima. Mater Castissima. Mater Inviolata. Mater Intemerata.

PVnct. I. *Mater Purissima.* Consid. 1. Deum, sicut elegit sibi habitationem purissimam in cœlo empyreo, in mentibus Angelicis, in arca ex lignis incorruptibilibus, in templo Salomonis ex auro puro; ita & Matrem sibi elegisse purissimam, utpote ab omni labe peccati maximè remotam, & sibi fonti omnis puritatis proximè adhærentem per actionem & ardentem amorem. 2. Consid. animam nostram fœdari, seu impuritatem contrahere, dum terrenis rebus inordinatè adhæret. *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.* Et S. August. *Si terram amas, terra es; si cælum amas, cælum es; si Deum amas, Deus es.* Quare cave aliquid amare nisi Deum, vel propter Deum. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 3. Sicut aurum maximè purificatur per ignem, ita & animam nostram purificari per ignem divini Amoris, & tribulationis.

Osee. 9. 9.

Matth. 5.

Punct. II. Mater Castissima. Cons. 1. Dici eam castissimam ob puritatem ab omni motu libidinis, etiam in ipsa conceptione, ut sicut primus Adam formatus est de terra virgine, etiam secundus de virginea carne, castitatem nobis commendaturus, formaretur. 2. Consid. eam, licet libera esset etiam à peccati fomite, & carnis concupiscentia; tamen pro castitate conservanda adhibuisse sedulò studia virtutum, ut sunt inprimis castigatio carnis, mortificatio sensuum, oratio frequens, humilitas, modestia, silentium, otij fuga: quæ studia & nos pro eadem virtute conservanda pariter adhibeamus, ac potissimùm pium ejusdem Virginis cultum.

Punct. III. Mater Inviolata. Cons. 1. Prædicari integritatem carnis Deiparæ etiam in partu, ut filius ejus, sicut posteà rediuiuus egressus est integro sepulchro, ita primùm nasciturus egrederetur integro matris utero, quem transiens instar solaris radij non minuit, sed sacravit. 2. Sicut filium peperit sine violatione carnis, ita & sine ullo dolore, sed flexis genibus, oculis, manibus, ac mente in cælum intentis, & castissimi amoris igne accensa filium in lucem edidit, & quem genuit adoravit. 3. Sicut SS. Trinitas & Angeli custodes solicitè caverunt, ne castissima Virginis caro Deo consecrata ullatenus violaretur; ita & nobis cavendum ne caro nostra pariter Deo consecrata per votum castitatis, ullo modo violetur: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*

1. Cor. 3.

Punct. IV. Mater Intemerata. Cons. 1. Eam sicut in conceptione fuit castissima, & in partu inviolata, ita & post partum semper mansisse intemeratam, nullo umquam impuritatis stimulo tentatam. *In æternum permanet virgo.* 2. Eam non solùm in se fuisse ab omni motu libidinis immunem, sed & in aliis se intuentibus ejusmodi motus & affectus extinxisse, ac castitatis amorem instillasse: quare & nos imaginem ejus ac vitam crebro intuentes, ad castitatis amorem excitemus.

Eccl. off.

IV. Mater

IV. *Mater Amabilis. Mater Admirabilis. Mater Creatoris. Mater Salvatoris.*

P*Unct.I.Mater Amabilis.*Consid.1.B.Virgnem fuisse semper, & esse Amabilem à Deo, tum quia ejus incarnati Mater est, tum quia donis omnibus naturæ, gratiæ, & gloriæ copiosissimè est decorata, tum quia divinæ puritatis ac ceterarum ejus perfectionum perfectissimum est simulachrum. 2. Esse eam amabilem à nobis, quia Mater etiam nostra est, quæ nos acerbissimis doloribus sub cruce Filij peperit, & ad salutem nostram ardenti amore, studio, ac patrocinio promovendam est assiduè intenta. Expende hîc beneficia particularia tibi per eam collata, ac proinde quomodo tibi debeat esse singulariter amabilis.

*Punct.II.Mater Admirabilis.*Consid.1. Eam rectè dici admirabilem, non tantùm ob singularem excellentiam, sed ob insolentiam & novitatem: dum virgo simul est & fecunda, Mater Dei & hominis, genitrix sui genitoris, qui altissimus simul est & infimus, æternus & temporalis, finitus & infinitus, fortissimus & debilissimus. 2. Renovari in ea omnia mirabilia legis veteris, rubum ardentem & incombustum, columnam ignis per desertum, virgam Moysis & Aaronis, ac memoriam mirabilium Dei. Sanctos alios admirabiles fuisse in virtute particulari, Petrum Apostolum in fide, Paulum in prædicando verbo Dei, Andream in amore crucis, Ioannem in castitate, Stephanum in fortitudine, Magdalenam in pœnitentia; sed hanc in se omnia longè perfectiùs mirabiliter complexam: 3. Desinamus mirari terrena, velut puerorum crepundia, vana & caduca, contemplemur, æstimemus, & admiremur illam, ejusque dotes, has illi gratulemur, ac nobis imitandas proponamus.

*Punct.III.Mater Creatoris.*Consid.1. Eam meritò admirabilem appellari, dum ipsa creatura suum genuit Creatorem, filia Parentem, stella Solem, riuus fontem, & opus artificem: quare cum omnipotentiam Creatoris ad nutum habeat, thronum gratiæ ejus confidenter accedamus. Cons.2. Quidquid in creaturis omnibus perfectionis est, quidquid boni honesti, iucundi, aut utilis, id omni perfectissimo modo à Creatore huic Matri suæ communicatum; frustrà proinde sectari nos per partes, quod totum, & perfectiùs in illa habere possumus.

Punct.IV. Mater Salvatoris. Cons.1. Cùm omnes homines salutem, sive liberationem à malis, & cumulationem bonorum appetant, hanc nobis ab ea donatā, dum genuit nobis Saluatorem, cui tam proprium est salvare, quàm igni urere, & luci illustrare: unde collige quantò plus debeamus huic Matri, quàm parentibus carnalibus. 2. Illam pariendo nobis Salvatorem, simul etiam peperisse nobis media omnia ad salutem necessaria, dona gratiæ, auxilia, vocationes, inspirationes, Sacramenta, & indulgentias, ac pro omnibus his beneficiis nihil postulare, nisi ut oblatam nobis à Salvatore salutem amplectamur.

PVnct. I. *Virgo Prudentissima.* Conf. I. Post Excellentiam Maternam elogiis maximè propriis Virgini illustratam, deinde virginalem excellentiam illustrari elogiis propriis Matri, ut hæc omnia inter se connexa, & in utraque illa excellentia Materna ac virginali fundata appareant. In primis verò hîc eam laudari super omnes à prudentia, quæ virtutum Cardinalium prima ceteras dirigit ne deflectant, ac Matri-familiàs ante omnia est necessaria, diciturque ab Aristotele *recta ratio agendorum*; ab Augustino *scientia rerum appetendarum & fugiendorum*, dirigens omnia ad regulam rectæ rationis, eoque media ordinans, in quo Deipara omnes viros & feminas superavit. 2. Actus prudentiæ, in quibus pariter eminuit, consistere in cavendis malis per custodiam cordis & sensuum, ac eligendis bonis per observantiam divinæ legis, nominatim castitatis, humilitatis, & modestiæ. 3. Prudentiam dirigere media, quæ sunt opera bona, ad finem honestum, seu beatitudinem: *Satagite ut per bona opera certam vestram*
2. Pet. 1. 10. *vocationem, & electionem faciatis*: in quibus omnibus illa longè excelluit.

Punct. II. Virgo veneranda. Consid. I. Venerationem deberi personis excellentibus, eò maiorem, quò magis naturæ, gratiæ, ac gloriæ donis excellunt: quare cùm Deipara in omnibus uno Deo inferior sit, reliquas vero creaturas omnes, longissimè transcendat, eam supra omnes singulari veneratione & honore esse colendam. 2. Si in hac vita veneramur personas doctrina, dignitate, potentia, ac virtutibus præstantes; nam *gloria &*
Rom. 2. 10. *honor omni operanti bonum*; quantò magis veneranda sit ea quæ omnium dotes in se perfectissimè continet, quam veneratur Ecclesia universa, omnes Angeli, & beati in cœlo, ac Deus ipse in Matrem suam à se, & omnibus venerandam delegit? quare excita in te amorem ejus & æstimationem. 3. Quomodo veneranda sit: laudibus ejus prædicandis, dotibus congratulandis, reverentia interna & externa, oratione attenta, & humili, jejunijs, cultu imaginum ejus & festivitatum.

Punct. III. Virgo Prædicanda. Conf. I. Deiparam sicut super omnes creaturas veneranda est, ita & esse super omnes prædicandam, sic ut non sufficiat privatum ei cultum impendere, sed oporteat publica laude virtutes ejus, & accepta beneficia prædicare, qua nos & alios ad eius amorem excitemus. *Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima.* 2. Conf. fuisse eam prædicatam à Deo inde ab æterno, cùm eam in Matrem elegit, ac deinde in tempore per tot symbola & figuras adumbravit, per Patriarchas
Cant. 6. 9. & Prophetas celebravit: ab Angelis: *quæ est ista quæ progreditur*? ab hominibus per omnes Ecclesiæ ætates: *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam*
Luc. 1. 48. Eccl. 15. 9. *prædicaverunt* & iuxta ejus vaticinium: *Beatam me dicent omnes generationes.* 3. Quomodo predicanda sit: labiis & corde puro, quia *non est speciosa laus in*
Eccl. 24. 31. *ore peccatoris*, ac potissimum virtutum ejus imitatione.

VI. Virgo

VI. Virgo Potens. Virgo Clemens. Virgo Fidelis.

PVnct.I.*Virgo Potens.* Consid.1. Potentiam Deiparę eluxisse imprimis, &
quotidie elucere apud Deum, qui quantùmvis omnipotens, & verbo
creaverit cœlum & terram, & omnia quę in eis sunt; tamen ab illa etiam
pari verbo *Fiat* de cœlo in terram attractus & carne nostra indutus est.
Vulnerasti cor meum soror mea sponsa: atque hinc posse illam omnia apud ip-
sum, & per ipsum. *Omnia possum in eo qui me confortat* & *si omnia quæ habet Pater* Cant.4.
dedit Filio, omnia quæ habet Filius, non negabit Matri. 2. Elucere potentiam ejus 7. Bernard.
contra diabolum ejusque suggestiones, quas vel solùm nominis sui invo- Phil.4.13.
catione frequenter dissipat. *Ipsa conteret caput tuum. Terribilis ut castrorum* Ioan.13.
acies ordinata: quare in omni tentatione sub ejus præsidium confidenter 3. Gen.3.15.
confugiamus: *Tu nos ab hoste protege & hora mortis suscipe.* Cant.6.3.

Punct.II. Virgo Clemens. Consid. 1. Prius attributum Potentiæ timeri Eccl.off.
potuisse, nisi hoc Clementiæ iungeretur, quæ sublato timore excitat in
nobis fiduciam & securitatem, cùm inclinet ad moderationem pœnæ
subditis infligendæ. Expende hîc quanta supplicia peccatis tuis sæpiùs
commerueris, eaque tibi per clementiam hujus Virginis mitigata. *Os suum* Prov.31.
aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus. 2. Licet omnia peccata ut pote 26.
Purissima maximè aversetur, tamē eam peccatores libenter recipere & in-
vitare exemplo Filij sui, cum hoc discrimine quòd Filio utpote Iudici se-
veritas iustitiæ admixta sit, in hac verò remaneat pura clementia. 3. Ex-
pende cum S. Bernardo Clementiæ hujus in hac Virgine dimensiones: Eph.3.18.
quæ sit latitudo extendens se per totum orbem, & *longitudo* usque ad mundi
finem, & *sublimitas* provehens suos usque ad visionem divinæ essentiæ,
& *profundum* penetrans infra terram ad animas in purgatoriis flammis de-
tentas; quare benignum ejus fauorem inclama: *O clemens, ô pia, ô dulcis* Eccl.off.
Virgo Maria.

Punct.III. Virgo fidelis. Consid. 1. Fidelitatem consistere in præstanda fide
alteri debita, atque ita Deum inprimis esse fidelem in fide nobis obligata Ps.144.
præstanda; *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* ac vicissim requirere 13.
fideles servos. *Oculi mei ad fideles terræ.* Odisse verò ac graviter punire Ps.100.6.
perfidos, seu fidei obligatæ violatores. 2. Deiparam fuisse semper præ
omnibus maximè fidelem erga Deum, sic ut obligatam illi fidem num-
quam vel in minimo violaverit, gloriam & honorē ejus numquam sibi ar-
rogaverit, constanter ei semper adhæserit, etiam in morte Filij ignomi-
niosa discipulis omnibus fugientibus. 3. Servare illam etiam fidem erga Ennius.
homines, ac potissimùm in afflictione, & in morte: *Amicus certus in re in-* Sap.10.
certa cernitur. Ipsa in fraude circumvenientium illum adfuit illi, custodivit ab ini- 11.
micis, & à seductoribus tutavit illum. Quare studeamus esse fideles illi in vi-
ta, & ipsa fidelis erit nobis etiam in morte.

VII. Speculum Iustitiæ, Sedes sapientiæ. Caussa nostræ lætitiæ.

PVnct. I. *Speculum Iustitiæ*. Consid. 1. Post excellentias Deiparæ proprijs, nominibus expressas, alias deinde metaphoricis seu per rerum similitudines exponi, atque imprimis appellari *Speculum Iustitiæ*; licet enim omnes Angeli, & homines, imò & mundus universus speculum sit divinarum perfectionum, Deiparam tamen præ omnibus speculum esse perfectissimum & purissimum, in quo divinæ perfectiones ac virtutes omnes Theologicæ ac Morales perfectissimè relucent: quare pro omni virtute tibi magis necessaria vitam ejus tibi sæpiùs propone. 2. Sicut in speculo convexo seu prominente res apparet exigua, in concavo autem seu profundo ampla; ita in peccatoribus superbia tumidis Deum repræsentari exiguum, magnum verò in iustis per humilitatem & mortificationem depressis; inter quos excellens Deipara ait: *Magnificat anima mea Dominum*. Luc. 1. 46. 3. Cùm speculum ostendat maculas in vultu eluendas, Deiparam non tantùm ostẽdere nobis maculas animæ, sed etiam iuvare nos ad eas eluendas, ac pulchritudinem obtinendam, quam sæpiùs nunc in ea attentè contemplare, ut posteà totus mundus appareas in conspectu Dei.

Punct. II. Sedes sapientiæ. Consf. 1. Deiparam rectè appellari *sedem sapientiæ*, eò quòd in illa velut in throno ac solio regali divina & increata Sapientia requieverit, à qua omnis creata sapientia originem habet: quare thronum hunc supplices veneremur, ut de hac sapientia pleniùs possimus participare. 2. Cùm in S. Scriptura cælum sedes Dei nominetur, *Dominus in cælo sedes ejus*, & Angeli, *Qui sedes super Cherubim*, atque anima cujusque iusti, *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum*: potiori iure hoc nomen competere Deiparæ, quæ cælum superat puritate, Angelos gloria, & iustos omnes gratia. 3. Consf. etiam creatam sapientiam illi copiosissime communicatam sic in ea semper mansisse, ut numquã defecerit: quare & hanc ab ea præ omni humana sapientia petamus, æstimemus, & constanter servemus.

Ps. 10. 4. Ps. 79. 2. Eccl. off.

Punct. 3. Caussa nostræ lætitiæ. Consf. 1. Cùm sapientia Patris in B. Virgine resedit, hanc ab ea tam abundanti lætitia fuisse perfusam, ut eam in totum genus humanum diffuderit; nam concipiendo & pariendo Salvatorem mundi, malum nostrum omne depulit, atque æternam salutem omnis lætitiæ nostræ fontem præparavit. 2. Illam hac conceptione & partu Salvatoris caussam lætitiæ fuisse Deo, cujus *deliciæ sunt esse cum Filiis hominum*, & Angelis, quorum ruinas restauravit, ac nobis potissimùm, quos è summis miserijs ad summam felicitatem evexit, & adhuc quotidie intercessione sua in cælis nos ad eam promovet: quare gratos nos ei exhibeamus, obsequijs pietatis, ut lætitia hæc nostra non vana & terrena, sed solida & cælestis æternùm duret, & gaudia nostra cum illa in decantandis Deo laudibus sine fine celebremus.

Prov. 8. 31.

VIII. Vus

VIII. Vas Spirituale. Vas Honorabile. Vas insigne devotionis.

PUnct. I. Vas Spirituale. Conf. 1. Deiparam vasis nomine significari velut receptaculum continens in se peculiari modo Spiritum sanctum, & omnia ejus dona, *plenam sibi, superplenam nobis, de cujus plenitudine omnes accepimus*; unde & dicitur *gazophylacium divinæ munificentiæ & liberalitatis*, de quo hauriunt mœsti lætitiam, afflicti solatium, cæci lumen, peccatores veniam, desperantes fiduciam, & iusti omnes incrementa gratiæ ac gloriæ. 2. Conf. dici etiam vas tanquam instrumentum à Deo electum, non ad perditionem aut vindictam; sed ad salutem & misericordiam; de quo ait: *Cum eo eram cuncta componens.* vas quo usus est Deus ad Spiritus S. dona omnibus communicanda, ad fundandam Ecclesiam, ad illuminandos Apostolos, roborandos Martyres, Confessores in pietate, Virgines in corporis & animi puritate conservandas & promovendas; ad excitandos etiam ac dirigendos omnes religiosorum Ordinum fundatores: quare cave pijs ejus motibus resistere, sed eis promptè ac ferventer insiste.

Bern. Rub. à S. Laur. — *Prov. 8. 30.*

Punct. II. Vas Honorabile. Conf. 1. Vasa sive receptaculi, sive instrumenti nomine significentur, *alia esse in honorem, alia verò in contumeliam.* Electos omnes esse vasa *in honorem*, quos Deus hîc format per tribulationes, probat per tentationes, exornat gratijs & virtutibus, ut eos deinde inter cælestes thesauros suos ad publicum eorum honorem exponat; inter quos stude ut locum invenias: reprobos autem, esse vasa *in contumeliam*, immunda, & perdita, ad æternum approbrium culpa sua distinata. 2. Deiparam esse vas electum à Deo in honorem, super omnes creaturas, cum eam ab æterno ad dignitatem Matris suæ elegit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum* & constituit eam exemplar omnis perfectionis sanctorum: *Ante omnes colles ego parturiebar*: ac proinde ab omnibus Sanctis, & nobis potissimùm peculiari cultu hyper-duliæ super omnes Sanctos honorandam. 3. Est illa *vas auri*, fulgens auro charitatis & divinitatis, *solidum* nulla dæmonis vi aut fraude umquam læsum, *ornatum omni lapide pretioso*, variarum virtutum: *Vas admirabile, opus excelsi; non est factum tale opus in universis regnis*, vas immensum, quia *quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.* Mirare in hoc & virginis dignitatem, & Dei dignationem.

Rom. 9. 21. — *Prov. 8. 22.* — *Eccli. 50. 10.* — *Eccli. 43. 2.* — *3. Reg. 10. 20.* — *Ecc. off.*

Punct. III. Vas insigne devotionis. Conf. 1. Deiparam vas esse non communi aliquo honore dignum, sed eximium, excellens, & velut signo inter omnia eminens. *Ceteris datur gratia per partes, Mariæ se infudit tota gratiæ plenitudo*: Et omnes omnium sanctorum prærogativæ. *Benedictionem omnium gentium dedit illi.* 2 Vas hoc insignitum esse ac fervere inprimis devotione seu promptitudine ad cultū Dei, & omnia opera pietatis, quæ hîc expende quâ attentione ac fervore peregerit inde à prima sua conceptione in utero matris, quomodo ea auxerit reliquo vitæ tempore, in divini verbi incarnatione, partu, educatione, & 30. annorum conversatione, assistendo ei in cruce, ac dispositione ad Spiritum S. & mortem.

Hieron. — *Eccli. 44. 25.*

IX. Rosa mystica. Turris Davidica. Turris eburnea.

Cant. 4. 12. PVnct. I. *Rosa mystica.* Consid. 1. Cum Ecclesia sit velut *hortus conclusus*, varijs florum generibus à Deo consitus, lilijs castitatis, violis humilitatis,
Anacr. rosis charitatis, hisce deiparam convenientiùs significari; nam sicut *Rosa*
Eccl. 24. 20. *honor decusque florum* est ac regina, ita & hæc decus, ornamentum, & gloria est Ecclesiæ, *quasi plantatio rosæ in Iericho*: Mysticam, verò dici eo quod Deiparæ excellentia rosæ proprietatibus mysticè adumbretur. 2. Sicut rosæ aliæ candidæ, aliæ rubicundæ sunt, ita & illam esse candidam per
Cant. 1. 15. virginitatem, rubicundam per charitatem. Rosa inter flores pulcherrima est, hæc *tota pulchra* mente & corpore; ista est fragrantissima, hæc suauem & efficacem virtutum odorem latissime diffundit, quo Dei filium attraxit è cælis, quo recreat cælites, cruciat inferos, & omnem terram oblectat:
Cant. 1. 3. quare & nos *curramus in odorem vnguentorum ejus.* Rosa medicinalis est, arcens humores noxios, sedans tremorem cordis, mitigans dolorem capitis: ita & hæc. Rosa hæc sine spinis peccati est, illæsa neminem læsit. Rosis denique decorantur virgines in vita & morte: quare & nos virgini huic sertum Rosarij quotidie recens pia precatione deferamus, ut & ipsa nobis impetret in morte coronam gloriç immarcessibilem.

Punct. II. Turris Davidica. Consid. 1. Deiparam hic Turri comparari, eò quòd sicut hæc eminet altitudine ex reliqua fabrica, ita illa ex Ecclesia contemplatione cœlestiũ, & contemptu terrenorum; *Luna sub pedibus ejus*,
Apoc. 12. 1. præstantia virtutum, & cumulo meritorum: *Multæ filiæ congregaverunt di-*
Prov. 31. 29. *vitias, tu supergressa es universas*, eo & nos ad spiremus. 2. Sicut turris firmitate ac munitione prçstat, in qua tuti sint qui se eò recipiunt, imò & hostem ex alto conterant: sic & hanc fundatam in petra Christo, omnes ad se confugientes tutari, ac diaboli vires & potentiam frangere. 3. A Davide
2. Reg. 5. 7. Rege extructam turrim ad defensionem Ierosolymç: ita & hanc à Deo ad
Ps 86. 5. defensionem Ecclesiæ; *ipse fundavit eam altissimus. Mille clypei pendent ex ea*,
Cant. 4. Eccl. off. remedia contra quævis mala corporis & animi, *& omnis armatura fortium*, virtus omnium sanctorum in ea continetur: quare, *tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.*

Punct. III. Turris eburnea. Consid. Protectionem deiparæ etiam eburneæ Turris proprietatibus significari, sicut enim ebur 1. solidum & firmũ est, etiam igni resistens: ita Deipara nullo diaboli telo umquam læsa, nec intus impugnata, stabilita dono patientiæ, fortitudinis, ac perseverantiæ. 2. Ebur candidum est & mundum: ita & hæc per fidei antiquitatem, & conscientiæ puritatem, cujus vbera Christus suxit, & lacte nutritus est. Ebur diuturnitate rubescit, & hujus puritas ruborem sectatur martyrij. 3. Frigidum est, & hæc ardorem libidinis etiam in aliis restinguit, & carnis concupiscentiã coërcet. 4. Aptissimum est ad omnes colores recipiendos, & hæc ad omnia dona cœlestia recipienda & conservanda. Eadem & nos exprimere studeamus.

X. De

PVnct.I.*Domus aurea.* Consid.1. Cùm corpora & mentes justorum tem-
pla seu domus Dei appellentur: *Nescitis quoniam membra vestra templum* 1.Cor.6.15.
sunt Spiritus sancti? Templum Dei sanctum est, quod estis vos, Deiparam præ omni- 1.Cor.3.17.
bus templum esse sanctissimum, *in quo plenitudo divinitatis corporaliter requie-* Ambros.
vit, ideóque cum omni reverentia adeundam, *domum tuam decet sanctitudo* Psal.92.5.
Domine. 2. Eam non templo qualicumque, sed aureo Salomonis designari,
in quo sicut *nihil erat quod non auro tegeretur, & vasa omnia erant ex auro purissimo:* 2.Reg.6.22
ita & omnes hujus actiones fuisse exornatas auro charitatis. Idem & nos
imitemur, & confidenter eam accedamus. *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ* 2.Par.7.15
erectæ ad orationem ejus qui in loco isto oraverit.

Punct.II.Fœderis arca. Consid.1. Arcam quæ tabulas legis continebat, per
quam Deus cum populo suo fœdus percusserat, exstructam ex lignis Se- Ex.25.10.
thim, seu incomputribilibus, intus & foris deauratam, in domo Dei prin-
cipem locum occupasse; ita & Deiparam non tabulas legis, sed ipsum su-
premum legislatorem utero complexam, per quem fœdus pacis initum
cum genere humano, nulli corruptioni mentis aut corporis obnoxiam,
fulgentem auro charitatis intùs in Deum, foris in proximum. 2. Consid.
Corona aurea, qua arca illa ornabatur, designari potestatem Regiam
Deiparę; propitiatorio quo tegebatur, gratiam Dei propitiandi, Cherubi-
nis plenitudinem scientiæ; illam in prœliis fuisse auxilio suis contra ho-
stes, ita & hanc; illam benedixisse domui Obededom, ita & hanc clientes
suos beneficiis cumulare.

Punct.III. Ianua cæli. Consid.1. Sicut 12. Apostoli vocantur 12. *Portæ,* Apoc.21.12.
Jerusalem cælestis, eò quòd meritis & exemplis suis alios fideles in cæ-
lum introducant, ita & lōgè potiùs Deiparam, per quam Dei Filius è cæ-
lo in terras descendit, ac nobis è terra in cælum aditum aperuit, *Ianuam
cæli* appellari: unde S. Germanus Patr. *Nullus est, qui salvus fiat, ô Virgo, nisi per
te.* 2. Januam hanc omnibus verè pœnitentibus semper patere, designa- 3.Reg.6.32.
tam ligno Olivarum seu misericordiæ, ex quo janua in Sanctum sancto- Prov.8.35.
rum constabat. *Qui me invenerit, inveniet vitam:* quare ad januam hanc cursum
omnem nostrum dirigamus.

Punct.IV. Stella matutina. Consid.1. Doctores Ecclesiæ rectè stellas ap- Dan.12.3.
pellari, eò quòd pulsis errorū tenebris, inducant lumen veræ scientiæ; sed
hoc potissimùm competere Deiparæ, quæ à Christo justitiæ sole plenissi-
mum lumen acceptum nobis communicavit. 2. Stellas licet in se mag-
nas, tamen ob altitudinem exiguas apparere; ita & hanc per humilita-
tem; illas esse *in signa & tempora,* hanc in signum gratiæ præsentis & futuræ Gen.1.14.
gloriæ; illas vires influere, etiam per terræ viscera, hanc in mentibus ho-
minum. 3. Matutinam dici, quia finem attulit noctis peccatorum, & ini-
tium diei gratiæ; finem dolorum, & initium gaudij.

XI. Salus infirmorum. Refugium peccatorum. Consolatrix afflictorum. Auxilium Christianorum.

PUnct. I. *Salus infirmorum.* Consid. 1. Omnes homines in hac vita passim variis infirmitatibus corporis & animi obnoxios, ac pro iis curandis solicitos implorare artem medicorum, & patrocinia Sanctorum: sed adversùs omnes longè certiorem & perfectiorem salutem præstari ab una
Luc. 6. 19. Deipara, quę Salvatorem mundi nobis genuit, de quo sicut *virtus exibat & sanabat omnes*, ita & liberalissimè de illa. 2. Opem & auxilia Deiparæ testari votivas tabulas aris ejus appensas, in signum receptæ per eam sanitatis corporis & animi; unde S. Bernardus: *Omnibus misericordiæ sinum aperit, & de plenitudine ejus accipiunt universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam.*

Punct. II. Refugium peccatorum. Consid. 1. Quia peccata infirmitates animæ longè sunt graviores corporeis; adversùs hæc implorari speciale auxilium Deiparę, utpote quæ Mater & fons misericordiæ eò sit pronior ad
Matt. 9. 11. tollendas miserias, quò illæ sunt graviores, Filium imitata, qui *peccatores recipit, & manducat cum illis.* 2. Eam cum in vita etiam peccatoribus gratiam obtinuerit, id nunc ferventiùs prętare in gloria, ubi peccatorum miserias clariùs cognoscit; neque per hoc gloriæ ejus splendorem obscurari, sed
Num. 35. 11. illustriùs nitere. 3. Civitates refugij olim azylum præbuisse tantùm homicidis ex casu fortuito; illam verò recipere sub tutela sua omnis generis peccatores, quantùmvis enormes, modò sint criminum pœnitentes.
Psal. 86. 4. *Memor ero Rahab & Babylonis,* improborum, *scientium me.* Erit illis *in umbracu-*
Isaia 4. 6. *lum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine & pluvia.*

Punct. III. Consolatrix afflictorum. Consid. 1. In afflictione cognosci amicum fidelem, qui vel auxilium adferat, vel solatium; utrumque autem pleniùs & promptiùs præstari à Deipara, eamque hîc nominatim à fidelibus perfectionis studiosis invocari, non tam pro liberatione ab ęrumnis,
Psal. 118. 76. quàm pro animi robore & solatio in eis sustinendis. *Fiat misericordia tua ut consoletur me.* 2. Ipsam cœpisse etiam in hac vita suis solatia impendere, sed id nunc perfectiùs præstare è cælis, ubi misericordiæ fonti proxima est, sed potissimùm in extremo illo agone.

Punct. IV. Auxilium Christianorum. Consid. 1. V. Mariam, licet radios misericordiæ suæ instar Solis cum auxilio extendat ad omnes homines, bonos & malos, peculiariter tamen amplecti & auxilio prosequi Christianos, tanquam Filio suo per baptismum renatos in spiritu fratres, coheredes regni cælestis; ideoque his peculiari fiducia ad illam in omni necessitate pro auxilio recurrendum. 2. Eam velut Matrem gerere peculiarem curam omnium Christianorum, sed maximè justorum & clientum suorum, quibus etiam non invocata palàm & occultè ardet succurrere, ma-
Rom. 8. 31. ximè cōtra hostes in prœliis; unde Ecclesia: *Da mihi virtutem contra hostes tuos,* ac meos visibiles & invisibiles. *Si* illa *pro nobis, quis contra nos?* XII. Regina

XII. *Regina Angeloru m, Patriarcharum, Prophetarum, &c.*

P*Unct. I. Regina Angelorum.* Conſid. 1. Sicut Regis eſt præeſſe aliis, eoſque dignitate, potentia, opibus ſuperare; ita & B. Virginem præeſſe omnibus Angelorum choris, ad hoc divino jure à Deo electam, & humano per Filij glorioſam victoriam & ſanguinis ejus emptione ſtabilitam, ideoque & cæleſtium donorum affluentia, nominatim mentis puritate omnibus præſtare, omnes illam ut Reginam ſuam venerari, & à nobis cultu & honore ſupra omnes eſſe venerandam. 2. Ipſā etiā ſuperare omnes Angelorū choros in propriis perfectionibus & functionibus, Angelos in hominū cuſtodia, Archangelos in cuſtodia Regnorū, Principatus in cura Principū, Poteſtates in coërcendis dæmonibus, Virtutes in arduis operandis, Dominationes in inferioribus dirigendis, Thronos conjunctione cū Deo, Cherubinos plenitudine ſcientiæ, Seraphinos ardore charitatis; ac proinde hæc omnia ab ipſa confidentiùs poſtulanda, & certiùs conſequenda.

Punct. II. Regina Patriarcharum. Conſid. 1. Eam præeſſe ac præſtare etiam in cælo hominibus beatis, 1. Patriarchis in fide, ſtudio divini cultus, laborū tolerantia, ac deſiderio Salvatoris: ubi expende quomodo in his excelluerint Adam, Abel, Enoch, Noë, Abraham, aliique, & tamen illi in omnibus penitus ſupplices deferat. 2. Superare eam Prophetas omnes, Moyſen & Davidem, Majores & Minores, in cognoſcendis divinis arcanis, in vitę ſanctitate, & miraculis patrandis, atque ipſam eſſe de qua omnes Prophetæ prophetarunt. 3. Superare eam Apoſtolos, qui à Filio ejus Chriſto miſſi Legati per orbem terrarum, cum auctoritate prædicandi Euangelium, baptizandi, peccata remittendi, & Eccleſias fundandi, eam in functionibus non ſociam, ſed Magiſtram & Dominam agnoverunt, ab ea inſtructi verbo & exemplo, atque animo roborati: atque ab eadem ſucceſſores illorum Apoſtolicum ſpiritum hauſerunt.

Punct. III. Regina Martyrum. Conſid. 4. Eam præſtare etiam Martyribus in animi fortitudine & conſtantia inter acerbiſſimos dolores ſub cruce Filij unicè dilecti, nobiliſſimi, tenerrimi, & innocentiſſimi, crudeliſſimè & ignominioſiſſimè cruciati, ſic ut Martyrū omniū tormenta ibi corde ſuo exceperit. 5. Prętare eam Confeſſoribus, qui tum in religione, tum in ſæculo ſingulari vitæ ſanctimonia, terrenarum rerum contemptu, ac cæleſtium deſiderio, naturali morte vitam concluſerunt. 6. Præſtare Virginibus, quæ licet *flos ſint Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritalis*, omnes tamen illi deferunt in corporis & animi puritate, cujus primum exemplum in caſtitate Deo vovenda conſtanter ſecutę ſunt. *Cyprianus*

Punct. IV. Regina Sanctorū omniū. Conſ. deniq; eā pręeſſe ac pręſtare omnibus Sāctis, cujuſq; ordinis, gradus, & ſexus, in meritis, gratiis, & gloria, ſic ut ipſa omnium theſauros, dona, prerogativas, & privilegia multò perfectiùs in ſe contineat: ac proinde quidquid per aliorū patrocinia à Deo poſtulatur, certiùs per illā & faciliùs obtinendū.

SECTIO IV.

PRÆFATIO AD MEDITATIONES

In Functiones quotidianas, & varias per annum.

CVm perfectio spiritualis exerceri & enitere potissimùm debeat in functionibus quotidianis, eas hîc subjeci Meditationibus expressas, cum instructione & motivis eas quam optimè obeundi. Sunt igitur Meditationes hæ magis practicæ, instruentes intellectum, ac dirigentes voluntatem, inprimis ad orationem rectè instituendam, ad Sacrum cum fructu dicendum & audiendum, ad Sacramenta piè frequentanda, aliasq; per diem actiones rectè obeundas. Pro recollectione insuper hebdomadaria, menstrua, semestri, & annua, pro quibus omnibus Meditationes proprias hîc expressas assume, & ad usum applica.

I. De

I. De modo surgendi manè.

PVnct. I. Consid. 1. Mane surgendum tibi *promptè*, tanquam ad vocem Christi evocantis te ad dona cælestia sua tibi elargienda in proxima meditatione; quare responde cum Propheta Regio: *Paratum cor meum Deus.* Ps. 56. 8.
2. Surgendum *fortiter* contra conatus dæmonis infestantis huius obedientiæ & communis orationis fructum, pro quo conservando converte te ad sanctissimam Trinitatem, tibi aperto quasi cœlo cum Sanctis omnibus præsentem, à quo benedictionem postula, dicens; *Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster. Benedicta sit sancta Trinitas,* &c. Offic. Eccl. 3. *Piè*; impresso osculo vesti religiosæ, dic cum gratiarum actione, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*: vel Psalmum, *Laudate Dominum omnes gentes*; vel Hymnum, *Te Deum laudamus*, atque interim recole materiam meditationis. Ps. 116. 1. 4. *Decenter*, tanquam in conspectu curiæ cælestis, ac nominatim Angeli custodis, Deique præsentis. 5. Lecto exscendens, eumque operiens, expende illud Christi, *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Luc. 9. 58. vel illud Isaiæ, *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Isa. 14. 11. 6. Inde cum B. Franc. Borgia terram, communem omnium parentem, ter osculare, tum ut te ex ea conditum memineris: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 3. 19. Tum ad gratias agendas Christo, qui propter nos homines, & propter nostram salutem in terram de cœlis descendit, tum denique ut è terra hac, exilij loco, in celestem patriam aliquando pervenias. Porrò ad lavandas manus, Deum roga: *Amplius lava me Domine ab iniquitate mea. Cor mundum crea in me Deus.* Ps. 50. 4.

Punct. II. In loco orationis, flexis genibus, quasi ad Dei monita, exprime in te quinque affectus, usitato versu comprehensos. 1. *Sis gratus*, pro beneficijs omnibus tam liberaliter à divina manu in te collatis, creationis, redemptionis, conservationis, vocationis ad fidem & religionem; ac nominatim sanitatis animę & corporis tibi eo die, præ multis alijs concessæ. Quare 2. *Cor offer*, sive affectum Deo per tria vota religionis, purgatum circa usum rerum externarum per votum paupertatis; circa voluptates carnis per votum castitatis, circa tui excellentiam & propriam voluntatem per votum obedientiæ. 3. *Opus dispone futurum.* Actiones diei prospice & de ijs sic statue, tanquam moriturus, atque adversùs prospera & adversa divino fretus auxilio, stude animum præmunire.

Punct. III. Inde ad quartum affectum progredere. *Vita peccatum.* Dole ex intimo corde te umquã divinam bonitatem offendisse, ac firmiter statue nullam eo die culpã deliberatè admittere, cogitatione, verbo, aut opere, nominatim circa defectum, in quo extirpando nunc peculiariter laboras. 5. *Subsidiumque pete.* Agnosce tuam infirmitatem, viribusq; tuis diffidẽs implora submissè à Deo auxilium cælestis gratię, pro quo obsecra Patrẽ per merita Filij, hunc per sua & Matris, & hãc deniq; ac sanctos Patronos ut patrocinẽtur per suũ in Deũ, Deiq; in ipsos amorẽ, atq; ita cum Oratione Dominica, & salutatione Angelica affectus cõclude, vel auspicare. De

De tribus orandi modis traditis à S. Ignatio.

PVnct. I. Conſ. 1. Cùm appetitus noſter ſpiritualis per peccatum originale corruptus ſit, ideoq́ue requirat varietatem cibi ſpiritualis, rectè proponi nobis à S. Ignatio non tantùm variam orandi materiam per triplicem viam: ſed etiam plures modos, ac nominatim præter communem meditandi ſecundùm tres animæ potentias, tradi hîc inſuper, tres faciles & omnibus aptos, ſubinde pro varia animi, aut corporis diſpoſi-
Pſ. 95. 1. tione aſſumendos: *Cantate Domino Canticum novum.* 2. Conſider. *Primum*, qui proprius eſt vię purgativæ, & ad examen conſcientię ſubſeruit, conſiſtere in progreſſu mentis per pręcepta Dei, & Eccleſiæ, per ſeptem peccata capitalia, tres animæ potentias, ac quinque ſenſus, diſcutiendo ſingula, quomodo te in ijs geſſeris; ſi bene, gratias Deo agendo, & implorando gratiam pro perſeverantia: ſi male, de ijs dolendo, precando veniam, & meliora proponendo. Conſ. 3. Singula etiam plenius expendi poſſe, quàm pręcepta illa ſint juſta & ſancta, utilia ac neceſſaria, quæ pręmia obſervantibus, quæ ſupplicia tranſgredientibus propoſita: ſimiliter de peccatis, quàm fœda & noxia: de animæ & corporis facultatibus, in quem finem nobis à Deo datæ, quomodo Chriſtus, B. Virgo, & alij Sancti ijs uſi ſint. 4. Præterea per regulas inſtituti, ac tria vota ſic licebit procedere; quem orandi modum S. Xaverius omnibus, quos in viam ſalutis adduxerat, ad profectum in ſpiritu unicè commendabat.

Punct. II. Conſ. 1. *Secundum* orandi modum, qui proprius eſt viæ illuminativę, & ſubſeruit ad ordinariam meditationem perficiendam, conſiſtere in progreſſu mentis per Orationem aliquam vocalem, v.g. Dominicam, aut Salutationem Angelicam, Pſalmum aut Hymnum, aut Verſum Scripturæ Sacræ, expendendo in ſingulis partibus ejus ſignificationes, ſimilitudines, rationes motivas, ab utili, honeſto, neceſſario, facili, contrario, &c. Unde affectus deinde conformes eliciantur. 2. Inhærendū ſingulis quamdiu durat in ijs ſenſus pietatis, ſeu guſtus ſpiritualis.

Punct. III. Conſ. 1. *Tertium* Orandi modum, qui proprius eſt vię unitivæ, & ſubſeruit ad Orationem vocalem perfectiùs inſtituendam, parum differre à ſecundo modo; nempe quòd tertius hic poſt ſingulas orationis partes brevius ſpatium interponat, magiſq́ue progrediatur miſcendis affectibus orationi vocali; unde ad arctionem cum Deo conjunctionem diſponit. 2. Fructum omnis orationis non conſiſtere in multiloquio, de
Matt. 6.7. quo monet Chriſtus: *Orantes nolite multum loqui.* ſed in affectu; unde S. Au-
1. Cor. 14.15 guſtinus: *Plus gemitibus quàm ſermonibus peragitur*; & Apoſtolus: *Orabo Spiritu,*
Pſ. 46.8. *orabo & mente.* Quare *pſallite regi noſtro, pſallite ſapienter. Beati qui ſcrutantur te-*
Pſ. 118.2. *ſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.*

Iuxta ſecundum orandi modum in Orat. Dominicam, Vide ſupra pag. 317.

III. Sa-

Juxta secundum modum Orandi S. Ignatij.

PVnct.I. Conf.1. Divinam bonitatem de salute nostra, qua passim propè omnes destituebantur, solicitam delegasse è cælesti curia sua Archangelum Gabrielem ad Virginem Mariam, pro salute nostra per Filij sui incarnationem restituenda: ubi expende quam Deo cordi sit salus nostra, nobis eam sępe negligentibus: *Quid est homo quòd memor ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* 2. Conf. Mitti Angelum cui nomen *Gabriel*, id est, *Fortitudo Dei*, ut significetur fortitudine opus esse etiam tibi ad regnum dęmonis in animo extinguendum. 3. Spectare Deum non mundi hujus principes aut pompam externam, sed internum Virginis cultum, humilitate ceterisque virtutibus emicantem. 4. Angelum assumpto corpore cubiculum ingressum, eoque cælesti lumine ac odoris fragrantia perfuso, invenisse eam orationi vacantem; quare si & tu angelico optas frui solatio, libenter orationi vaca. 5. Ad te quoque cælestes legatos mitti divinas inspirationes, quę proinde reverēter, & obsequēter excipiendæ. Ps. 8. 5.

Punct. II. Ave, Conf. 1. Hac salutationis formula Hebræos invicem pacem, Græcos gaudium, Latinos salutem apprecari, quę & tu Virgini cum omni reverētia & puro corde apprecare. 2. Conf. Significari eam hac salutatione mutaturam matris Evæ miserias in lætitiam, juxta hymnum Ecclesię, *Sumens illud Ave, Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans Evæ nomen.* 3. Roga eam ut & te vicissim salute impensa salutet. 4. Conf. Omitti ab Angelo nomen Marię præ reverentia, sed à nobis confidenter exprimendum, quia ad salutem nostram data, Salvatorem mundi peperit.

Punct. III. Gratia plena. 1. Tum justificante, qua Deo grata existebat à primo conceptionis suæ exordio, tum virtutum omnium, ac ceteris Spiritus sancti donis, in memoria, intellectu, & voluntate. 2. Licet alij etiam Sancti pro ratione muneris sui pleni gratia dicantur, tamen Virginem hanc ob munus dignissimum Deiparæ amplissima gratiarum omnium copia velut mare repletam. 3. Eam per virtutum actus quotidie se magis dilatasse, singulariter tamen dilatatam cum hac Verbi æterni incarnatione; quare roga eam ut de plenitudine sua tecum communicet, ac mentem tuam per virtutum studia etiam dilatare stude.

Punct. IV. Dominus tecum. 1. Non tantùm prout præsens est omni loco, neque etiam prout est cum justis omnibus per gratiam, sed peculiari affectu ac studio benevolentiæ eam gubernans, dirigens, protegens, ac donis cumulans, semperque cum ea mansurus, imò & carnem mox ex ea assumpturus. 2. Est cum ea Dominus, quia ipsa fuit cum eo per orationem, & mandatorum ac consiliorum observantiam; quare & tu stude similiter cum Deo esse, ac permanere, & cum ipsa Virgine, ut uterque tecum etjam esse, ac permanere dignetur: *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo: si quæsieritis eum, invenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* 2. Paral. 15. 2.

IV. Sa-

Iuxta secundum modum Orandi S. Ignatij.

PVnct. I. *Benedicta tu in mulieribus.* Consid. 1. Maledictionem in nos transfusam à prima parente nostra Eva, ope Deiparæ feliciter discussam, nobisque impertitam benedictionem cum copia donorum cælestium, de qua gratias ei age. 2. Gratulare ei hanc plenitudinem benedictionis, quam Deus ipse per Angelum suum Gabrielem, & Cognatam ejus Elizabetham gratulari ei dignatus est, & ipsa ab omnibus præstandum prædixit, cùm ait: *Beatam me dicent omnes generationes*: quare hoc ejus vaticinium etiam per te stude adimplere. 3. Cons. Ab hominibus hujus sæculi beatos prædicari eos qui bonis temporalibus abundant: *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, qui gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos*: at verò à Deo beatos prædicari, qui bonis ac divitijs cælestibus intus in anima splendent, quibus consectandis potissimùm stude: *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* 4. *Et benedictus fructus ventris tui Iesus.* Cons. Hunc esse fontem omnis benedictionis, seu donorum cælestium, quibus Matrem suam super omnes copiosissimè adimplevit, & nos quoque implere, ac donis cumulare paratus est, *Ecce*, inquit, *sto ad ostium, & pulso*: ideo cor tuum ei aperi, explica sinum mentis, atque opta ut ab omnibus per totum orbem cognoscatur, diligatur, & prædicetur, eoque tu potissimùm adlabora. *Gloria, honor, & pax omni operanti bonum. Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

Luc. 1.48. Ps. 143.15. Iob. 21.12. Apoc. 3.20. Rom. 2.10. 2. Pet. 1.10.

Punct. II. Sancta Maria Mater Dei. Cons. 1. Hanc reliquam partem additã, ab Ecclesia, ubi Nestorij hæresim negantis B. Virgini titulũ *Matris Dei*, represserat, ut hoc tanquã gratissimo illi & maximè honorifico frequẽtiùs etiam de die invocaretur. Deinde roga eam ut ab hoc Filio suo, tibi etiam in filium substituto impetrare velit quæcumque ad salutem tuam conservandam vel promovendam cognoverit magis expedire. 2. *Ora pro nobis peccatoribus.* Agnosce hîc te multiplicibus peccatis, cogitatione, verbo, & opere quotidie obnoxium, de quibus dole, & veniam precare; nec tibi tantùm, sed & omnibus peccatoribus, quantùmvis induratis, ut ipsa, quæ peccatorum refugium est, saniorem mentem ac salutem impetret. 3. *Nunc & in hora mortis nostræ. Amen.* Attende omni tempore, quod in hac vita brevissimum est, opus tibi esse Deiparæ patrocinio, sed hoc implorandum tibi potissimùm *nunc*, dum mens tibi integra est, & vel maximè, *in hora mortis*, aliquando tibi certò obventura, quantùmvis tibi videaris nunc valens ac robustus, imò fortè quando minimè expectabitur: quare cùm acriores tunc esse soleant dæmonis insultus, nunc Virginem sic cole & venerare, ut adesse tibi tunc velit, & excipere in cœli gaudia cum salute æterna.

Anno 431.

V. In Hymnum, Veni creator Spiritus, qui est S. Ambrosij. P. I Iuxta secundum modum orandi S. Ignatij.

PVnct. I. *Veni creator Spiritus.* Veni non loci mutatione, sed benignitatis tuæ in nos diffusione, qui cum Patre & Filio unus Deus, cæli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, & Creator & Dominus. *Mentes* sive animas nostras, tibi dicatas in creatione per imaginem Sanctissimæ Trinitatis, in redemptione verò per Sacramentum baptismi, *visita*, quia afflictas in hoc exilio multis miseriis animæ & corporis, tuumque solatium & auxilium implorantes. *Imple* eas, quas creasti, gratia tua cælesti, quæ affectus nostros à terrenis ad superna excitet, & qua nos impleti, etiam proximum ad eadem promoveamus.

Punct. II. Qui diceris paracletus, & reverà es consolator in afflictionibus, adhortator in adversis sustinendis, & prosperis contemnendis, atque advocatus apud Patrem in caussa salutis nostræ. *Altissimi donum Dei*, quia ab infinita bonitate tua proveniunt in nos bona omnia creata; & ultra hæc teipsum etiam justorum mentibus singulariter donas. *Fons vivus*, seu vitalis origo cum Patre & Filio omnis boni & perfectionis creatæ, omnis vitæ naturalis ac supernaturalis, fons abluens omnes vitiorum nostrorum sordes, numquam deficiens nec arescens, patens omnibus & nemini occlusus. *Ignis*, peccata nostra consumens, intellectum illuminans, voluntatem inflammans; & memoriam stabiliens, ideoque supra Apostolos in igne apparens, quo succensi illi, & millia Martyrum, velut Seraphini terrestres, nullis tribulationum aquis extingui potuerunt. *Caritas*, quia ex amore Patris & Filij procedens, eumdem in cordibus nostris studes excitare, quò Deum super omnia diligamus. *Et spiritalis unctio*, qua nos præordinatos in Principes regni cælestis exhilares velut oleo lætitiæ, & robores ad certandum cum adversariis nostris.

Punct. III. Tu septiformis munere, quia ex bonitate tua velut fonte septem flumina donorum in mentes nostras derivantur; *donum sapientiæ*, quo gustemus & sapiamus cælestia; *donum intellectus*, quò eadem clariùs cognoscamus; *donum scientiæ*, quo dæmonis fraudes & mundi ac carnis fallacias discernamus; *donum consilij*, quo etiam proximo recta suadeamus; *fortitudinis*, quo roboremur ad ferenda fortiter adversa; *pietatis*, ad cultum Deo debitum piè tribuendum; ac *timoris Domini*, quò caveamus ei etiam in minimo displicere. *Dextræ Dei tu digitus*, quia interno lumine, quasi digito ostendis quæ ei sint placita, quæ cavenda sint & amplectenda. *Tu ritè promissum Patris*, de quo Christus: *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut invisibilis maneat vobiscum in æternum.* Ioan. 14. 16. *Sermone ditans guttura*, quod & Christus promiserat: *Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarij vestri*: Luc. 21. 15. atque ideò in linguis supra Apostolos apparuit, quos rudes & timidos, mox mutavit in viros alios.

PUnct. IV. *Accende lumen sensibus*; Lumen gratiæ tuæ cæleste & indeficiens, radium tuæ divinitatis, quò discussis tenebris ignorantiæ & cæcitatis cognoscamus practicè, & cum fervore omnem veritatem, virtutum præstantiam & in cælis præmia, peccatorum fœditatem & apud inferos supplicia. *Infunde amorem cordibus*. Non igitur tantùm peto, ut memoriam excites, & intellectum illumines, sed potissimùm ut voluntatem divini amoris melle ad te pellicias, eum infundas copiosè cordibus nostris, verum, purum, & constantem, expulso omni amore mundi & carnis, fallaci, impuro, & instabili, atque illo tibi summo bono firmiter adhæreamus. *Infirma nostri corporis*. Carnis infirmitatem & incōstantiam, semper in malum pronæ, quantumvis recta & meliora ratio suggerat; tamen eam ex acerbo vulnere matris Evæ debilem & languidam in via salutis: *Virtute firmans perpeti*. Tu confirma & corrobora cælesti fortitudine, ad resistendum tentationibus, insistendum constanter benè cœptis: sicut institerunt Apostoli & viri Apostolici, nullis terroribus, periculis, aut suppliciis à recta virtutis semita dimovibiles. *Ego confirmavi columnas ejus*. Psal. 74. 4.

Punct. V. Hostem repellas longiùs; omnibus quidem communem, & crudelissimum adversarium, nil nisi animæ nostræ perniciem assiduè molientem, sed maximè electorum, de quibus S. Chrysologus: *Hostis plùs ducem, quàm militem petit, nec obsidet mortuos, sed impugnat viventes; sic diabolus non peccatores quærit capere, sed justos*. Quare omnes diaboli machinas longè à nobis remove, & cum eo omnes acies vitiorum. *Pacemque dones protinus*, quam mundus dare non potest; nam *non est pax impiis*, quantumvis clament *Pax pax, & non erat pax*: sed tu veram & certam donabis, nobiscum per mortificationem affectuum, cum proximo per humilitatem & patientiam, & cum Deo per observantiam mandatorum ejus; tum quòd ex ea sequitur gaudium mentis. *Ductore sic te prævio*, te gressus nostros dirigente per internas inspirationes, per libros pios, Concionatores, superiorum monita, & aliorum exempla, ut grata mente psallamus: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me*. *Vitemus omne noxium*, præcipitia, ac salutis impedimenta, ne gressus sensualitatis præveniant gressus rationis.

Is. 57. 21. Ier. 6. 14. Psal. 72.

Punct. VI. Per te sciamus da Patrem. Originem primam SS. Trinitatis, qui nos etiam in filios ac regni sui heredes cooptavit, idque per filium ex se genitum ab æterno, & in tempore ex Virgine Matre natum, & per te sancte Spiritus, ex utroque procedentem: hunc Deum unum in natura, & in personis trinum cognoscamus in hac vita nostra, ubi à Domino peregrinamur, per vivam fidem, & observantiam mandatorum & consiliorum ejus, dum posteà in cælesti patria eum clare facie ad faciem æternùm contemplemur.

VII. In Orationem piißimam familiarem S. Ignatio, juxta secundum modum ejus orandi.

Pars I. Anima Christi sanctifica me. Ad hoc, ô anima mea, priùs expolia te omni mundano affectu, & adora supplex animam Domini tui, eamq; roga ut te sanctificet per fidem vivā & efficacem; per spem robustam, qua non prosequaris nisi cælestia; per caritatem ardentem, quam humana nulla nec adversa nec prospera ab eo dissolvant. 2. *Corpus Christi salva me*, quod pro salute mea non tantùm à tortoribus crudeliter dilaniatum, & cruci ignominiosè affixum est, sed insuper in vitæ nostræ cibum, in mortis viaticum, & juge sacrificium quotidie offertur. 3. *Sanguis Christi inebria me.* Imple mentem meam cælesti dulcedine, sic ut spirituali eo musto ebrius oblivifcar mei, ac tui unius amore quidvis agam & patiar, paratus pro sanguine tam pretioso, meum viliorem libenter reponere. 4. *Aqua lateris Christi lava me.* Agnosco Domine in sacro pectore tuo fenestram mihi apertam, per quam cordis tui amorem explorem: tu meum vicissim ad te excita, & amorem omnem terrenum in me absterge, atque elue aquis tam salutaribus. 5. *Paßio Christi conforta me.* Veneror in opprobrio tuo Dei gloriam, in tua infirmitate Dei virtutem: trahis ad te corda rebellium, inflectis iram Dei ad misericordiam, ac dæmonum potentiam confringis: confirma me contra omnia adversantia, & fac ut in contumeliis & tribulationibus potens fiam.

Pars II. 6. Bone Iesu exaudi me, qui Publicanum, & Cananæam, ac tot ægros animo & corpore ad te clamantes benignè semper exaudisti, imò jubes omnes laborantes & oneratos ad te venire reficiendos; ecce clamo ad te non tàm voce oris, quàm de profundo cordis, affectu valido. 7. *Intra vulnera tua absconde me*; vel in uno eorum me abde, ubi inveniam locum refugij ab ira tua, sanctuaria & templa nutriendæ devotioni: & cur ea Christe reserquas, nisi ut sint mihi solatio? 8. *Ne permittas me separari à te.* Non quòd timeam ne tu me repellas, sed quia scio quòd nolentem non detines: quare quàm mihi incerta est voluntas mea, ob naturæ corruptelam, tàm mihi vereor ne mundi vanitatibus, aut carnis susurris me elici inde sinam; quod obsecro per tuam in cruce cōstantiam, ut numquam fiat. 9. *Ab hoste maligno defende me*, & animā meā erue de ore leonis infernalis, qui *circuit quærens quem devoret.* Quare opem tuam & scutum, quo me protegas contra hostem adeò malignum & potentem confidenter imploro. 1. Pet. 5. 8. 10. *In hora mortis meæ voca me.* Hora illa suprema, unde pendet æternitas, ut tunc vitæ meæ finē imponere digneris, cùm dealbatus in sanguine Agni, instructus lampade caritatis tibi animę meæ sposo occurrā. Tunc *jube me venire ad te*; pro quo tempore jam nunc spiritum meum in manus tuas commendo, quas pro me in cruce extendisti, *ut cū Sanctis tuis laudē te in sæcula sæculorū*, cū choris ōnibus Angelorū, & ordinibus Beatorū cantē tibi canticū novū laudis & gratiarū actionis tota æternitate.

Iuxta secundum modum orandi S. Ignatij.

PUnct. I. *Ave maris stella.* Mare omnes subimus incommodis & periculis plenum, cùm mundum ingredimur, & stabiles hîc nobis videmur, licet cum creatis omnibus pariter ad finem assiduè volvamur. Navigium nostrum corpus est fragile & imbecillum, sæpè convulsum ac labefactatum; anima ipsa ignorantiæ tenebris circumfusa, ac sæpè etiam peccatis saucia. Infestant nos in hoc mari scopuli superbiæ, gurgites avaritiæ, sirenes luxuriæ, monstra invidiæ, voragines gulæ, venti iracundiæ, remoræ acediæ, fluctus perpetui mundanæ spei & metus, gaudij in prosperis, tristitiæ in adversis: obsident hoc mare & incautos adoriuntur maligni spiritus velut piratæ, ut spoliatos & vinctos trahant secum in perpetuam captivitatem. Et quàm multi hîc per momenta singula æternùm pereunt? quorum damna nos monent, & eorum nomine S. Bernardus inclamat: *Respice stellam, voca Mariam. Ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis.* Quare ad te oculos attollo, ut errantem illumines; opem inclamo, ut virtutes influas, ac deducas incolumem ad portum æternæ felicitatis.

Dei Mater alma. Non Angelum aliquem Deus nobis stellam dedit, sed te Angelorum Reginam, Matrem suam, ut nos & ampliori luce illustrares, & certiùs ac potentiùs dirigeres: Mater es ejus cui *venti & mare obe-*
Matt. 8. 27. *diunt*, quem non genuisti tantùm, sed & virgineo lacte aluisti & educasti; quare confido, ut me tibi supplicem etiam non destituas: lacta me uberibus tuis misericordia plenis, inebria vulneribus Filij tui scaturientibus vitam, sic & respuam penitus mundi & carnis ubera ac solatio.

Atque semper virgo. Talem decebat ut Deus in Matrem assumeret, cùm veniret in terras nobis virginitatem commendaturus: hanc coluisti & servasti ante partum, in partu, post partum, in statu virginali, matrimoniali, & viduali, domi & foris, ac nominatim in omni conversatione, semper maximè aliena ab omni umbra turpitudinis cogitatione, verbo, & opere; unde S. Ambrosius: *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaq; B. Mariæ, in qua velut speculo refulget species castitatis & forma virtutis.* Huius igitur
1. Pet. 5. 8. affectum, ô Virgo, in nobis suscita, omni motu contario represso.

Felix cæli porta. Per te enim portam verè humilem descendit in terras Altissimi Filius, tot sæculis expetitus, cumulaturus nos bonis cælestibus,
Ambrosius atque æterna felicitate. Per te & nos *accessum habemus ad ipsum, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis.* Per te, nec nisi per te ingressus in regnum
Bernardus. ejus cæleste omnibus patet, *quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Tua igitur, ô Virgo! imploro patrocinia, audio monita, & se-
Prov. 8. 33. quor exempla. *Beatus*, ait, *qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostij mei: qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*

IX. In Hymnum, *Ave maris stella.* P. II.

PUnct. I. *Sumens illud Ave*, quo salutem, pacem, & gaudium tibi, & per te universo mundo Angelus precatus est; nam cùm mundana & terrena gaudia sperneres, cumulata es divinis ac cælestibus. Lætum hoc *Ave* cum Angelica salutatione tibi quotidie sæpiùs offerre statuo, & huic mundanas salutationes ac consortia libenter postponam. *Gabrielis ore*, qui de cælestibus Principibus in fortitudine electus ad conterendam diaboli potentiam, cupidissimus salutis nostræ, humana fulgens specie, affectu puro, reverentia profunda externa & interna, te orationi intentam convenit, cęlestem lucem & odoris fragrantiam diffundens. Opto ut & ego ea puritate, humilitate & reverentia te possim salutare, atque Angeli mei custodis etiam alloquia attendam. *Funda nos in pace*, non in ea quam mundus, caro, ac diabolus suis solet falsò promittere, sed in vera cum Deo per ferventem orationem, cum proximo per sincerā caritatem, cum conscientia per affectuū mortificationem. Hanc pacem enixè concupiscimus, sed stabilem & perpetuam, quæ nulla umquam mortali culpa violetur. *Mutans Evæ nomen.* Illa principium nobis fuit maledictionis & doloris, tu verò per Angelicam salutationem benedictionis & gaudij; quare meritò conversum est in te nomen *Eva* in *Ave*. Et nos igitur converte filios iræ, in filios salutis, obnoxios morti æternæ adscribe vitæ æternæ, & abstergens dolorem fac nos gaudere etiam in labore & tribulatione.

Punct. II. Solve vincla reis. Nam *funes peccatorum circumplexi sunt me*, per quæ in diaboli servitutem redactus, reus sum dęclaratus ęterni supplicij. Hinc non est qui liberet nisi solus Deus, & tu cæli Regina, quæ apud ipsum & per ipsum potes omnia. Laxa igitur nobis hæc vincula, & impetra gratiā verę contritionis, ac confessionis, qua in veterem libertatem restitutus, tibi gratias referam. *Profer lumen cæcis.* In tenebris hîc jacemus miseri, non agnoscentes miserias & pericula nostra: ita obscuratus est intellectus noster, ut dicamus malum bonum, & bonum malum; unde clausis oculis in æterna ruimus præcipitia. Discute igitur tenebras mentis nostræ, & cæleste lumen infunde, quo nos ipsos & terrena nobiscum fluxa agnoscamus, ac sectemur viam salutis æternæ. *Mala nostra pelle.* Hæc sunt perversæ inclinationes per peccatum originale in nos transfusæ, quas deinde auximus per peccata actualia, quæ habitibus pravis trahunt nos ad peccata priora. Circumferimus hæc ut infirmitates & pondera, quocumque pergimus, in quibus pellendis, nā potes, adjuva nos. *Bona cuncta posce.* Contraria contrarijs curantur in corporalibus; ita & in spiritualibus. Exposce igitur nobis à Filio tuo gratias ac virtutum semina, quibus appetitus inordinatos corrigamus, & pravos habitus fortiter superemus. Bona transitoria non te rogo nisi in quantùm prosunt ad æterna, quę dum primùm quęro, confido illa non defutura.

Ps. 118. 61.

X. *In*

PVnct. I. *Monstra te esse Matrem.* Hactenus rogavi te, opemque imploravi: nunc obsecro, & obtestor per maternum affectum, sciens quia Filius Matri importunus esse non potest, attende quomodo gignendo nobis Salvatorem, nos omnes in ipso spiritualiter genuisti; quare ipse in cruce moriturus tibi nos omnes in Ioanne commendavit: *Ecce Filius tuus.* Et illi: *Ecce mater tua*; nec Deum Patrem habebit, qui te non habuerit Matrem. Sed vicissim me mones ut monstrem me esse filium: ita cupio, ac tecum, & cum Ioanne Cruci Christi constanter assistere. *Sumat per te preces.* Quia mala & pericula nostra gravia sunt & continua, etiam preces nostras ferventes & continuas esse oporteret: jam verò cùm tepidæ sint & raræ, unum superest, ut per manus tuas, & tuis precibus junctæ offerantur. Placent quidem, quę & supplex imploro, aliorum sanctorũ patrocinia, sed quia te prę omnibus scio auctoritate valere, etiam prę omnibus te enixiùs obsecro. *Qui pro nobis natus*, qui non durus aut asper est, sed benignus & misericors, qui ut reconciliaret nos æterno Patri, carnem nostram assumere, & ex amoris abundantia ignominiosam mortem obire dignatus est. Venit is ut animas errantes quæreret, quomodo oblatas à te reijciet? *Tulit esse tuus.* Non horruit uterum tuum, tibique deinde se subdere, unde materna apud eum vales auctoritate. Hanc igitur apud ipsum ad bonum & salutem filiorum tuorum impende. Libenter etiam exemplo ejus subdam ego me superioribus meis, & omnibus propter ipsum.

Ioan. 19. 26.

Punct. II. Virgo singularis; quia simul Virgo & Mater, atque ab orbe condito prima Deo virginitatem voto dicasti, quę in te semper singulariter resplenduit; unde & affectum ejus præsentia tua & recordatione afflare cultoribus tuis soles, atque impuros affectus in ijs arcere. *Inter omnes mitis.* Argumentum singulare mansuetudinis ostendisti, in ferendis patienter injurijs dilecto Filio tuo illatis, ac potissimùm cùm in acerbissima ejus passione etiam petrę finderentur, & sol lumen subtraheret, tu tamen inconcussa servasti mentis serenitatem. *Nos culpis solutos*, ut ad virtutum exercitia possimus assurgere, fac nos per seriam detestationem vitiorum vincula disrumpere, cùm virtutes simul & vitia in animo regnare non possint, & in libertate spiritus tibi ac Filio tuo deservire. *Mites fac & castos.* Impetra gratiam mansuetudinis, qua exemplo tuo & Filij illatas injurias æquo animo feramus; fac nos attendere nos esse membra unius corporis, unius Matris; tuos inquam, & Filij tui filios, heredes pariter destinatos regni cælestis. Hæc nos etiam castos efficiet, juxta promissum Filij sui: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, sive carnem suam, ut explicat S. Bernardus. Est quidem castitas donum Dei, sed nemini negatum, maximè ubi tuum accesserit patrocinium.

Matt. 5. 4.

XI. In

XI. In Hymnum, Ave maris ſtella. P. IV.

V*Itam præſta puram*; ut puritatem in baptiſmo acceptam ſervare
poſſim, quam ſi maculis infecero, eas mox eluam, & contineam
me in obſervantia mandatorum; nam *beati immaculati in via, qui ambulant in* *Pſ.118.1.*
lege Domini. Scio fruſtrà me nomen gerere hominis Chriſtiani ac religio-
ſi, niſi pura vita acceſſerit, maximè dum agnoſco me Deo per religioſa
vota ſingulariter conſecratum, *Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longi-* *Pſ.92.5.*
tudinem dierum: quare leves etiam culpas vitare ſtatuo. (*Si mei non fuerint do-* *Pſ.18.14.*
minati, tunc immaculatus ero.) Et ex intentione pura actiones omnes inſtitue-
re ad majorem Filij tui, ac tuam gloriam. *Iter para tutum.* Scio tutum eſſe
iter mandatorum Dei, ſed multò tutius eſſe conſiliorum; quare & hoc
elegi, fac me in hoc non retro reſpicere, ſed in cœpto conſtanter progredi.
Non deſunt hîc mihi adjumenta ad ſalutem plurima, quæ Bernardus
tuus enumerat: Homo in religione *vivit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs*, &c.
Sed nec deſunt pericula, & acres ac continuæ ab acerrimis & doloſis ho-
ſtibus impugnationes; quare *greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum, ut non* *Pſ.118.133.*
dominetur mei omnis injuſtitia. Nam *nulla nobis nocebit adverſitas, ſi nulla domi-* *Gregor.*
netur iniquitas, ideoque piæ voluntatis tuæ ſcuto nos tuere. *Vt viden-* *Pſ.44.3.*
tes Ieſum, quem tu prima in terris natum vidiſti, *ſpecioſum forma præ filijs ho-* *Matt.2.1.*
minum, quem ut viderent Reges, ex oriente venerunt ſupplices, expetie- *Ioan.12.21.*
runt gentiles, *Volumus Ieſum videre.* Zacchæus arborem aſcendit, & beati *Luc.19.4.*
oculi qui eum viderunt. Viderunt glorioſum Apoſtoli aliqui in monte
Thabor, unde clamabat Petrus: *Domine bonum eſt nos hîc eſſe.* Tu fac nobis, *Matt.17.4.*
hunc agnoſcere hîc per fidem vivam, ut poſt hanc vitam eum facie ad
faciem videamus tecum in throno gloriæ. Tunc ſatiabitur anima mea,
quæ terrenis nullis ſatiari nunc poteſt, quę proinde omnia contemnere,
atque adverſa quęvis tolerare paratus ſum, pro dulciſſimo hoc conſpe-
ctu aliquando obtinendo. *Semper collætemur*, de perfectionibus naturę ejus
humanæ ac divinę, clarè contemplantes eum in hac cum Patre & Spiri-
tu Sancto unum, ac perſona diſtinctum, tuam inſuper, & Angelo-
rum omnium ac beatorum gloriam, noſtramque cum illis pariter ſta-
bilitam. Cùm ſecuri videbimus cruciatus inferorum, ijſque nos tua
ope ereptos, cùm nullus ibi dolor aut luctus, nec fames neq; ſitis læ-
titiam minuet; imò corporis gloria ubi acceſſerit, in ſenſibus omni-
bus & facultatibus lætitiam animæ participabit. Lætentur munda-
ni in bonis terrenis & fluxis hujus vitæ, quæ & ſatiare animum non
poſſunt, & acerbiſſimis ſupplicijs ſunt æternùm luenda: mihi omne
gaudium & lætitia ſit, frui hîc ope & favore tuo, ac poſteà ſocietate in
cæleſti gloria.

XII. De Præparatione ad Sacrificium Missæ.

PUnct. I. Conf. 1. Sacrificium licet quandoque in Scriptura sacra significet omne opus virtutis: *Sacrificium laudis honorificabit me. Sacrificium Deo*
Ps. 49.23. Ps. 50.19. *Spiritus contribulatus*; tamen propriè accipi pro oblatione rei corporeæ facta Deo: quæ ab eo instituta inde à mundi exordio ad agnitionem supremæ ejus Majestatis, & subjectionis nostræ, distinctiùs deinde cum pluribus cærimonijs præcepta est in lege scripta per Moysem, perfectissimè verò per Christum in lege gratiæ. 2. Conf. Sacrificia omnia legis veteris divisa in quatuor fines; nempe *Holocausta*, quæ integra cremabantur, & Latreutica dicebātur ad agnitionem supremi ejus dominij in omnem creaturam: *Eucharistica* in gratiarum actionem pro beneficijs ab eo acceptis: *Propitiatoria* pro peccatorum venia ab eo obtinenda, & ad eum placandum peccatis nostris offensum: *Impetratoria* denique ad consequenda ab eo nova beneficia corporis & animæ.

Punct. II. Consid. 1. Quatuor fines supradictos contineri perfectissimè in Sacrificio oblato à Christo, tum in ara crucis, tum pridiè in cœna sub speciebus panis & vini; ubi ipse Christus, in quo ęternus Pater sibi prę omnibus complacuit, offertur, ejusque fructum applicari nobis non tantùm ex opere operantis pro devotione offerentis, sed & ex opere operato, seu virtute Sacrificij. 2. Christum hanc potestatem communicasse omnibus Apostolis pręsentibus, & per eos eorum successoribus, ut perpetuus hujus usus in Ecclesia ad finem usque mundi remaneret: & cùm quotidie labamur, virtute hujus Sacrificij quotidie possemus resurgere. 3. Pręcipuum offerentem hîc semper esse Christum, qui apud Patrem in cęlis
Rom. 8. 34. Ps. 109.4. *pro nobis interpellat*: *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*; deinde Sacerdotem ejus in terris Vicarium, atque etiam ipsam Ecclesiam totam, sed nominatim assistentes ei corpore aut desiderio.

Punct. III. Consid. 1. Ad uberiorem fructum hujus Sacrificij institutum insuper esse à Christo per Apostolos, ut in eo repręsentarentur nobis pręcipua vitę suę mortisque mysteria, quæ ipse personaliter in singulis altaribus quasi theatris, spectante ęterno Patre ac cęlesti Curia, ad eorum gaudium & salutem nostram exhiberet. 2. Conf. Pręsentem etiam omni Sacrificio esse multitudinem Angelorum, prout sępiùs à diversis Sanctis ad tanti mysterij honorem ac reverentiam conspecti sunt. 3. Rectè hoc Sacrificium Missam appellatum, eò quòd hîc Hostia ad nos à Deo mittatur, & ad eumdem à Sacerdote remittatur. 4. In hunc finem loca pia peculiariter deputari, quę à sęculari strepitu vacua moneant nos etiam sęculares cogitationes ibi excludere, & ornatu suo commendent nobis internum ornatum animę: ad ingressum verò labrum habeant, aquę benedictę, quo moneant nos etiam minores maculas priùs eluere pro
Ps. 28. 9. tanti mysterij reverentia. *Et in templo ejus omnes dicent gloriam.*

XIII. De

XIII. De Vestibus Sacerdotalibus.

PVnct. I. Consid. Sicut olim in lege veteri, ita & nunc in lege gratiæ peculiares vestes Sacerdotibus esse præscriptas, quibus & mysteria sacrificij nostri significarentur, & ipsi, atque omnes illi assistentes ad virtutes congruas excitarentur. Ac 1. per *Amictum* significari velum quo caput Christi in domo Caiphæ velatum est, nobisque commendari ejus exemplò custodiam sensuum, potissimùm oculorum & linguæ. 2. Fiduciam in divino auxilio, quam postulat Sacerdos dicens: *Impone Domine capiti meo galeam* (quam Apostolus spem vocat) *salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.* 1. Thess. 5. 8.

Punct. II. Consid. per *Albam* significari 1. albam vestem, qua Christus ab Herode illusus est, ejusque exemplo moneri nos opprobria mundi etiam patienter tolerare. 2. Sectandam vitæ puritatem, qua consequamur vestem gloriæ, quam postulat dicens: *Dealba me Domine, & munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.* 3. Longitudine vestis moneri nos de perseverantia in ea vitæ puritate, quibuscumque incommodis occurrentibus usque ad finem vitæ.

Punct. III. Consid. *Cingulo*, quo Alba constringitur, significari 1. funes quibus Christus in passione constrictus est, qui etiam significantur per manipulum & stolam; ac moneri nos, ut amore ejus etiam libertatem nostram, & sensus vinculis modestiæ & obedientiæ constringamus. 2. Quia ex lumbis, qui constringuntur, originem capiunt motus libidinis, commendari nobis virtutē castitatis, ad tā sublime mysteriū peragendū maximè necessariẹ, quam postulat dicens: *Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lūbis meis humorē libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ & castitatis.*

Punct. IV. Cons. per *Manipulum* sinistro brachio impositū cōmendari nobis afflictiones & adversa quæcumque hujus vitæ patienter ferenda, iisq; nos à Deo honorari, & excitari ad spem gloriæ: unde precatur: *Merear Domine portare manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris*, secundùm illud Prophetæ: *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Psal. 125. 5. *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua: Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

Punct. V. Consid. per *Stolam* excitari nos iterum ad spem gloriæ deperditæ per inobedientiam primi parentis, & recuperandæ per obedientiam Christi ac nostram; unde precatur: *Redde mihi Domine Stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis, & quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.*

Punct. VI. Consid. per *Casulam* significari vestem purpuream, qua Christus in domo Caiphæ ad illusionem indutus est, ejusque crucem à nobis etiam promptè subeundam, & commendari charitatem erga Deum & proximum, amicos & inimicos; unde precatur: *Domine qui dixisti: Iugum meū suave est & onus meū leve: fac ut istud portare sic valeam, ut consequar tuā gratiā. Amen.*

XIV. De Sacrificio Missæ. Pars I.
Quæ est ab ingressu ad altare.

PUnct. I. Consid. 1. Sacerdotem egredi è sacrario in persona Christi è sinu Patris, & utero Virginis exeuntis, notatum corona in capite in signum regiæ dignitatis, quæ deinde per spineam à Judæis delusa est. 2. Ministrum in persona Angelorum qui ibi invisibiliter assistunt, adesse; ideoque munus hoc Angelicum ob excellentiam & fructum sacrificij plenius participandum, prompte esse amplectendum. 3. Auspicandum cum Sacerdote à signo Sanctæ Crucis in honorem Sanctissimæ Trinitatis, pro auxilio cōtra hostes per Christū obtinēdo. 4. Manibus junctis significari Christūquasi ligatis manibus se offerre æterno Patri ad supplicia pro peccatis nostris, idemq; suo & Ecclesiæ nomine agere Sacerdotem.

Punct. II. Consid. 1. Rectè hìc adhiberi ab Ecclesia psalmum, quo Pro-
Psal.42. pheta regius ab hostibus oppressus, nomine suo, & Christi, & Ecclesiæ petit divino cultui cum libertate restitui; quem psalmum iuxta secundum orandi modum expende, ac nominatim quomodo imploret Dei velut æqui judicis auxilium, ut à crudeli hostium oppressione liberetur, cùm in ejus fortitudine spem suam omnem collocaverit. 2. *Emitte*, inquit, *lucem* tuam misericordiæ, *& veritatem* in promissis, juxta quæ confidit se cultui ejus restituendum, renovato mentis vigore. 3. Addit se prædicaturum Dei beneficia, non verbis tantùm, sed & operibus, velut cithara, eoque pergit spem excitare, cùm solus ipse sit animæ salus. 4. Concludit versu *Gloria Patri &c.* in laudem Sanctissimæ Trinitatis, quo usurpato ab exordio Ecclesiæ, & post devictum Arrium singulis psalmis subjuncto, etiam opera tua omnia conclude. 5. Consid. Recitationem alternis cum ministro, & antiphonas inductas ad similitudinem chori Angelici, illam
Isaiæ 6 3. ab Isaia, has verò à S. Ignatio Martyre perceptas.

Punct. III. Consid. 1. Quomodo Sacerdos confirmata fiducia in Dei adjutorio, inclinans se in signum submissi animi, & dolentis de peccatorum pondere, agnoscat ea coràm Sanctis, & proximo, sive cogitatione, sive verbo, sive opere commissa, eaque detestans per tunsionem pectoris
Luc.18.13. cum Publicano, petat sibi per Sanctorum patrocinia condonari; quod & minister omnium nomine mox repetit. 2. Quomodo vitam sibi novam à Deo per ejus misericordiam ardenter imploret. 3. Ascendens alrare dicit: *Aufer a nobis, quæsumus Domine, iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire, per Christum Dominum nostrum.* Inde ibi se inclinans ad osculum altaris dicit: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt, & omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.* ubi & tu eosdem affectus excita pro animi puritate, & reconciliatione cum Deo ac Sanctis per osculum altaris obtinenda.

Orationes secretas quotidie dicendas vide in fine simul collectas.

Quæ est ab Introitu.

PVnct. I. Conſ. 1. Sacerdotem accedendo ad cornu dextrũ altaris ſignificare Verbum Dei priùs Judæis traditũ, genti à Deo electæ, inde & tu diſce accepto ab eo dona conſervare: ipſum deinde paucis verſibus recitatis exprimere deſideria ſanctorum Patrum ad Chriſtum, & laudes Dei ac Sanctorum, quos affectus etiam in te excita, ut ſic te ad nova beneficia obtinenda diſponas. 2. Conſ. implorare eum Dei miſericordiam, dicendo novies *Kyrie*, vel *Chriſte eleyſon*, id eſt Domine miſerere, agnoſcendo in perſonis ſingulis divinam potentiam & miſericordiam, qua triplicem miſeriam noſtram, culpæ, pœnæ, & ignorantiæ velint tollere, precibus noſtris quantumvis repetitis minimè fatigabiles. 3. Subdit hymnum *Gloria in excelſis Deo*, quo ſignificat gaudium Angelorum in Chriſti nativitate, *Luc. 2. 14.* ortamque inde Deo gloriam, & hominibus ſalutem: attendendã hic verba ab Eccleſia adiecta plena ferventibus affectibus laudis Dei, adorationis, gratiarum actionis, & petitionis, cum titulis excellentiæ & amoris, ut quod petimus conſequamur. 4. Oſculatur altare in ſignum fidei & amoris erga Chriſtum, utque acceptam ab eo pacem omnibus communicet, precatur illis *Dominus vobiſcum*, & Chriſti nati apparitionem factam Regibus deſignat. Monetur etiam Sacerdos reſponſo Miniſtri *& cum Spiritu tuo*, non tantùm lingua, ſed potiſſimùm mente & Spiritu orare, quem ut Deus devotione & fervore adimpleat, ipſe precatur.

Punct. II. Conſ. 1. Sacerdotem dicendo *Oremus* excitare præſentes ad orandum ſecum, & extenſa manu quaſi colligere eorum corda ac deſideria ad Deum. 2. Orationibus hiſce efficaciam addi non ſolùm à multitudine orantium: (*Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo*:) *Matt. 18. 19.* ſed etiam à concluſione per Chriſtum, noſtrum apud Patrem potentiſſimum Advocatum; unde & ipſe ait: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* *Ioan. 16. 23.* 3. Tenere eum manus extenſas, tum ad exprimendam vim orationis & deſiderium ad cæleſtia, tũ ad ſimilitudinem Chriſti orantis è cruce. 4. Epiſtola velut à Spiritu ſancto ad fideles miſſa contineri fidelium inſtructionem, eamque proinde attentè & reverenter excipiendam, ſed & opere exercendam: quare Sacerdos eam legens manum libro applicat: inſuper deſignari ea prædicationem S. Joannis Baptiſtæ præcurſoris Domini.

Punct. III. Conſ. 1. Ante Euangelium orare Sacerdotem pro munditie cordis ac labiorũ ad digne eloquendam doctrinam Chriſti, ora & tu ut eã cum fructu poſſis excipere. 2. Converſus ad ſiniſtram partem altaris deſignat doctrinam Chriſti repudiatam à Judæis, deinde tranſlatam eſſe ad gentes. 3. Signat cruce Euangelium, ut ſignificet Chriſtum ex doctrina ſua crucem velut præmiũ retuliſſe, inde & frõtem ſuã, os & pectus ſignat, ne Euãgeliũ erubeſcat: ſed ore & corde tueatur.

Quæ est ab Offertorio.

PVnct. I. Consf. 1. Sacerdotem consueta ad populũ salutatione, *Dominus vobiscũ*, significare piã cõversationem Christi cũ Judęis, & gratiã precari nominatim mutuæ caritatis ad præsens Sacrificiũ dignè offerendũ. 2. Quia aggreditur apparatũ oblationis, præmittit clara voce sacrificiũ laudis; unde se convertit ad preces secretas exemplo Christi, qui sæpiùs in vitæ decursu, ac maximè sub tempus passionis Patrem secretò oravit. 3. Præoffert sacrificiũ mox immolandũ, exemplo etiã Christi, qui ante passionẽ suã sępiùs se Patri obtulit, imò *ingrediens mũdũ dixit: Ecce venio*; unde

Heb. 10. 5. Psal. 39. 7. disce etiã sæpiùs te tuaq; opera Deo offerre, atq; hîc potissimũ cũ Sacerdote offer cor tuũ, ut in eo destruatur quidquid terrenũ est, & dicere possis cũ

Gal 2. 20. Apostolo: *Vivo ego, jã non ego, vivit verò in me Christus*. 4. Cõs. per panem ex pluribus granis tritici significari unionem fidelium, per azymũ verò puritatem à vitiis, nominatim superbiæ; patena in qua offertur, significari latitudinem caritatis, eam deinde in formã crucis deduci, ut significetur oblatio fieri supremo Domino in propitiationem pro quatuor mundi partibus, dicta interim oratione, *Suscipe sancte Pater, &c.*

Punct. II. Consid. 1. Post oblatum panem, Sacerdotem parare calicem, in quo miscet aquam vino, exemplo iterum Christi, & ex præcepto Ecclesiæ ad significandum aquam cum sanguine fluxisse è Christi latere in cruce, & naturam humanam junctam Verbo, nostramq; hîc per gratiam, ac posteà per gloriam ipsi uniendam, quod precatur dicens: *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem &c.* 2. Offerri deinde calicem etiam pro totius mundi salute, & adjungi sacrificium internum verbis Azariæ è fornace

Dan. 3. 39. Babylonica, *In spiritu humilitatis, & in animo contrito, &c.* ut sic etiam ab offerente sacrificium Deo placeat; nam *respexit Dominus* primùm *ad Abel, &*

Gen. 4. 4. Gregorius. inde *ad munera ejus*; & *cùm is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.* 3. Precatur gratiam à Spiritu sancto fonte omnis sanctitatis pro hac stupenda & salutari conversione facienda dicens: *Veni sanctificator &c.* 4. Signat cruce panem & vinum oblatum, ut Deo repræsentet merita Christi per crucem consummata, ac postulatum à

Is 53. 10. Deo conditionem pro salute nostra: *Si posuerit pro peccato animam suam.*

Punct. III. Cõsid. 1 Sacerdotem deinde lavare extremos digitos ad indicãdã mũditiem cordis etiã à culpis levioribus pro hoc sacrificio requisitã. 2. Recitare eũ partem è psalmo Davidis *Lavabo*, &c. ut sicut ipse ibi in-

Psal. 25. 6. ter gẽtiles exul, ad patriã Deiq; cultũ adspirabat, sic & se ostendat eò unicè adspirare. 3. Eũ jã à culpis puriorẽ offerre hostiã ut Eucharisticã, sive in gratiarũ actioẽm pro beneficiis acceptis, dicendo: *Suscipe S. Trinitas &c.* 4. Diffidentem deinde infirmitati suæ, implorare fideliũ preces, *Orate fratres*, ut & ipsi ad rẽ tãti momẽti pro totius Ecclesiæ salute pari pietate & fervore conspirent.

XVII. De

XVII. De Sacrificio Missæ. P. IV.
Quæ est Præfatio.

P*Unct.I.* Consid. 1. Sacerdotem quò propiùs accedit ad commemorandam Christi Passionem, eò impensiùs in ejus laudes incumbere, & hortari omnes ut Christo proximè è cælis in altare descensuro reverenter occurrant, *sursum corda*, attollendo cogitationes & affectus à terrenis & vanitatibus ad Deum & cęlestia, & attende quo spiritu & veritate respondeas: *Habemus ad Dominum.* 2. Monere nos quid menti ad Deum elevatæ agendum sit: *Gratias agamus Domino* pro beneficio redemptionis, *Deo nostro* pro beneficio creationis. 3. Inde extendendam gratiarum actionem ad reliqua omnia Dei in nos collata beneficia, *verè dignum*, inquit, ob infinitam ejus majestatem & excellentiam, *& justum est* ob nostram vilitatem & subjectionem, *æquum* ob tam multiplicia & eximia ejus in nos collata beneficia, *& salutare*, quia hæc gratitudo nostra maximè provocat in nos Dei beneficentiam, *nos tibi semper & ubique gratias agere*; nullum enim tempus aut locus vacat sine singularibus Dei in nos beneficijs; unde Psaltes: *Semper laus ejus in ore meo*; & *in omni loco dominationis ejus benedic omnia* Ps. 33. 1. *mea Domino.* Ps. 102. 22. 4. Dignis titulis Deum compellat tanquam Ecclesię Legatus: *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus*, quibus se aliosque ad reverentiam, fiduciam, & amorem excitet.

Punct. II. Consid. 1. Sacerdotem, ut hos virtutum affectus gratiores Deo reddat, offerre eos *per Christum Dominum nostrum*; unde discamus per eumdem nos, & nostra omnia Deo offerre. 2. Eum hortari nos etiam exemplo cælestium spirituum, ut pari cum illis reverentia & gaudio cultum Deo deferamus, *cum quibus & nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes.* Quare studeamus cum omni submissione ardentes illorum affectus imitari. Tremunt illi, colũnæ cœli: & nos pulvis & cinis, tot peccatis obstricti, ociosi oscitabimus? *Cum timore & tremore salutẽ vestrã operamini.* Phil. 2. 12.

Punct. III. Consf. 1. Materiam laudis Angelicæ esse sanctitatem & majestatem Dei unius ac trini, ac nominatim Christi redemptoris, cui concinunt Hymnum triumphalem, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, quo & nos ad eamdem sanctitatem, seu perfectionem imitandam hortantur, juxta illud, *San-* Isa. 6. 3. *cti estote, quia ego sanctus sum.* 2. *Dominus Deus Sabaoth*, seu Exercituum. Sic com- Lev. 11. 44. pellat cęlestes illos spiritus, ob eorum fortitudinem, subjectionem & promptitudinem, quam & tu imitare. 3. *Pleni sunt cæli & terra gloria sua*; nam ubique monumenta sunt divinæ in nos beneficentiæ, nosque ad eum laudandum excitant. 4. Post Hymnum Angelicũ profert Sacerdos Hymnum etiã Iudæorum Christo die Palmarũ Ierosolymã ingredienti acclamantium, *Hosanna in excelsis*, quo ei fausta ac felicia iteratis affectibus apprecantur, nosque eódem invitant: sed cavendum ne cum illis turpi inconstantia citò deficiamus, convertentes carmen laudis in opprobrium.

Quæ est initium Canonis.

PVnct.I. Conf.1. Canonem seu regulam ab Ecclesia præfinitam pro ritu Sacrificij in silentio peragi à Sacerdote, ad designandam venerationem divinę Majestati debitam, & animi attentionem pro mysterij pręsentis gravitate. 2. Dirigi hanc precationem ad Deum Patrem *Clementissimum*, quia summæ clementiæ est, peccatoribus non solùm ignoscere, sed etiam benefacere. 3. Adhiberi Mediatorem *Iesum Christum Filium*, quo paterni animi benignitatem magis commoveat. 4. Conditiones ponit ad bene Orandum requisitas, diffidentiam sui, & confidentiam in Deo, cùm ait: *Supplices rogamus ac petimus*. 5. Exponit petitionem, *uti accepta habeas ac benedicas hæc dona*, à te in nos collata, *hæc munera*, à nobis oblata, *hæc sancta Sacrificia illibata*.

Punct.II. Conf.1. Hoc Sacrificium ab eo non tantùm ad propriam, sed plurium utilitatem offerri, cùm ait: *Inprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica*; nam bonum universale præponendum privato, *quam pacificare* ab hostium persecutione, *custodire* in pace obtenta, *adunare* accessione infidelium, *& regere* peculiari cura *digneris toto orbe terrarũ*. Inde commendat Caput Ecclesiæ visibile, ac loci Antistitem, & omnes fideles. 2. Ex his peculiariter quosdam Deo commendat, dicens: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum*, in quibus commendandis memoriam juvare potes repręsentationę crucifixi, ubi *ad Corpus Christi* commenda corpus Ecclesię, ac nominatim regnũ, provinciam, ac locum in quo degis; *ad Caput* superiores Ecclesiasticos & Civiles; *ad Manum dextram* parentes, propinquos, & benefactores; *Ad sinistram*, Inimicos Ecclesię, gentiles & hæreticos, peccatores, & adversarios tuos; *Ad Pedem dextrum* omnes in vinea Domini laborantes, omnis ordinis religiosos, Ecclesiasticos, & justos; *Ad sinistrum*, omnes mœstitia oppressos & afflictos animo aut corpore; *Ad Latus*, Eum pro quo Sacrificium singulariter offers, inde teipsum, & paucos alios.

Punct.III. Conf.1. Post piam pro alijs precationem implorare Sacerdotem suffragia Sanctorum, ut & ipsi pro nobis intercedant, dicens: *Communicantes* non solùm cum fidelibus in terra, sed & cum beatis in cęlo, inprimis gloriosa semper Virgine Maria, quæ hostiam hanc nobis peperit, & cum 12. Apostolis, ac totidem Martyribus, qui gloriosa morte sua hoc Sacrificium maximè honorarunt. 2. Cùm dicit: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ*, exprimit primarium finem hujus Sacrificij, qui est ad contestandam Dei excellentiam, & nostram subjectionem, petitque pacem cum Deo in hac vita, & in altera, imponens interim manus super oblata, ut significet se hostiam illam pro immolatione vitæ nostræ substituere.

Quæ est consecratio.

PVnct.I. Consf.1. Sacerdotem hîc singulariter sustinere personam Christi, cujus proinde externa modestia, pietas in Patrem, & zelus in proximum tum ab ipso, tum ab alijs assumendus est. 2. Tempus referri hujus oblationis primùm à Christo factæ, *qui pridie quàm pateretur*, cùm Iudæi pararent ei vincula, flagella, & mortem crucis, ut doceret nos nullis etiam adversis ab amore sui separari. 3. *Accepit panem*, ut ostenderet hunc corporalem proximè convertendum in Spiritualem, esse cibum animæ; *In sanctas*, nulla umquam peccati labe fœdatas, *& venerabiles manus suas*, ob potentiam & majestatem. 4. *Et elevatis oculis in cælum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem*, ut ad eum primum auctorem oculos mentis nostræ provocaret. *Tibi gratias agens*, de omnibus, sed hoc nominatim beneficio; *Benedixit*, invocando Patris potentiam, ut præsto esset; *Fregit* ad commendandam mutuam charitatem, qui de uno pane edimus; *Deditque discipulis suis*, jam ritè dispositis, potissimùm per ablutionem pedum ad munditiem mentis, dicens: *Accipite & manducate ex hoc omnes.* Expende beatum donum, in quo continentur omnes thesauri divinitatis.

Punct.II. Consid. 1. Potentissima hæc quinque verba, *Hoc est enim corpus meum*, quibus prolatis mox sistit se Dei Filius è sinu Patris in manibus Sacerdotis: unde imitare promptam ad infima obedientiam. 2. Licet significatione verborum ponatur hîc solum corpus, & alijs mox Sanguis Christi, tamen utrobique propter unionem poni totum Christum in cælis gloriosum; quem proinde cum Sacerdote supplex latriæ cultu adora. 3. Elevari hostiam ad liberiorem ab omnibus aspectum & venerationem; quare dicendum vel cum S. Petro, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, vel cum Thoma, *Dominus meus, & Deus meus.* *Matt. 16. 6. Ioan. 20. 28.*

Punct.III. Cons. 1. Christum voluisse etiam sub specie vini seipsum offerre, ad complendum Sacrificium & convivium; quare subdit Sacerdos: *Simili modo postquam cœnatum est*, absumpto agno Paschali, cui seipsum Christus mox substituebat. 2. *Accipiens & hunc præclarum calicem*, fontem vitæ æternę, dixit: *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti*, quo expressit ultimam suam voluntatem de donanda nobis hereditate ęterna, *mysterium fidei*, quia secretum est sola fide percipiendum. 3. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*: pro omnibus, ac singulis quoad sufficientiam, pro electis verò quoad efficaciam, *in remissionem peccatorum.* 4. Ad servandam deinde in nobis perpetuam hujus beneficij memoriam, collatam esse à Christo Apostolis potestatem idem faciendi, alijsque communicandi: neque aliud à nobis in compensationem exigi: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Quæ est post Consecrationem, & postrema Canonis.

PVnct. I. Conf. 1. Quia Christus post oblatum hoc in cena Sacrificium præceperat Apostolis sui memoriam, Sacerdotem mox omnium nomine hanc profiteri, nec tantùm *beatæ ejus passionis* cum affectu charitatis, sed *& resurrectionis* ejus cum viva fide, *& gloriosæ Ascensionis* cum firma spe eamdem consequendi. 2. Neque nudam hîc adferri memoriam, sed & hostiam jungi nobilissimam & aptissimam ad Patris in nos misericordiam flectendam. 3. Instare Sacerdotem apud cælestem Patrem ut hostiam hanc propitio ac sereno vultu respiciens prodesse nobis faciat ad salutem; quare precatur sibi nobisque *Abelis* in offerendo Sacrificio innocentiam, & *Abrahæ* obedientiam, *& Melchisedechi* pietatem. 4. Implorat deinde Angelorum ibi præsentium, nominatim Tutelaris Angeli, & qui Altari illi præest, intercessionem.

Punct. II. Conf. 1. Sacerdotem exemplo Christi, qui post mortem suam animabus defunctorum in limbo & purgatorio mox solatium attulerat, hîc quoque detentis in purgatorio solatium implorare: quę licet jam certæ sint de præmio æternæ felicitatis, & liberę à bello tentationum, ac proinde videantur dormire in somno pacis; tamen quia adhuc torquentur desiderio divinæ visionis, & supplicijs quibus peccatorum reliquiæ
2. Mach. 12. 46. purgantur, *Sancta & salubris est cogitatio pro* illis *exorare, ut à peccatis solvantur.* 2. Sicut ipsi è cursu hujus vitę nos præcesserunt, ita & nos eódem tendere. Quam mortis memoriam homini utilissimam commendat Sapiens: *In*
Eccl. 7. 40. *omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* 3. Interrumpit Sacerdos sacrum silentium implorando etiam sibi ex intimo affe-
Matt. 27. 54. ctu divinam misericordiam, dicens: *Nobis quoque peccatoribus,* quo & Centurionis, & aliorum post Christi mortem pœnitentiam designat, & Sanctorum Martyrum patrocinia exposcit. *Reminiscere misericordiarum tuarum*
Psal. 24 6. Psal. 50. 2. *Domine, quæ à sæculo sunt. Et secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.*

Punct. III. Conf. 1. Post plures precationes ad cælestem Patrem, subjungi hîc laudes Christi Salvatoris, tanquam ejusdem cum Patre substantiæ; unde subdit: *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas* ad sacros usus assumendo, *vivificas* convertendo in vivum corpus & sanguinem Christi, *benedicis* communicatione donorum, *& præstas nobis* ad fruendum: unde disce Christo de acceptis donis gratias agere. 2. Ad hanc Christi gloriam celebrandam Sacerdos hostiam super calicem elevat, cruces interim formando, dicens: *Per ipsum,* ut Mediatorem, *& cum ipso,* ut Patri æquali, *& in ipso,* ut consubstantiali, *est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor & gloria,* tum intrinseca ob eamdem cum Patre naturam, tum extrinseca, quę in beatorum ac fidelium cultu consistit, ad quem provocat omnes pręsentes.

PUnct. I. Cons. 1. Sacerdotem absoluto Canone in silentio, mox alta voce proferre orationem Dominicam, tanquam gratissimam æterno Patri, nobisque vtilissimam, ac proinde ab omnibus pariter usurpandam. 2. Per fractionem hostiæ iterum designari passionem Christi, & mortem, per duas partes in patena coniunctas coniunctionem animæ cum corpore in resurrectione, per tertiam verò partem calici immixtam, restitutionem Sanguinis, de quo Christo gratulare. 3. Pacem precatur exemplo Christi, eam discipulis apprecantis in resurrectione, etiam Deo iam reconciliatis, Luc. 24. 36. & inter se per concordiam & mutuam charitatem.

Punct. II. Cons. 1. Sacerdotem deinde convertere se à cælesti Patre ad Christum in altari, quem priùs adoratum, *Agnum Dei* compellat, exemplo Præcursoris ob innocentiam, mansuetudinem, & oblationem. 2. *Qui tollis*, Ioan. 1. inquit, non semel, sed perpetuò morte tua expiando peccata originalia, 29. mortalia, & venialia; cordis, oris, & operis: quam gravissimam miseriam petit tolli à nobis quoad culpam & pœnam, paceinque restitui. 3. Ternam deinde ad eumdem Christum subiungit orationem voce submissâ, qua petit Ecclesiæ pacem, constantē mandatorum observantiam, & fructum ex perceptione hujus Sacramenti.

Punct. III. Cons. 1 Sacerdotem ante sumptionem Sacramenti, id reverenter iterum adorare, dicendo: *Panem cælestem accipiam, & nomen Domini invocabo*; inde clara voce exprimere affectum humilitatis cum Centurione: *Domine non sum dignus, &c.* idque tertiò repetere, ut Excellentiam ipsius, & vilitatem nostram coram cælestibus, terrestribus, & inferis palàm Matt. 8. profiteatur. 2. Eum ad sumptionem hostiæ hærere aliquantum in ejus meditatione, quis, quem, quare, & quomodo visere dignatus sit, attendendo infinitam ejus potentiam, sapientiam, & bonitatem, cum affectibus Fidei, Spei, Caritatis, Himilitatis, & oblationis sui.

Punct. IV. Cons. 1. Completo Sacrificio, Sacerdotem reverti ad cornu dextrum altaris, ut significet doctrinam Christi ad gentem Iudæorum, quibus primùm nunciata est, sub mundi finem restituendam. 2. Inde eum laudare Deum pro collatis per præsens Sacrificium beneficijs, & exemplo Christi in Ascensione, benedictione datâ præsentibus, nova eis dona apprecari. 3. Subdit denique Euangelium S. Ioannis, ut ex eo cognoscatur Christi pro nobis oblati excellentia, clementia, & benignitas, qua ad nos descendens plenitudinem gratiæ & veritatis communicare dignatus est. Et quia gratiarum actio debet esse conclusio omnium bonorum operum, Sacerdos subdit privatim Canticum trium puerorum, quo invitat omnes creaturas etiam insensibiles, ut omnes Deum laudent pro beneficio in nos collato, atque in eo debilitatem nostram suppleant.

XXII. De audiendo verbo Dei.

PUnct. I. Conf. 1. Neceſſitatem verbi divini audiendi, cùm illud det
vitam, lucem, & robur animæ noſtræ, ſine quo deficit & in tenebris
Pſ.118. aberrat. *Eloquium tuum vivificavit me. Lucerna pedibus meis verbum tuum, &*
50. *lumen ſemitis meis.* 2. Nec ſufficere, quod doctus tibi videaris & eruditus;
Pſ.118. nam *audiens ſapiens ſapientior erit*, dum per illud excitatur memoria de ſe
105. labilis, & voluntas in malum prona, ad bonum erigitur, atque in eo con-
Prov.1.5. firmatur. *Dormitavit anima præ tædio: confirma me in verbis tuis*. 3. Deum velle
Pſ.118. alium ab alio doceri ad exercitium humilitatis. Ita Davidem Regem licet
28. ſapientiſſimum permoveri voluit ad pœnitentiam à Nathane Propheta,
2.Reg.7. & Paulum à ſe è nubibus increpitum miſit erudiendum ad Ananiam:
1. quare qui ſibi adeò ſapit, ut non dignetur audire alios, plus ſuperbiæ
Act.9.10. oſtendit ſe habere quàm eruditionis, nec poteſt in eo eſſe virtutum amor,
in quo eſt faſtidium doctrinæ cæleſtis.

Punct. II. Conſ. Quomodo verbum Dei audiendum ſit. 1. *Reverenter*, tan-
quam, ut verè eſt, verbum Dei: unde S. Auguſtinus: *Ego quid ſum niſi co-
phinus ſeminatoris, ille in me ponere dignatus eſt, quod vobis ſpargo.* 2. *Amanter*,
cum deſiderio cæleſtis pabuli; nam ſicut formica colligit ſibi æſtate pa-
bulum quo veſcatur hieme, ita & in tranquillitate excipere nos oportet
Luc.5.1. verbum Dei, quo paſcamur in rebus turbidis. 3. *Ferventer* ſuperatis diffi-
Marc.6.5. cultatibus, exemplo Iudæorum, *factum eſt cum turbæ irruerent in eum, ut au-
2. dirent verbum Dei. Ecce iam triduo ſuſtinent me*, & Magdalena nec ob dome-
Luc.10. ſtica miniſteria, nec ob ſororis murmura à verbo Dei audiendo avelle-
39. batur. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſervum tuus dilexit illud.*
Pſ.118. 4. Cùm deſiderio exequendi. *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem*
140. *tibi*. Quare comparantur à Chriſto cum terra bona ij *qui in corde bono & op-*
Pſ.118. *timo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. Si hæc ſcitis, beati*
11. *eritis, ſi feceritis ea.*
Luc.8.15. *Punct. III* Conſ. 1. Fructum & incrementa bonorum operum ex verbo
Joan.13. Dei audiendo. *Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazium. Lætabar ego ſuper*
17. *eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa.* 2. Conſ. jucunditatem. *Narraverunt*
Pſ.118. *mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua,*
127. *ſuper mel ori meo*, & S. Gregorius Mannæ comparat habenti omne de-
Pſ.118. lectamentum ſuavitatis, ſed pro diſpoſitione ſumentium. *Iſte eſt panis*
162. *quem dedit vobis Dominus ad veſcendum*, ubi Moyſes ſubiungit: *hic eſt ſermo*
Pſ.118. *quem præcepit Dominus.* 3. Famē hanc verbi divini ſignū eſſe certum divinæ
85. prædeſtinationis. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* ubi Chryſoſtomus: *Sicut*
Pſ.118. *eſurire ſignum eſt ſanitatis in corpore, ſic amare divina eloquia indicium maximum*
103. *ſanitatis in anima. Auris bona audiet cum omni concupiſcentia ſapientiam.* 4. Ca-
Joan.8. rentiam hujus verbi divinæ tanquam pœnam à Deo. *Ecce dies veniunt di-*
47. *cit Dominus & mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed*
Eccl.3. *audiendi verbum Dei.*
31.
Exod.16. 16.
Amos.8. 11.

P

XXIII. *De actionibus per diem rectè obeundis.*

P*unct.I.* Consid. 1. Vt orationes nostræ sint Deo gratæ ac meritoriæ regni cælestis, requiri ut simus in statu gratiæ, & opus in se sit bonum vel saltem indifferens, ac dirigatur in finem non vanum aut terrenum, sed supernaturalem, qui est unus Deus supremum bonum nostrum. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Matt.6.1 *Sed omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.* Col.3.17. *Afferte Domino gloriam & honorem.* Ps.28.2. 2. Consid. Meritum unius operis augeri posse ex intentione puriori & multiplicata; si nempe dirigatur vel ad quatuor fines sacrificij instituti, ad honorem Dei supremi Domini nostri, in gratiarum actionem pro acceptis ab eo beneficiis, in propitiationem pro peccatis, & ad consequenda nova beneficia corporis & animæ. 3. Vel ad septem petitiones Orationis Dominicæ, ut per opus illud gloria Dei promoveatur, regnum cæleste consequamur, divinam ejus voluntatem impleamus, obtineamus corporis & animæ necessaria, remissionem peccatorum, fortitudinem ad superandas tentationes & liberationem ab omni malo, quod salutem impediat, vel retardet. Item ad honorem Deiparæ ac Sanctorum, pro certo defectu superando, vel virtute obtinenda, in auxilium defunctorum, ad lucrandas indulgentias, & pro felici morte. 4. Petendum à Deo auxilium gratiæ ad opus illud rectè, prout oportet, exequendum: *Deus in adjutorium meum intende.*

Punct.II. Consid. 1. In ipsa actione, attendendum esse intellectu, ut opus fiat ad exemplar Christi & Sanctorum, spectando Deum præsentem, inspectorem operis tui, sed potissimùm interni affectus; nam *omnis gloria filiæ regis ab intus.* Psal.44.14. Et *homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor* 1.Reg.16.7. 2. Voluntate renovandam subinde rectam intentionem: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, Ps.113.1. atque auxilium Dei assiduè implorandum. 3. Vires omnes corporis & animæ seriò applicandas, ad quod gentiles in sacrificiis movebantur: *Hoc age quod agis*, ac si opus illud ultimum esset; nam *omnem crede diem tibi diluxisse supremum*, Horat. l.1 ep.4. & Christus veniet *sicut fur in nocte.* 1.Thess.5.2. 4. Conf. opus absolutum Deo iterum offerendum esse in unionem meritorum Christi & Sanctorum, & examinandum; si rectè peractum, Deo gratias agendas; si malè, veniam petendam erratorum.

Punct. III Conf. 1. Omnem perfectionem nostram in hoc consistere, ut actiones nostræ quotidianæ sic rectè peragantur, operando non solùm quod Deus vult, sed prout Deus vult. *Iustè quod iustum est persequeris.* Deut.16.20. 2. Eum qui sic operatur, implere mandatum Christi semper orandi; nam *semper orat*, ait S. Augustinus, *qui propter Deum operatur*, & accumulat copiosa merita gratiarum, *confirmatus in brevi explevit tempora multa.* Sap.4.13. 3. Difficultatem in hoc occurrentem sensim minui, teste S. Bernardo: *Primum tibi importabile videtur aliquid, processu temporis, si assuescas, iudicabis nō adeò grave: paulo post leve senties & delectabile.*

XXIV. *De silentio & certo usu linguæ.*

PVnct. I. Quanti momenti sit diligens linguæ custodia, cùm per eam velut animi interpretem quidquid intus latet, cogitationes, affectus, & studia cum aliis communicemus, ideoque à recto ejus usu maxima bona hominibus provenire, & ab usu pravo gravissima mala. 2. Cons. primam & communem hominum calamitatem à pravo linguæ usu exortam, cùm Adam sermonibus Evæ ad peccatum inductus est, eamque inde quotidie in nobis crescere. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum*; quare & appellatur *vniversitas iniquitatis, inquietum malum, plena veneno mortifero.* 3. Eam esse linguæ corruptelam, ut ad eam regendam inter omnes hominis facultates peculiari Dei auxilio opus sit: *Linguam nullus hominum domare potest. Hominis est animam præparare, Dei autem gubernare linguam*: Atque ideo cum binæ aures homini datæ sint, linguam unicam à Deo datam esse, eamque duplici custodia dentium & labiorum munitam.

Prov. 25. 28. Iac. 3. 5. Iac. 3. 8. Prov. 16. 1.

Punct. II. Christianam perfectionem potissimùm pendere à recto vsu linguæ, qui si absit, nulla solida virtus subesse potest. *Siquis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio.* Et contrà, *si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* 2. Cons. linguam iusti esse instrumentum Dei, à quo non nisi sancta prodeunt. *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur iudicium. In ipsa benedicimus Deum & Patrem*, peccata confitemur, Eucharistiam suscipimus, ac divina mysteria enunciamus: in lingua verò non custodita *maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.* 3. Si de omni verbo otioso severa ratio aliquando reddenda sit, quid fiet de verbis mendacibus, superbis, iracundis, contumeliosis, detractorijs, & lasciuis?

Iac. 1. 26. Iac. 3. 2. Ps. 36. 30. Iac. 3. 9. Matt. 12. 36.

Punct. III. Cons. 1. Remedia pro recto vsu linguæ, atque in primis singulare Dei auxilium enixè implorandum: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.* 2. Præmeditandum id quod loquendum est, & spectandæ circumstantiæ loci, temporis, & personarum. *Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* & S. Augustinus: *Sicut eligis quo vescaris, sic elige quod loquaris.* 3. Disce priùs tacere quàm loqui: *Homo sapiens tacebit usque ad tempus. In multis esto quasi inscius, sed audi tacens.* 4. Cons. fructum silentij, & linguæ moderatæ: *Qui custodit os suum & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam. Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos, coërceat linguam suam à malo, & labia ejus ne loquantur dolum. In silentio & spe erit fortitudo vestra.* Deniq; proponendum exemplum Christi, qui inter gravissimas contumelias, *quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.*

Ps. 40. 3. Ps. 38. 2. Iac. 1. 19. Eccl. 20. 7. Eccl. 32. 10. Prov. 17. 27. 1. Pet. 3. 10. Is. 30. 15. Is. 53. 7. Ps. 38. 1.

XXV. De

XXV. De lectione libri spiritualis.

PVnct.I. Conf. 1. Lectionem piam esse velut speculum animæ, ubi, ut ait S. Gregorius, *interna facies nostra videtur, ibi fœda, ibi pulcha nostra conspicimus, ibi sentimus quantùm proficimus, & quàm longè à profectu distamus.* 2. Hinc etiam illam dici admonitorem & concionatorem, cui proinde responde cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* & cum Davide: *Audiam* 1.Reg.3. 9.
quid loquatur in me Dominus. 3. Esse velut epistolam à cœlesti Rege & Patre Ps.84.9.
ad te missam, per quam te ad se invitet, viam ostendat, duces assignet, & viaticum submittat: quare reverentiam & affectum eò excita. 4. Plures Sanctos hinc conversionis suæ initia hausisse, S. Augustinum pluribus concionibus S. Ambrosij non permotum, in lectione pia salutem invenisse: ita etiam S. Ignatium, Teresiam, aliosque complures.

Punct. II. Consid. Modum lectionis piè instituendæ. 1. cum pura intentione, non ad curiositatem, aut vanitatem, vel etiam proximi utilitatem, sed ad salutem & perfectionem propriam, ut in spiritu proficias & pinguescas 2. Cum matura attentione, non cursim, aut carptim hinc inde quædam delibando, sed consequenter ac tardè lecta recole, expende, subsiste, & locum da divinæ inspirationi. 3. Sicut copiosa ingestio cibi non prodest sed nocet corpori, nec præceps pluvia terram penetrat, ita & similis lectio. Nam ut rectè Seneca, *distrahit animum librorum multitudo, fastidientis stomachi est multa degustare, quæ uti varia sunt, & diversa, inquinant, non alunt. Onerat discentem turba, non instruit: Nusquam est, qui ubique est.* 4. Legendum cum ferventi devotione, quæ se exerat in affectus Ps.33.9.
compunctionis, emendationis, & imitationis. *Gustate & videte quoniam* Ps.118.
suavis, est Dominus. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! Spiritus meus super 103.
mel dulcis. Quare intermisce iaculatorias, & concipe proposita practica. Eccl.37. 27.

Punct. III. Consid. 1. Fructum hujus lectionis, qui est perfectio trium potentiarum animæ; memoriæ, ut tempore opportuno suggerat cogitationes pias; intellectus, ut illuminetur in cognoscendis imperfectionibus suis & perfectionibus Christi ac sanctorum; voluntatis, ut inde accendatur ad sui emendationem, & eorum imitationem. 2. Lectionem piam plurimum conferre ad orationem rectè instituendam; nam, ut ait Bernardus, *Lectio quasi cibum ori apponit, quem oratio frangit, & masticat:* Item ad pia cum proximo colloquia, & ad dæmonum fraudes cognoscendas & superandas.

Punct. IV. Consid. 1. Post lectionem gratias agendas Patri cœlesti pro tam benigna imitatione, salutari admonitone, & solida corroboratione. 2. Pauca seligenda, quæ memoriæ ac scripto mandata, subinde posteà recolantur, & usui sint in tempore tentationis vel ariditatis. 3. Auxilium divinæ gratiæ implorandum, pro exequenda Dei voluntate sic exposita; quare dic cum Davide: *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.* atque ad hoc moneri nos à S. Iacobo, *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fal-* Ps.67.29.
lentes vosmetipsos. Iac.1.23.

XXVI. De Examine Conſcientiæ.

CONſid. Examen conſcientiæ à ſanctis omnibus uſitatum & unicè commendatum tum propter inſignes virtutes quæ in eo exercentur, tum propter ſingulares fructus, qui ſunt augmentum gratiæ, remiſſio culparum, progreſſus in virtute, & animæ quies, ac ſolatium. Praxim autem hujus examinis conſiſtere in quinq; punctis ſequentibus.

Punct. I. Solve Deo grates. Vbi recenſe & expende beneficia tam liberaliter tibi à divina bonitate collata, creationis, conſervationis, redemptionis, vocationis ad fidem & religionem, de quibus ſubmiſsè gratias age, per Pſalmum: *Laudate Dominum*, &c. & in gratiarum actionem offer te ipſum cum facultatibus animæ & corporis ad ejus obſequium.

Punct. II. Pete lumen. Quia in defectibus noſtris cognoſcendis impedimur per amorem proprium, implorandum lumen Spiritus ſancti, quo intellectum noſtrum illuminet ad ſcrutandos & cognoſcendos defectus noſtros, ac æſtimandam eorum gravitatem; deinde voluntatem excitet ad eorum deteſtationem. Subjicere hîc potes hymnum: *Veni creator Spiritus.*

Punct. III. Diſcute mentem. Idque ab ultimo examine: *Circa Deum*, quomodo te geſſeris in functionibus ſpiritualibus, an integrè peregeris, an debita diligentia & attentione, num divinas inſpirationes neglexeris: deinde *circa ſuperiores*, quomodo te geſſeris in obedientia, ac regularum obſervantiâ *Circa proximum*, an læſeris eum in cogitatione, iudiciis temerariis, ira, contemptu, an verbis aſperis, detractoriis, an recuſaveris obſequia debitæ caritatis? an contra foveris erga aliquem affectum inordinatum aut familiaritatem. *Circa teipſum*, quomodo te geſſeris in cogitationibus ſuperbiæ, vanæ gloriæ, puſillanimitatis, quomodo in virtute caſtitatis & paupertatis, in verbis otioſis, curioſis, mendacibus, in quinque ſenſuum cuſtodia, modeſtia externa, ſtudio commoditatum, profuſione in occupationes, aut acedia. Expende in ſingulis cogitationes, verba, & opera, & omiſſiones, etiam per decurſum temporis ab una hora ad alteram.

Punct. IV. Peccati veniam poſce. Conſid. hîc defectuum tuorum numerum & gravitatem, quam Deo tantopere in te benigno ac liberali repoſuiſti, compara malitiam & ingratitudinem tuam cum ejus in te beneficentia, erubeſce & admirare longanimitatem ejus in te tolerando ac donis cumulando, dole ex intimo corde te infinitam illam bonitatem, tam levi de cauſſa toties offendiſſe, & miſericordiam ſupplex precare veniam, idque per merita Chriſti & Sanctorum.

Punct. V. Malumque fuge. Statue firmiter non amplius Deum offendere, & proſpice occaſiones defectuum, quas vel fuge, vel ſuperare contende, nominatim circa defectum certum, quo magis laboras. Conclude cum Oratione Dominica, vel etiam Pſalmo *Miſerere.*

XXVII. De examine particulari.

PVnct.I. Conf. 1. Licet examen conſcientiæ generale magnam vim habeat ad expugnandos ſenſim defectus, tamen quia *pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus*, & hoſtes ſi ſeorſim invadantur, citiùs ſuperantur; ita & defectus, ſi ſingulari cura in expugnandis ſingulis certetur. 2. Conſid. etiam diabolum ad perdendum hominem, eum plerumque ad certum aliquod vitium excitare; in quod videt eum à natura magis propenſum; re & adverſus illud ſingulari remedio advigilandum. 3. S. Ignatium hoc ſingulare ſeu particulare examen in ſe diligenter & conſtanter uſurpaſſe, atque aliis omnibus tanquam medium ad ſalutem efficaciſſimum unicè commendaſſe.

Punct. II. Conſ. Particulare examen conſiſtere in particulari cura alicujus vitij extirpandi vel virtutis acquirendæ, ſic ut manè in quotidianis precibus proponat particularem circa hoc curam, & gratiam imploret, interdiu de eodem ſolicitus ſit: Sub prandium examinet ſe, doleat de delictis, & meliora proponat, ſimiliter & veſperi. 2. Proderit etiam horis ſingulis cum S. Ignatio ſuper eo reflectere, numerum defectuum annotare, conferre diem, & ſeptimanam cum præcedenti, pœnitentiam levem pro erratorum numerò aſſumere, in meditatione aliiſque functionibus ſpiritualibus ſæpiùs ad hoc gratiam divinam implorare.

Punct. III. Conſid. 1. Pro materia examinis particularis aſſumendum vitium aliquod magis noxium, quodque aliis ſimul offendiculo eſt, iuxta iudicium Confeſſarij, v.g. externos actus immodeſtiæ, impatientiæ, vanæ gloriæ, &c. inde ad internos procedendum, denique ad actus virtutum obedientiæ, puræ intentionis, præſentiæ Dei, humilitatis, fiduciæ in Deo, &c. 2. Quia diabolus hoc exercitium, quod novit utiliſſimum, nititur maximè impugnare, adlaborandum viciſſim ne quis in eo per inconſtantiam deficiat, ſic ut, ſi non diverſo, ſaltem eodem tempore cum generali examine id inſtituat. 3. Neque deſiſtendum ab hoc ob naturæ infirmitatem, quæ ſic ſenſim corrigenda eſt, neque ob lapſuum frequentiam, qui ſine hoc examine forent frequentiores, ſed ad vitæ finem in eo perſiſtendum, in quo quantam quiſq; curam impenderit, tantò & progreſſum ampliorem experietur. 4. Expende adhortationem huc S. Bernardi, ad verba Cantici: *Tempus putationis advenit. Quis enim*, inquit, *ita ad unguem omnia à ſe ſuperflua reſecuit, ut nihil ſe habere putet putatione dignum?* Cant. 2. *Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & ſopita denuo excitantur. Parum eſt ergo ſemel putaſſe, ſæpè putandum eſt; imò ſi fieri poſſit, ſemper, quia ſemper, quod putari oporteat, ſi non diſsimulas, invenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras ſi vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa.*

XXVIII. De temperantia in victu.

PUnct. I. Conf. 1. Quàm indignus sis ob peccata & ingratitudinem tuam pane filiorum Dei, qui toties secutus cupiditates tuas, abjecisti te ad siliquas porcorum ac sordes peccatorum. 2. Quàm paternè & liberaliter pius & misericors Pater, tibi filio tam ingrato & prodigo providerit de subsidijs, non tantùm necessariis, sed etiam deliciosis; ac te interim donis ejus abuti ad intemperantiam & torporem. 3. Quot pauperes & innocentes te meliores, Deoque gratiores fame ac siti premantur, qui pro deliciis reputarent etiam communes escas, quas tu subinde aversaris: argue ingrtitudinem tuam, & suscipe Dei in te liberalitatem.

Punct. II. Conf. 1. Vitium gulæ esse Deo maximè invisum, quia cultum illi debitum tribuit ventri, iuxta Apostolum: *Quorum Deus venter est*; & ex
Phil. 3. 17. ea provenisse nobis per primos parentes, ac quotidie provenire instigatione dæmonis omne malum, morbos, & mortem corporis atque animæ, dissolutionem spiritus, fastidium cælestium, & inclinationem ad turpia. 2. Esse genus servitutis miserrimũ, cùm venter sit quasi tyrannus insatiabilis, non terra, mari, arte nulla, aut condimenti genere acquiescens: delectationem vilem, quia propriam bestiis, & brevissimam, ideoque stultum esse tam vili vendere celestes delicias, & ob eam addicere se cum Epulone æternæ mendicitati, & cruciatibus: impium esse os illud quod Christus in sacra communione tactu suo toties purgat & sibi consecrat, vitio illo toties contaminare. 3. In hac victoria esse primum fundamentum vitæ spiritualis, quo non subacto frustrà aliis vitiis bellum indici, quia gula illis dat pabulum, & vires eripit virtuti, impediendo mentis attentionem & orationem. 4. Hortatur nos eò sapiens, cum ait: *Noli avi-*
Eccl 37. 32. *dus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam; in multis enim*
Eccle 37. 34. *escis erit infirmitas. Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Plenius S. Prosper: *Temperantia libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, confusa ordinat, ordinata corroborat, &c.*

Punct. III. Consid. 1. Ante refectionem excitandum desiderium observandi in omnibus temporantiam, modestiam, & decentiam, interiorem & exteriorem: præmittendam benedictionem & puram intentionem, qua alimenta sumas non ad delectamenta, sed medicamenta, ut vires corporis reparentur pro perfectiori Dei obsequio, & ad hoc gratiam à Deo postulandam. 2. In ipsa refectione Conf. qua temperantia, modostia, & decentia Christus cum B. Virgine & discipulis, aliique sancti cibum sumpserint: attende ad fel & acetum quo Christus potatus est, ideoque
Apoc. 19. 9. disce gulam frangere, ut te ipsum vincas, ad exemplum Christi; tum ut adspires *ad cœnam nuptiarum Agni.* 3. Post refectionem gratias Deo age, qua par est reverentia & devotione, agnoscendo præsentem Deum Patrem liberalissimum, & filialem fiduciam in providentia ejus collocando.

XXIX. *De relaxatione animi per colloquia.*

PVnct.I. Conſ. 1. Relaxationem animi, licet omnibus hominibus, maximè tamen religioſis, mentalibus ſtudiis, & corporis afflictationibus magis intentis, eſſe omnino neceſſariam, ad reparandas & conſervandas vires animi attritas, non minùs quàm refectionem corporis per ſumptionem cibi & potus pro viribus corporis. 2. Relaxationem hanc aptiſſimè inſtitui poſt corporis refectionem, quãdo à ſeriis ſtudiis expedit aliquantũ abſtinere, idq; per pia colloquia, tũ ut per ea excitent invicem ad ſtudia virtutũ; unde S. Bonaventura: *De Deo libenter loquere, & libentiùs audi, quia incitat cor ad ſtudium virtutum, & affectum devotionis*: tum ad accendendam fraternam caritatem; nam *ſicut ferrum ferro acuitur, & lapis lapide attritus ignem emittit; ita converſatio juſtorum accendit caritatem*: tum etiam ad aſſequendum exercitium, conſuetudinem, & facilitatem piè ac fructuosè cum proximo agendi, atque animas Deo lucrandi. *Chryſoſt.*

Punct.II. Conſ. 1. Modum hanc relaxationem cum fructu inſtituendi, atque inprimis materiam aliquam piam priùs cõcipiendam & in promptu habendam; deinde implorandũ divinæ gratiæ auxilium: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* 2. Enitendum ut colloquia noſtra ſint quoad ſubſtantiam pia, de rebus piis, atque inſtituto noſtro propriis, quibus materiam ſuggeret diei ejus meditatio, conciones, liber ſpiritualis, lectio ad menſam, &c. vel ſaltem ut res indifferentes oculo piæ intentionis ad altiorem finem dirigantur, ac potiſſimùm quoad modum, ut ea pietate, circumſpectione, vultus ſerenitate, modeſtia, vocis ac totius corporis moderatione fiant, ſic ut præſentes ædificent & ad virtutem accendant. 3. Abſtinendum proinde ab omni eo quod poteſt famam proximi, vel caritatem fraternam lædere; quod ſapiat animi elationem, jactantiam, moroſitatem aliorum contemptum, jocos aculeatos, contentiones, aſſentationes, ſæcularem levitatem, animi effuſionem, aut diſplicentiam diſciplinæ religioſæ. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationẽ fidei, ut det gratiã audientibus.* *Pſal. 140. 3.* *Ephes. 4. 29.*

Punct.III. Conſ. 1. Agendum cum ſociis tanquam Dei filiis, & fratribus Chriſti, reverenter, hilariter, & modeſtè, dicta eorum in meliorem partem interpretando, non interpellando, mores alienos tolerando: *Alter alterius onera portate.* 2. Conſ. quomodo B. Virgo, S. Joſeph inter ſe & cum Chriſto hîc in terris egerint, ſermonis dulcedine invicem recreantes, & divini amoris igne inflammantes: quomodo nunc Beati in cælis inter ſe agant. 3. Chriſtum ſingulariter delectari ejuſcemodi colloquiis; quod oſtendit cum ſe duobus diſcipulis in Emaus pergentibus ſocium junxit, atque omnibus promiſit: *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* *Gal. 6. 2.* *Luc. 24. 17.* *Matt. 18. 20.*

Punct. I. Consid. 1. Christum voluisse non tantùm præsentem se nobis sistere in Sacrificio Missæ, utque à fidelibus sumeretur, sed etiam per-
Mat. 28. 20. manere nobiscum in Venerabili Sacramento. *Ecce ego vobiscum sum omnibus*
Prov. 8. 31. *diebus usque ad consummationem sæculi*; quia inquit, *deliciæ meæ esse cum Filiis hominum*, atque iis dona mea elargiri. 2. Cons. Te invitari eò à Christo, cùm ait:
Matt. 11. 2. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Proinde alliciat te tam benigna invitatio, & propellat indigentia tua & infirmitas. 3. Esse
Isa. 12. 4. eum ibi velut fontem gratiarum omnibus palàm expositū. *Haurietis aquas*
Isa. 55. 6. *in gaudio de fontibus Salvatoris. Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite; venite & emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac*: esse eū ibi ut solem, qui intellectum illuminet, & vo-
Psal. 33. 6. luntatem accendat. *Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur*: esse medicum qui vulnera nostra sanet, magistrum qui nos instruat, ducem militiæ qui nos protegat & roboret, benignum patrem qui de omnibus provideat, pastorem qui ovem errantem in humeros excipiat, & ad cælestia pascua deportet.

Punct. II. Consid. 1. Quo affectu pietatis multi peregrinationes suscipiant, ad visenda vel ossa Sanctorum, vel vestem aliquam Christi aut Deiparæ; quo cultu & veneratione ea prosequantur: hîc verò esse omnium Sanctorum & Angelorum Regem ac Dominum, vivum & in cælis gloriosum. 2. Cons. Dùm Christo te sistis, versari te in medio cælestium spirituum, supremo Regi suo omnem cultum & laudem profunda submissione, atque ardenti amore deferentium; quare ad imitandum horum affectum, expende divinas Christi hîc præsentis perfectiones, infinitam potentiam, sapientiam, & bonitatem: virtutes deinde in natura humana potentissimùm exercitas; miracula præstita, tormenta in acerbissima passione amore tui constanter tolerata, ac beneficia tibi in particulari collata. 3. Quomodo ipse ibi in exigua hostia Majestatis suæ amplitudinem contraxerit, ut infirmitati tuæ occurreret, atque inde etiam disceres te inferioribus accōmodare. 4. Expone ei submissè omnes infirmitates tuas, & adversùs eas auxilium confidenter implora; obsecra per omnes ejus perfectiones, per merita ejus, Virginis Matris, ac Sanctorum omnium.

Punct. III. Consid. 1. Pro recessu à Ven. Sacramento, petendum tibi à Christo, ut licet corpore ab eo discedas, affectu tamen numquam ab eo separeris, neque in vita, neque in morte, neque in æternitate. 2. Gratiam pete sic exprimendi in te virtutes ejus, aliisque etiam persuadendi, ut omnes inde colligant te verum esse Christi discipulum. 3. Totum te ei
Luc. 23. 49. regendum trade, dicens: *In manus tuas commendo spiritum meum, & corpus & omnia.* Denique benedictionem postula, qua præstet te hîc conformem sibi in vita ac passione sua, ac posteà coheredem gloriæ.

XXXI. De Cultu Beatæ Virginis Mariæ, Per recitationem Rosarij.

PVnct. I. Consid. 1. Sicut omnibus Sanctis tanquam Dei amicis ac salutis nostræ apud eum patronis honor & cultus debetur ab omnibus fidelibus, internus æquè ac externus; ita & Deiparæ deberi peculiarem & supremum, tum propter eminentiam dignitatis ejus ad fastigium Matris Dei, tum propter abundantiam gratiarum ac donorum cælestium, quibus supra omnes Sanctos exornata est, tum propter efficacius patrociniũ quo apud Filiũ valet, tum potissimùm quod Deus peculiarem prærogativã Christo collatam, ut non nisi per ipsum dona sua elargiretur, etiam ad Matrem extendere voluerit, quia, ut ait S. Bern. *sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Unde excita in te magnam æstimationẽ Deiparæ 2. Excita te ad cultũ tot titulis illi debitũ deferendũ, in quo principẽ locũ vindicat imitatio virtutũ ejus, de qua S. Ambrosius: *Sit tibi tanquã in imagine descripta virginitas, vitaq; B. Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis.* Quare ejus actiones, gressus, verba, imò & cogitationes tibi sæpiùs ob oculos pone, velut exempla quæ imiteris.

Punct. II. Cons. 1. Post imitationem virtutum, inter particularia pietatis obsequia singulariter ei placere recitationem Rosarij, prout S. Dominico aliquando significavit, ac plurimis miraculis comprobavit, imò & recitandi ejus modum edocere illum dignata est; ut nempe præter attentionem ad sensum verborum, in omni oratione vocali commodissimam, simul attenderetur per diversas decades ad 15. præcipua mysteria vitæ Christi ac Deiparæ. 2. Cons. etiam nomine Rosarij seu coronæ significari, quàm ejus recitatio Deiparę grata sit, ut sicut sertũ seu corona rosaria caput hominis honorat & oblectat, ita & ipsa ex ea honorem & delectationem accipiat. 3. Quia tamen non vacat omnibus Rosariũ integrum consequenter evolvere, rectè dividi illud in tres partes, attendendo in iis ad 5. mysteria gaudiosa, dolosa, & gloriosa, idque vel per diversa anni tempora, vel per hebdomadæ cujusque dies.

Punct. III. Consid. 1. Præter dictum modum Rosarij recitandi, placere etiam Deiparæ recitationem Rosarij per decades 6. cum terna salutatione Angelica, in memoriam 63. annorum, quos ipsa creditur in terris vixisse, ut & annos vitæ nostræ dirigat ad felicem æternitatem. 2. Posse in hoc ultra 15. priora mysteria, ad 6m. decadem expendi beneficium vocationis ad religionem, aut aliam virtutem magis necessariam; attendi etiam posse ad 4. novissima & ad reliquas duas ut suprà, vel postulari posse tres virtutes votorum, paupertatis, castitatis, & obedientiæ; insuper orationis erga Deum, caritatis erga proximum, modestiæ erga se. 3. Denique tres salutationes postremas offerri posse in honorem SS. Trinitatis, petendo augmentũ fidei, spei, & caritatis, rectũ usũ memoriæ, intellectus, & voluntatis, cõcludẽdo cũ symbolo fidei.

XXXII. De mysterijs Rosarij, ac 1. de 5. gaudiosis hoc versu cõprehensis: Nuncius, Invisens, Natus, Præsens, Reperitur.

PUnct. I. Consid. 1. *In mysterio annunciationis* immensam Dei charitatem, qua ad liberandos nos ab æterna damnatione, ipse in se beatissimus & immortalis, nec indigens bonorum nostrorum, elegit fieri homo miser & mortalis, sine ullis nostris meritis, imò infinitis demeritis. 2. Cons. ad exequendum hoc mysterium mitti de cælo Archangelum Gabrielem, nunciaturum Virgini Mariæ eam adlectam in Matrem Dei: attende Angeli in alloquio reverentiam, & Virginis in responso modestiam. 3. Post
Luc. 1, 38. verba illa: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, Filium Dei in ejus utero hominem factum, ibique per novem menses requievisse.

Punct. II. Circa visitationem Virginis Mariæ. Consid. 1. Eam mox post conceptum utero suo Filium Dei, contulisse se è Galilæa in montes Judææ ad visitandam ibi cognatam Elizabeth, gravidam tunc S. Joanne Baptista: attende Virginis fervorem, & charitatem. 2. Cons. in hac salutatione gaudium Elzabethæ, & S. Joannis in utero materno subsilientis, ac certamen de humilitate inter duas cognatas. 3. B. Virginem auditis laudibus suis minimè evanuisse, sed eas bonorum omnium fonti Deo attri-
Luc. 1, 46. buisse. *Magnificat anima mea Dominum.*

Punct. III. Circa nativitatem Christi. Cons. 1. B. Virginem cum Josepho ex Nazareth profectam in Bethleem non sine molestia, ut obediret mandato Cæsaris; ibique ab omnibus repulsam, coactam fuisse se in stabulum recipere. 2. Eam ibi media nocte orationi intentam, & cælesti gaudio perfusam, Filium suum mundi Salvatorem, sine ulla corporis læsione genuisse, eumdemque mox ut Filium Dei adorasse. 3. Hunc cæli terræque Regem reclinatum ibi in præsepio, frigore trementem, eique Angelos cælesti cantico congratulatos.

Punct. IV. Circa Præsentationem Christi in templo. Cons. 1. Deiparam post 40. dies è Bethleem profectam fuisse Jerosolymam, ut ibi Filium suum in templo Deo offerret, ad exemplum humilitatis & obedientiæ, cùm legi non subjaceret. 2. Cons. gaudium senis Simeonis, cùm Christum ulnis
Luc. 2, 29. excepit, & erupit in canticum lætitiæ, *Nunc dimittis servum tuum Domine.* 3. Cons. mira prædicta ab eodem Simeone, & Filium & Matrem atrocia passuros, ut sic discamus lætis misceri tristia, in his animum non extollere; neque in illis dejicere.

Punct. V. Circa inventionem Christi in templo. Cons. 1. Qua pietate Deipara cum sponso suo & Filio Jesu quotannis è Galilæa venerit Jerosolymam ad celebrandũ ibi Pascha. 2. Quãto dolore ibi vesperi in hospitio cognoverit abesse dilectum Filium, expende gemitus ejus, curas, & lacrymas. 3. Christum die tertia ab ea inventũ in templo sedentem inter Doctores, quanto Matris gaudio! Attende hic Filij monitum de amore divino omnibus etiam parentibus præferendo.

XXXIII. De

XXXIII. *De 5. Mysterijs dolorosis, hoc versu comprehensis*
Orat, cum flagris, spinas, portat, crucifixus.

PUnct.I. *Circa orationem Christi in horto.* Consid.1. Eum post cœnam cum undecim Apostolis egredi ad hortum, consuetum orationis locum, ibique ab ijs avulsum in terram pronum procidere, mœrore obrutum ob imminentes cruciatus, & ingratitudinem Iudęorum ac nostram. 2. Eum post ternam orationem ad Patrem cęlestem, cum insigni reverentia & resignatione, sanguineo sudore largiter perfusum, arguere nostrum in oratione teporem. 3. Eum ab Angelo roboratum se æterno Patri offerre ad omnia quantùmvis indigna & atrocia sustinenda.

Punct.II. Circa flagellationem Christi. Conf.1. Eum ab insanienti turba militum publicè vestibus omnibus nudatum columnę alligari. Quanta verecundia Agnum Dei sic stare inter rabidos lupos! 2. Conf. Acerbam flagellationem nodosis funibus, & virgis sine ulla commiseratione, sic ut toto corpore laniaretur: & hęc vulnera ei inflicta ob tua peccata. 3. Eum deinde à columna solutum & exanguem, quasi truncum in terram concidere, ibique reptantem vestes colligere, nosque ad leviora patienter sustinenda suo exemplo hortari.

Punct.III. Circa Coronationem Christi. Conf.1. Milites Pilati Christum post tam acerbā flagellationem purpurea veste ad ludibrium induere, & sacro ejus capiti coronā ex acutissimis spinis firmiter imprimere. 2. Eos deinde arundinem loco sceptri manibus ejus imponere, & subsannātes genuflexo eum adorare, mox caput arundine percutere, & alapas in faciem dare. 3. Christum sic exceptum à Pilato, omnibus ex editiori loco expositum, *Ecce homo*, ut eos ad misericordiam commoveret: sed ferrea Iudæorum corda mota non sunt: utinam ne & nostra pariter indurescant.

Punct.IV. Circa bajulationem crucis. Conf.1. Pilatum metu humano victum damnare Christum quantùmvis innocentem ad mortem crucis, eamque sententiam à Christo animo æquo exceptā. 2. Gravissimā crucem, in qua peccata nostra maximè premebant, humeris Christi portandam imponi, quam ipse ardenter amplectitur, & ingenti labore ac sudore in montem Calvariæ deportat. 3. Christo sub onere fatiscente, Simonem Cyrenæum assumptum ad eum sublevandum in portanda cruce, ut discamus & nobis crucem hîc esse cum Christo ferendam.

Punct.V. Circa crucifixionem. Conf.1. Christum vestibus iterum nudatum cum acerbissimo dolore ex renovatione vulnerū, humi in trabem detrudi, ibique clavis pedes & manus crudelissimè transfigi. 2. Eum in altū sublatum medium inter latrones, contumelijs & opprobrijs saturatum pro illis & nobis Patrem exorare. 3. Eū in cruce esse brachijs extensis, ut nos expectet ad amplexū; affixas manus, ut sciamus amorem ejus in nos esse constantem; nudum, ut nos vestiat veste gratiæ & glorię; caput inclinare, ut osculum pacis nobis offerat.

XXXIV. De 5. Mysterijs gloriosis, hoc versu comprehensis.
Surgens, Ascendit, Spirans, Assumpta, Corona.

Punct. I. Circa resurrectionem Christi. Cons. 1. Summum gaudium Sanctorum Patrū in limbo, cùm anima Christi tot sæculis & desiderijs expectata, ad eos liberandos gloriosè triumphans descendit. 2. Cons. Gaudiū B. Virginis, cùm vidit Filium redivivum, glorioso corpore fulgentem cum insigni comitatu cubiculum intrare, & attende suavissima colloquia. 3. Cons. Gaudium Mariæ Magdalenæ, cùm Christus ei apparuit in specie hortulani, & Apostolorum, potissimùm Petri, cùm se etiam ijs eodem die redivivum non videndum tantum, sed & palpandum exhibuit.

Punct. II. Circa Ascensionem Christi. Cons. 1. Christum die 40. à resurrectione venisse in montem Oliveti, ibiq; cinctum pijssima turba discipulorū, illis, sed nominatim Matri amicum vale dixisse, & ultimā benedictionem impertijsse. 2. Cons. Gaudium omniū præsentium, cùm viderunt Christum in altum ascendere, stipatum Angelorū canentium choris, & ingenti numero Patrum è limbo. 3. Quomodo cælestis Pater Filium victorem, omnemque ejus comitatum exceperit, ipsumque in summo throno ad dextram cum inexplicabili honore & gloria collocarit.

Punct. III. Circa Adventum Spiritus S. Consid. 1. Discipulos cum B. Virgine Ierosolymā reversos, ibi in cœnaculo se insigni cōcordia & fervēti oratione ad Spiritus S. adventū præparasse. 2. Spiritū S. illis die decima orationi intentis, suavissimo concentu præsentiā suā declarasse, & omniū corda cælestibus donis largiter implevisse. 3. Linguis igneis super capita singulorū radiātibus designatū amorē divinū, quo intus accensi Christū crucifixū per varias mūdi regiones intrepidè & cōfidenter essent prædicaturi.

Punct. IV. Circa Assumptionem B. Mariæ. Cons. 1. Ardens hujus desiderium moriendi, & videndi Filium in cælesti gloria; gaudium deinde ejus, cùm cognovit felicem illam horam advenisse. 2. Cons. Omnes Apostolos, qui in vivis erant, tunc divina voluntate ei in extremis adfuisse. Attende pia utrimq; colloquia & preces. 3. Quibus actibus virtutū illa se ad mortem comparaverit, donec magna pace & vultus serenitate anima illa meritis gravis, in cælū evolaret, dilecto suo innixa, innumeris Angelis comitata
Cant. 8. 5. accinētibus: *Quæ est ista, quæ ascēdit de deserto delicijs affluēs, innixa super dilectū suū?*

Punct. V. Circa Coronationem B. Mariæ. Cons. 1. Animam Deiparæ acceptā possessione in cælesti gloria, deinde eodem splendore & triumpho, quo assumpta fuerat, iterum descendisse, ut corpori suo dolorum participi gloriam communicaret. 2. Cons. Animam illam corpori jam glorioso unitā, novo triumpho in cælos assumptam, ibique summo honore à tota curia cælesti exceptā. 3. Eā deinde à cælesti Patre exceptā ut Filiā, à Filio ut Matrem, à Spiritu S. ut sponsā dilectam, & ad Filij dextram gloriosè collo-
Ps. 44. 10. catā, corona in capite velut Reginā exornatā, omnibus applaudentibus. *Adstitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato circūdata varietate.*

XXXV. De Litanijs Omnium Sanctorum.

PVnct.I.Conſ. 1. Litanias eſſe formulam precandi ad Deum, adhibitis patrocinijs Sanctorum, ad obtinenda nobis ſalutaria, & noxia avertenda. 2. In ijs ante omnia recurrere nos ad Deum rerum omnium principium,& in perſonis trinum, agnoſcendo tum ipſius in omnes creaturas dominium, potentiam, & majeſtatem,cum ſumma fide,reverentia,& humilitate,tum miſeriam noſtram triplicem, ignorantię,culpæ,& pœnæ; peccata cogitationis, oris, & operis;mala præterita; præſentia, & futura, ut ea miſericorditer à nobis velit depellere. 3. Hinc ad Chriſtum nos converti,Deum & hominem, qui natura divina quidvis poſſit, & humana ob affinitatem cum noſtra etiam velit;ideoque aures ac vultum à precatione noſtra ne avertat,ſed ut poſtulatis benignè annuat.

*Punct.II.*Conſ.1. Adhiberi deinde patrocinia Sanctorum,tanquam mediatorum,ut ipſi à communi Domino ſpecialiter dilecti, & de ſua ſalute ſecuri,de noſtra verò conſervorum ſuorum ſoliciti, preces noſtras ac poſtulata favore ſuo promoveant; præ ceteris autem implorari opem Deiparæ,utpote quę apud Filium gratia prævaleat,& Salutem noſtram velut mater filiorum peculiariter deſideret. 2. Compellari hanc primùm nomine proprio, cujus excellentias eo ſignificatas expende: inde Dei genitricem,quę excellentia ceterarum fons eſt,& Virginem Virginum,ſive nobiliſſimam, quæ cum Virginitate conjunxit fecunditatem. 3. Implorari patrocinia *Angelorum*, ut pergant exhibere nobis puram & fidelem charitatem in miniſterijs ordinarijs, eamque & nos erga proximum imitemur, *Archangelorum* in extraordinarijs: inde recurrere nos ad reliquos Sanctos beatorum ſpirituum Ordines, ut ipſorum multiplices perfectiones imitemur.

*Punct.III.*Conſ. 1. Implorari deinde favorem aliorum Sanctorum, tum aliquorum nominatim, ut ad ſuccurrendum nobis peculiariter permoveantur,tum generatim per varios ordines,ut omnes comprehendantur: & quidem *Patriarchas & Prophetas* invocari pro obtinenda nobis fide,ſpe,ac longanimitate: *Apoſtolos & Euangeliſtas* pro zelo divinæ glorię,ac ſalutis proximi: *Diſcipulos Domini* pro obedientia & charitate: *Martyres* pro patientia & conſtantia: *Pontifices* pro dono diſcretionis: *Confeſſores* pro contemptu terrenorum ac deſiderio cæleſtium: *Doctores* pro diligentia & bono exẽplo: *Sacerdotes & Levitas* pro ſtudio orationis & mortificationis: *Monachos & Eremitas*, pro humilitate & obſervantia diſciplinę: *Virgines & Viduas* pro caſtitate & modeſtia. 2. Poſtulari denique à Deo liberationem ab omni malo animi & corporis, obſecrando per varia fidei myſteria,ac deinde plura beneficia nobis & proximo præſtanda; ubi attentionem & fiduciam excita.

De Sanctis Sigillatim, vide brevem narrationem in fine.

XXXVI. De Modo piè vesperi incumbendi.

PUnct. I. Conſ. 1. Abſoluto examine generali ac particulari, & ſalutato Venerabili Sacramento, pro loci opportunitate, gratias agendas Deo pro uſura ejus diei ad incrementum meritorum, & pro ſervata incolumitate animi & corporis, qua plures eo die exciderunt. 2. Exercendam tibi puram intentionem in quiete illa aſſumenda; nempe tum ut refectis per eam viribus poſtridie alacrior ſurgas ad Dei obſequium, tum ut voluntati ejus in hoc cum ſubmiſſione obedias. 3. Quia ceſſabis nunc à Dei laudibus, roga Sanctos omnes, ac nominatim patronos, ut pergant ea nocte pro te Deum laudare, eorumque laudes Deo offer, ſimul & omnes tuas reſpirationes, ut cedant ad ejus gloriam; deinde corpus & animam trade cuſtodiendum Chriſto, B. Virgini, & Angelo cuſtodi, dicendo, *Pater & Ave, Angele Dei*, &c. 4. Petita denique ab illis benedictione, & memor
Gen. 3.19. tuæ vilitatis, terram exoſculare; nam *pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Punct. II. Conſ. 1. Aqua luſtrali te ac lectum adſpergendum contra dæmonis machinationes, dicendo *hujus aquæ tactus propulſet dæmonis actus.* 2. Servandam decentiam in veſtibus exuendis, tanquam in conſpectu Dei, & Angeli cuſtodis, ac Sanctorum Omnium. 3. Chriſtum veſtibus ſuis exutum ad tormenta paſſionis ſubeunda, ut tuis te exueres ad quietem. 4. Fortè ultimò te nunc veſtes deponere, ac ſi tibi dicatur: *Diſpone*
Iſa. 38. *domui tuæ, quia morieris & non vives.* Quare dic cum Iobo: *Nudus egreſſus ſum*
Iob. 1. 21. *de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* 5. Ora ut numquam deponas veſtem animę, nempe gratiam pretio ſanguinis tibi à Chriſto comparatam; eiq; ut ſuperinduere poſſis veſtem gloriæ. 6. Lectum ingreſſurus cogita te ſepulchrum ingredi, fortè inde, quod multis continget, poſtridie non ſurrecturus, ſed fiducia in Deo defixa dic cum Iobo: *Pone me Domine juxta*
Iob. 17.3. *te, & cujuſvis manus pugnet contra me.*

Punct. III. Conſid. 1. Ubi incubuiſti, diſcrimen inter quietem tuam in molli lecto, & Chriſti Regis tui in dura cruce. 2. Quàm ſecura & jucunda
Prov. 15.15. ſit quies conſcientiæ bonæ in hac vita. *Secura mens quaſi juge convivium.* Ac
2. Tim. 4.7. dicere poteſt cum Apoſtolo: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.* Contrà verò quanta anxietas & perturbatio peccatoris ſeu conſcientiæ oppreſſæ culpa mortali: *Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cùm*
Iob. 15.21. *pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur: non credit quod reverti poſſit de tenebris ad lucem, circumſpectans undique gladium.* 3. Poſt hanc vitam animas juſtorum in cælis jucundiſſimè nunc requieſcere à laboribus ſuis, damnatorum verò
Iſa. 66.24. nunc in flammis, ſine ulla quiete, æternùm cruciari. *Vermis eorum non morietur.* 4. Ad quatuor lecti angulos ſtatue tibi totidem patronos protectores, ac nominatim ante eū, Chriſtū ejuſq; Matrem, & Angelū cuſtodem, atq; ita recolendo ſacra Ieſu, & Mariæ nomina, cum materia proximæ meditationis, eidem indormiſce. 5. Si de nocte fortè expergiſceris, hęc ſacra nomina & priores affectus in mentem revoca.

PUnct. I. Consid. 1. Infinitam Christi bonitatem, qua non contentus instituisse Sacramentum Baptismi ad peccatorum omnium ablutionem, quæ ante eum contracta sunt: sed præterea conscius fragilitatis nostræ, providere nobis voluit de remedio adversus relapsus; quod instituit tam amplum, ut ad peccata, quotcumque & quantacumque, quorum vis fidelium, ad finem usque mundi delenda sufficeret. 2. Tam efficax ut sine mora temporis, in instanti per verba Sacerdotis certò & infallibiliter, licet numero & gravitate infinita, in rectè dispositis tollerentur. 3. Tam facile ut non uni, sed cuivus Sacerdoti eam potestatem communicaverit, neq; à nobis requirat aliud, nisi commissorum confessionē cum debito dolore; quæ ubi in humanis tribunalibus movet ad condemnationem, hîc certam consequitur absolutionem. 4. Cons. fructus hujus Sacramenti esse non solùm remissionem culparum, sed etiam pœnæ æternæ, ac sæpè temporalis; præterea incrementum gratiæ habitualis & actualis, progressum in virtute & animæ pacem ac quietem.

Punct. II. Cons. 1. Assignari à Concilio Tridentino tres partes Sacramenti Confessionis, dolorem, confessionem, & satisfactionem, quibus respondent peccata cogitationis, oris, & operis: adversus quæ imploranda gratia à Spiritu sancto, qui fons amoris est, pro sincero dolore: à Filio qui Verbum est & Sapientia Patris, ad dignam confessionē: à Patre, ut potentiam & fortitudinem conferat, ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ. 2. Cons. ad dolorem, ut par est, eliciendum, examinandam priùs esse conscientiam, iuxta communem methodum quinque punctis comprehensam. 3. Confessionem debere esse humilem actu externo & interno, cum publicano, filio prodigo, Maria Magdalena aut Petro resipiscente: deinde simplicem sine excusatione, aut verborum superfluitate, denique integram, nullo mortali voluntariè omisso; ubi attende graves punitiones eorum qui humano pudore victi, graviora peccata in confessione celarunt, timentes iudicium de se unius hominis, & non supremi Iudicis, ac totius mundi in extremo die, convertentes remedium salutis ac sanguinem Christi in suam damnationem. *Trid. sess. 14. can. 4.*

Punct. III. Cons. 1. Satisfactionem consistere in pœnitentia imposita adimplenda, quam expedit non differre, & majori devotione subire, propter vim sacramentalem quam habet ad pleniorem remissionem pœnæ temporalis. 2. Cons. hîc iterum Dei bonitatem, quâ pœnas purgatorij adeò graves dignatur cum tam levi pœnitentia commutare, de quo gratias age. 3. Statue firmiter emendationem, nominatim in iis quæ in te observasti. 4. Offer te & omnes functiones animæ & corporis ad ejus obsequium: propone aliquam corporis castigationem, & desiderium excita ad sacram Communionem.

PVnct. I. Consid. 1. Si ante orationem, ut cum fructu fiat, requiratur præparatio, multò magis hanc requiri ante sumptionem hujus nobilissimi Sacramenti, tanto apparatu à Christo pridie mortis instituti. 2. Iuxta gradum hujus præparationis etiam succedere fructum hujus Communionis maiorem vel minorem. 3. Puritatem conscientiæ saltem à peccato mortali esse necessariam, à ceteris verò eamdem pro uberiore fructu etiam sectandam, tum per confessionem, tum per delictorum detestationem, cum emendationis proposito. 4. Præmittendum etiam opus aliquod pœnitentiæ vel mortificationis in eumdem finem, & colloquia, atque orationem matutinam eòdem dirigendam.

Punct. II. Consid. 1. Exercendam firmam fidem in Christum, qui paratus sit te ad venire cum omnibus suis perfectionibus divinis & humanis. 2. Cons. Infirmitates tuas animi & corporis, ingratitudinem, teporem & inconstantiam: atq; indignitatem tuam cum affectu humilitatis agnosce. 3. Quare ad te veniat, nempe ut thesauros gratiarum & virtutum liberaliter tibi elargiatur, & intimè te sibi coniugat & assimilet. Vnde ait S. Augustino: *Cibus sum grandium, cresce & manducabis me, nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.* quò proinde desideria tua & spem excita. 4. Quomodo ad te veniat, stipatus Angelorum choris; corpore & anima gloriosus, ardens amore salutis tuæ & perfectionis: vide ut vicissim amorem ejus & tui oblationem rependas.

Punct. III. Cons. 1. Fructum communionis esse augmentum gratiæ habitualis & gloriæ, auxilia gratiæ actualis, quibus intellectus illuminetur, & voluntas ad bonum excitetur, remissio peccatorum venialium, repressio pravorum motuum, & animæ quies, robur, ac solatium. Vnde S. Bernardus: *Duo illud sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus tollat omnino consensum. Si quis vestrûm non tam sæpè modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut ceterorum hujusmodi, gratias agat, corpori & sanguini Domini.* 2. In hisce fructibus communicandis, considera Christum sub varia perfectione, ut patrem qui filium prodigum recipiat, ut regem qui affectus animi tui regat, ut Magistrum qui discipulum instruat, medicum qui infirmitates sanet, pastorem qui errantem reducat, hospitem qui permanere tecum semper desideret.

Punct. IV. Cons. 1. Tanto hospiti reverentiam omnem & gratitudinem exhibendam, optando affectum beatissimæ Virginis, ac Sanctorum omnium in eo excipiendo, quos proinde etiam roga ut te iuvent in gratiis agendis. 2. Offer æterno Patri dilectum Filium in quatuor fines sacrificij, nempe in honorem supremæ maiestatis ejus, gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, ad nova obtinenda, & culpas eluendas.

XXXIX. De

XXXIX. De Recollectione Hebdomaria, pro Renovatione Spiritus.

PUnct. I. Consid. 1. Te velut jam moriturum, & reddendam præteriti temporis exactissimam rationem, temporis huiusque vitæ fugacitatem, & rerum omnium vanitatem, cùm nihil in hac vita satiare possit, nihil in morte supersit, tempus semel amissum irrecuperabile, mortis horam incertissimam. 2. Consi. exempla eorum, qui in observantia disciplinæ religiosæ te præcesserunt, jamque fruuntur felici æternitate, quàm optarent plura præstitisse & sustinuisse pro Dei, quem clarè intuentur, majori gloria, & gloriæ suæ incremento.

Punct. II. Cons. 1. Discrimen inter religiosum ferventem, & tepidum in hac vita, quomodo ille frequentibus solatijs à Deo in oratione, & extra eam perfundatur, & gaudeat pace animi cum Deo, superioribus, ac socijs: hic verò destitutus solatio divino & humano, aridus & vagus, displiceat & sibi & alijs, onúsque religionis in dies gravius sentiat. 2. In morte, quàm ille anhelet ad coronam gloriæ, & claram Dei ac Sanctorum visionem, quibus in hac vita per pios affectus se familiariùs adjunxit: contrà verò tepidus quàm horreat strictum Dei tribunal, post tot & singularia sibi ab eo collata beneficia, quàm amaros & molestos sibi tunc sentiat pravos affectus, quibus nimium in hac vita indulsit & assuevit.

Punct. III. Cons. 1. Confugiendum proinde nunc tempestivè ad Virginem Deiparam, azylum gratiæ & misericordiæ, ut illa de plenitudine gratiæ suæ velit te mutare in virum alterum, & obtineat tibi cor novum, quo vivas iuxta spiritum religionis, quam ingressus es. 2. Adverte potissimùm ad vota quæ Deo obtulisti, ut assuescas ea etiam in minimis perfectè servare, certus de duplici semper merito earum virtutum; contrà verò caveas ea voluntariè transgredi, ne à minoribus ad graviora sensim delabaris, cum injuria divinæ Majestatis, & periculo salutis æternæ.

Punct. III. Regulas omnes etiam stude exactè observare; tum quæ ad Deum spectant, in functionibus Spiritualibus attentè & cum devotione, statuto ac completo tempore obeundis: tum circa proximum cavendo ab inordinata effusione, aut læsione caritatis: tum circa teipsum, per custodiam sensuum, & mortificationem pravorum affectuum, ejus nominatim quem sentis in te magis dominari. Hæc statue coram Christo & Deipara, quasi brevi moriturus, ac Sanctorum patronorum auxilia implora.

Punct. IV. Cons. 1. Super omnia opus esse constantia & fortitudine, qua bonis propositis firmiter insistamus, dicentes cum Apostolo: *Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* 2. Sine hac constantia vanos & inanes esse omnes conatus priores. *Non quæruntur in Christianis initia, sed finis; Paulus malè cœpit, sed benè finivit: Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.*

Rom. 8. 35.
S Prosper.
Hieron.
Bernard.

XL. De recollectione menstrua.

PVnct. I. Consid. 1. Necessitatem frequentioris recollectionis; nam sicut horologium pondere suo semper deorsum vergit, & violenti motus sensim languescunt, ita & spiritus hominis ad terrena propensus paulatim languorem concipit in divinis, ad quæ proinde novo impetu subinde excitandus est, & à terrenis avocandus. 2. Conf. Mercatores & Procuratores rerum temporalium, ut damna caveant, & rebus suis meliùs consulant, rationes accepti quot mensibus ini e accuratiùs; vnde & novum fervorem & alacritatem concipiunt ad labores subeundos: non minorem autem requiri à nobis diligentiam in negotio salutis æternæ. 3. Sicut corpus præter quotidianam refectionem requirit subinde peculiarem aliquam relaxationem ad vires ac vigorem restaurandum, ita & spiritum similia adiumenta requirere, sine quibus, ut ait S. Bernardus. *subit animi vigor, lentescit vigor, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, subtrahitur gratia, sopitur ratio, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, reuocat consuetudo, atque inde in postremum ruitur exilium.*

Punct. II. Consid. 1. Praxim hujus recollectionis in hoc consistere, ut certo die mensis ineuntis subducas te à consuetis occupationibus, & in secessu cum Deo plus temporis impendas orationi mentali & vocali, ac lectioni spirituali; attendas atque expendas decursum mensis præteriti, accepta beneficia, ac tuam ad ea ingratitudinem, & quomodo te ad reddẽdam rationem paratum invenias. 2. Conf. in hoc secessu pleniùs adspirare auram divinæ gratiæ, & laxari vela pietati, dum anima sola cum Deo agit, liberè absque humano respectu modò humiliter terræ oscula imprimit, modò amanter vulneribus Christi, modò brachia ad ejus similitudinem extendit, & suspiria ac castos affectus in cœlum iaculatur. 3. Argue hîc tuum languorem & inconstantiam, qua occasione minima oblata deficis à bonis propositis. *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.*

Punct. III. Consid. 1. Fructum hujus recollectionis, per quam defectus priusquam roborentur, faciliùs superantur, crescit affectus & desiderium virtutum, ac super omnia animi quies & pax, sic ut perturbari à nullo possit. 2. Expende dicta S. Hieronymi de hoc secessu: *Nullus cum solitudine conferri locus potest: hîc delicias omnes reperio, hîc cælicas prælibo voluptates.* & Bernardi: *Cella terra sancta est, & locus sanctus, ubi anima Deo iungitur.* Etiam Thomæ à Kempis: *Qui intendit ad interiora & spiritualia pervenire, oportet eum cum Iesu à turba declinare. Nemo securè apparet, nisi qui libenter latet: nemo securè loquitur, nisi qui libenter tacet.*

XLI. De usu suffragij menstrui.

PVnct.I.Conf.1.Vsum hunc suffragij originem habuisse ex illustri familia ducum Gandiæ in Hispania,qui quotannis sanctũ aliquẽ patronum eo anno singulari pietate colendum sorte eligere asseverant, quem usum deinde per B.Franciscum Borgiam ab annua electione ad menstruam extensum, Societas Iesu universa amplexa est,atque in Sodalium cœtus toto orbe diffusos, insigni fructu propagavit. 2. Nomen suffragij à suffragando significationem habere, eo quod per illud moneamur,& Sanctum aliquem ad suffragandum nobis invocare, & nosipsos studio certæ virtutis, proximum verò atque Ecclesiæ bonum subsidio precum promovere. 3. Electionem hanc sorte fieri, ut præmissâ oratione eam quasi à divina manu accipias. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Prov. 16. 33.

*Punct.II.*Conf.1.Rationem colendi Sanctos, hoc potissimùm tempore contra adversantes hæreses saluberrimè institutam, eosq; quandoq; nobis ignaros sic optimè innotescere. 2. Sanctum eo mense tibi oblatum peculiari studio colendum, legendo mox ejus vitã virtutesq; imitando, quotidie auxilium ejus implorando, opera omnia per ipsum offerendo, idque potissimùm festo ejus die,ac profesto; vnde S.Augustinus de Martyribus: *Quotiescumque sanctorum Martyrum solemnia celebramus, ita ipsis intercedentibus expectemus à Domino consequi temporalia beneficia, ut ipsos imitando accipere mereamur æterna.* 3. Ex pluribus patronis sanctis sic tibi oblatis litanias contexe pro devotione recitandas. 4. Consid. Sanctos illos eo cultu excitari vicissim ut peculiari affectu te prosequantur, in bono promoveant, à malis tueantur, maximè in externo mortis articulo.

Punct.III. Conf.1. Virtutem propositam tibi singulariter à Deo commendari, eo mense peculiari studio exercendum, in eumque finem virtutis ejus actus, praxes, & motiva conquirenda, auxilia gratiæ ad hoc imploranda nominatim per patronum menstruum. 2. In meditatione aliisque piis functionibus desideria eò excita, & proposita concipe. 3. Sententiam de ea subiunctam familiarem tibi redde, & sic paulatim plurium virtutum thesaurum conquire.

Punct.IV. Consid. 1. Orandum tibi quotidie sub Sacro pro illo Ecclesiæ bono tibi in suffragio proposito, ac pro socio in particulari. 2. Proderit etiam primam Communionem istius mensis, ac qualibet hebdomade actum mortificationis pro eo offerre. 3. Consid. nihil te perdere orando pro altero, sed actu illo charitatis plus lucrari, & faciliùs te tunc pro necessitatibus propriis à Deo exaudiendum. 4. Ita Deum communiter disponere, ut qui pro aliis diligenter orat, & alij vicissim pro eo ferventiùs Deum exorent.

PUnct. I. Conf. 1. Religionem esse statum perfectionis à Christo institutum, in quo qui sunt, peculiariter obligantur ad assequendam perfectionem, non tantùm per observantiam præceptorum, sed etiam consiliorum, ad quem proinde amplioribus subsidiis à Deo instruuntur. 2. Vocationem ad religionem esse singulare beneficium paucis concessum: *Non omnes capiunt verbū istud, sed quibus datum est. Qui potest capere capiat.* Imò quandoque imperfectioribus & magis indignis, ad maiorem ostensionem divinæ misericordiæ: ideoque periculosum esse huic vocationi resistere, vel in ea non dignè vivere. 3. Varia esse religionum instituta propter varia officia charitatis, & varias hominum vires & propensiones, atque ad maius decorum Ecclesiæ, velut reginæ hac varietate magis ornatæ: tu Deo gratias age de vocatione tua, naturæ tuæ & viribus à Deo attemperata.

Matt. 19. 11.

Punct. II. Consid. 1. Eminentiam status religiosi; si enim possit quis distributione aliquarum facultatum pro peccatis suis satisfacere, *Peccata tua eleemosynis redime:* quid non obtinet is, qui non tantùm omnes facultates amore Christi in pauperes distribuit, imò & in posterum possidendi desideria resecat, sed & insuper totum se, corpus per castitatem, animam per subiectionem intellectûs & voluntatis in perpetuum obsequium Deo mancipat. 2. Totam vitam religiosi consistere in perpetua portatione crucis, hoc est in abnegatione proprij iudicij & voluntatis, mortificatione sensuum, omniumque cupiditatum mundi & carnis *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam quotidie & sequatur me.* 3. Omnia alia divina beneficia Creationis, Conservationis, Redemptionis, & vocationis ad fidem in hac vita stabiliri ac pleniùs diffundi; sine hoc verò plurimis periculis esse obnoxia. 4. Amplissimam mercedem huic statui à Christo promissam, nempe *centies tantum nunc in tempore hoc & in sæculo futuro vitam æternam*, atque in extremo iudicio iudiciariam potestatem in alios.

Dan. 4. 24.

Lu. 9. 23. Marc. 10. 30. Matt. 19. 28. Matt. 7. 14.

Punct. III. Conf. 1. Ob prædicta, Religionem rectè dici *portam angustam, quæ ducit ad vitam*, imò & comparari continuo martyrio, ac proinde paucos esse qui eò adspirent. 2. Comparari etiam alteri baptismo, eò quòd per illam, sicut per baptismum, homo liberetur ab omni pœna peccatis debita, & novam vitam spiritualem assumat. 3. Appellari scholam perfectionis & omnium virtutum, quibus assiduè studeant, civitatem refugij, & supra montem positam, ubi spectaculum facti sint aliis sæcularibus, & eorum miserias, pericula, & casus ipsi securi spectent; denique officinam meritorum, atrium curiæ cælestis, & paradisum deliciarum cum Deo & Angelis. 4. Consid. gravissimas punitiones in hoc sæculo, & futuro eorum qui à vocatione sua & promissis Deo factis turpiter resilierunt. *Multo melius est non vovere, quàm post votum, promissa non reddere.*

Eccl. 5. 3.

XLIII. De

XLIII. De novem bonis status religiosi.

PVnct. I. Consid. Bona status religiosi novem capitibus à S. Bernardo comprehensa. In eo inquit 1. homo *vivit puriùs* propter puritatem carnis Deo devotam: propter puritatem mentis à peccatis gravioribus: & propter puritatem intentionis, qua maiorem Dei gloriam, & animæ suę ac proximorum salutẽ in omnibus quærit. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Matt. 6. 22. 2. *Cadit rariùs*, propter rariora offendicula in quæ impingat, & rariores dæmonum laqueos per tria vota resectos: propter exempla sociorum in circuitu, & regulas religionis quibus continetur, ne declinet ad dextram vel sinistram: & propter adminicula superiorum & confessariorum, à quibus sustentatur ne cadat. 3. *Surgit velociùs*, quia lapsus ordinariè non sunt nisi veniales, multis modis expiabiles: quia usum Sacramentorum habet frequentiorem; quia Angelica & divina subsidia ei sunt promptiora.

Punct. II. Consid. quartum bonum: *Incedit cautiùs*, quia mentem habet à Deo magis illuminatam, qua videat & evitet offendicula; quia omnes ferè lapsus in religione per regulas prohibentur, & per pœnitentias corriguntur: & quia Superiores, ac socios habet assiduos inspectores suarum actionum. *Spectaculum facti sumus mundo & Angelis, & hominibus.* 1. Cor. 4. 9. 5. *Quiescit securiùs*, quia solutus est cura temporali de rebus terrenis, quæ ut conseruentur & augeantur velut spinæ animum cruciant, nec sinunt quiescere: quia minus certamen habet cum mundo, quem deseruit, & carne, quam crucifixit cum vitiis & concupiscentiis: quia summa fruitur pace conscientiæ. *Secura mens quasi iuge convivium.* Proverb. 15. 15. 6. *Irroratur frequentiùs*, propter frequentia exercitia spiritualia orationis mentalis & vocalis, Sacrificij Missæ & Cõmunionis, in quibus sæpiùs cælesti luce illustratur: propter spreta solatia terrena, in quorum locum cælestia uberiùs pecipit, etiam in mediis pœnitentiis & mortificationibus, ac propter frequens exercitum omnis virtutis.

Punct. III. Consi. septimum bonum: *Purgatur citiùs*, propter examen conscientiæ quotidianum, generale & particulare; quo in lapsus suos inquirit, dolet, & emendationem proponit: propter frequentẽ usum Sacramentorum Confessionis & Communionis, ac propter frequentem usum pœnitentiarum, quibus tum ultro susceptis, tum à superiore impositis culpas suas hic expiat. 8. *Moritur confidentiùs*, propter Christi promissa: *Vade & vende omnia quæ habes, & habebis thesaurum in cælo.* propter regulam infallibilem: *Qui bene vixit, bene moritur*, propter plenariã in morte indulgentiam, & sociorum sacrificia ac preces. Matth. 10. 19. 9. *Remuneratur copiosiùs*, propter continuum exercitium obedientiæ & bonorum operum. *Qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet*, propter prœmia etiam accidentalia religiosis maximè competentia, nempe aureolas Martyrum, Doctorum, & Virginum; 2. Cor. 9. 6. denique propter iudiciariam potestatem in alios à Christo etiam promissam. Matt. 19. 28.

XLIV. De

XLIV. De prima tonſura, ac IV. Ordinibus minoribus.

PUnct. I. Conſ. 1. Per primam tonſuram capeſſere nos ſtatum Eccleſiaſticum, & in eo dicari peculiariter ſacris obſequiis Chriſti ſummi Principis velut Angelos terreſtres, tum ad maieſtatem ejus peculiari honore proſequendam, tum ad corpus ejus myſticum ſeu Eccleſiam miniſteriis ſpiritualibus iuvandam. 2. Eâdem cõſecrari nos clericos, tanquam ſorte à Deo electos, ut terrenis curis renunciantes, ſectemur cæleſtia;
Pſ. 115. 5. quod exprimimus dicendo: *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei: tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi.* Et monet S. Hieronymus: *Clericus interpretetur nomen ſuum, & ſtudeat eſſe quod dicitur*, attendendo ad res divinas, & hîc vivendo ut Deum poſſideat & viciſſim à Deo poſſideatur. 3. Cùm clerici è ceteris fidelibus à Deo aſſumantur, debere eos etiam virtutum ac vitæ perfectione præ cæteris eminere: aſſumi communiter ætate necdum robuſta, ut aſſueſcant à teneris pietati ac divino cultui vacare.

Punct. II. Conſid. 1. Tonſura crinium in capite ſignificari terrenas &
Iſa. 32. 8. ſuperfluas curas eſſe illis reſecandas. Fieri illam in modum coronæ ad ſignificandam dignitatem regiam, quæ competit Miniſtris Eccleſiæ. *Princeps quæ digna ſunt Principe, cogitabit.* 2. Coronam hanc eſſe minorem & ſenſim creſcere per alios Ordines, ut ſciant etiam creſcendum ſibi in renunciatione & abnegatione ſui, ac vitæ perfectione: & ſicut crines reſecti aſſiduè recreſcunt, ita & affectus inordinatos indigere aſſiduo ſtudio mor-
Bernard. tificationis. *Amor proprius quotidie aliquid profert, quod novacula mortificationis ſit amputandum.* 3. Superpelliceo ſive veſte candida qua induuntur moneri eos ad ſectandam vitæ novitatem & puritatem.

Punct. III. Conſid. Præmiſſa prima tonſura procedere iam clericum ad quatuor Ordines Minores, quibus utpote veris ſacramentis, præter uberiorem gratiam Spiritus ſancti, peculiarem accipit poteſtatem ad functiones illas ritè obeundas; unde & collige qua reverentia & mentis puritate Ordines illi ſuſcipiendi ſint; ubi expende ſingulorum officia, ac 1. *Oſtiarij* munus eſſe, quod tactu clavium, & clauſura atq; apertura templi ſignificatur, ut caveant, ne quid tanta Maieſtate indignum in templo
Ioan. 2. 15. à ſe aut ab aliis committatur, imitantes zelum Chriſti, qui eiecit vendentes & ementes. 2. *Lectoris*, tactu libri ſignificatum, ut libros ſacros aliis ritè prælegant, & doctrinam Chriſtianam parvulis ac rudibus cum zelo explicent. 3. *Exorciſtæ*, etiam tactu libri ſignificatum, qui poteſtatem accipit expellendi dæmones è corporibus obſeſſis, eoſque cohibendi ne fideles in Dei cultu impediant: ubi attende ſuperbos illos ſpiritus hîc ſubjici à Deo etiã minoribus Eccleſiæ Miniſtris, ad eorum humiliationẽ. 4. *Acolythi* ſeu miniſtri ſacri approbati, qui dum candelabrum & urceolos tangit, monetur Miſſæ ſacrificio piè ac reverenter miniſtrare, & curare ea quæ ſpectant divinum cultum, quo munere ipſi Angeli gaudent ſe honorari.

XLV. De

XLV. *De sacro Ordine Subdiaconatus & Diaconatus.*

PVnct.I. Conſ.1. Subdiaconum & Diaconum ex proprio officio velut binas manus & oculos proximè miniſtrare Sacerdoti in Sacrificio Miſſæ, & ad hoc peculiariter in perpetuum conſecrari, ſic ut ſæculi curis, & carnis voluptatibus renunciantes, in perpetua caſtitate Deo deſerviant, pro qua conſervanda aſſiduè & inceſſabili pugna ſit eis decertandum. *Mundamini qui fertis vaſa Domini.* 2. Indui eos veſtibus ſacris, atque in *Iſaiæ 52.11.*
primis *Amictu* ad deſignandam animi fortitudinem iis neceſſariam velut *galeam ſalutis, ad expugnandos diabolicos incurſus. Alba* deſignari cordis munditiem ad finem uſque vitæ ſectandam. *Cingulo* conſtringendam libertatem, & ſenſus vinculis modeſtiæ & puritatis. *Manipulo* in brachio ſiniſtro, adverſa hujus vitæ patienter ferenda, ut cum exultatione recipiant mercedem laboris. *Stola* denique excitari Diaconos ad ſpem gloriæ deperditæ per inobedientiam primi parentis, & per obedientiam Chriſti ac noſtram recuperandæ.

Punct.II. Conſ. Vitæ perfectionem pro utriſque requiſitam exprimi ab Apoſtolis, cum electuri primùm diaconos, *convocantes multitudinem diſcipu-* *Act.6.2.*
lorum dixerunt: conſiderate fratres viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. Unde collige 1. non quoſvis nec temerè ad hoc munus admittendos, ſed maturo judicio, conſideratis eorum moribus, ac vitæ probitate, eligendos qui ceteris præcellant. 2. Debere eſſe *viros*, non tantùm ætate maturos, ſed potiſſimùm virtutibus, prudentia, juſtitia, temperantia & fortitudine. 3. *Boni teſtimonij*, quorum virtus teſtata ſit aliis exemplo bonorum operum, ac potiſſimùm ipſis teſtimonio bonæ conſcientiæ. 4. Exprimi deinde virtutis menſuram, cum ſubditur debere eos eſſe *plenos Spiritu ſancto & ſapientia*, non tantùm externa virtutis ſpecie inſignes, ſed interna, vera ac ſolida, à Spiritu ſancto communicata, & quidem cum plenitudine quam exigit ratio iſtius Ordinis Sacramentalis.

Punct.III. Conſ. Moneri proinde ab Epiſcopo in eorum conſecratione ſpecialiter 1. *Subdiaconos* licitum illis quidem hactenus ad ſæcularia vota tranſire, ſed id Ordine hoc ſuſcepto præcluſum, ac Deo, cui ſervire regnare eſt, in caſtitate & Eccleſiæ miniſterio perpetuò deſeruiendum. Proinde *ut ſi uſque nunc fuerint tardi ad Eccleſiam* & orationem, *ſint amodo aſſidui: ſi ſomnolenti, ſint amodo vigiles: ſi ebrioſi, ſint amodo ſobrij: ſi inhoneſti, ſint caſti.* 2. *Diaconos, ut in eis abundet totius forma virtutis, auctoritas modeſta, pudor conſtans, innocentiæ puritas, & ſpiritualis obſervantia diſciplinæ: ut in moribus eorum præcepta Dei fulgeant, & ſuæ caſtitatis exemplo imitationem ſanctam plebs acquirat, & bonum conſcientiæ teſtimonium præferentes, in Chriſto firmi & ſtabiles perſeverent:* Quare expende num talem te exhibeas, & quod deeſſe cognoveris, aſſequi ſtude.

XLVI. De lectione Divini Officij.

PUnct. I. Consid. Lectionem divini Officij seu Horarum Canonicarum ministerium esse ab Ecclesia institutum, proprium iis, qui per sacros ordines aut religionis suæ instituta divino cultui peculiariter dicati sunt; ubi expende caussas hujus institutionis, quarum 1. est ut Ecclesia militans imitaretur in hoc triumphantem in cęlis, in qua Angeli & Beati coram Deo semper assistunt, laudibus ejus intenti. *Isa. 6. 3.* *Clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* 2. Ut destinatis horis perpetua esset memoria beneficiorum Dei. *Psal. 33. 1.* *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.* 3. Cùm necessitates & miseriæ nostræ corporis & animæ, communes & particulares sint continuæ, ut per hoc officium etiam continuum Dei auxilium imploraremus, tum pro illarum depulsione, tum pro donorum ejus conservatione & augmento.

Punct. II. Consid. Modum ritè cum fructu hoc Officium persolvendi; 1. cum animi præparatione, qui à terrenis curis abstractus, ad Deum convertatur. *Eccl. 18. 23.* *Ante orationem præpara animam tuam.* 2. Pura intentione ad Dei honorem, & unitum fervori Christi, ac Sanctorum: atque ita Horas singulas, quæ septem numerantur dirigi posse ad singulas petitiones orationis Dominicæ: ad Matutinum & Laudes, ut nomen Dei honoretur: ad Primam, ut regnum cæleste consequamur, & sic de ceteris. 3. Requiri attentionem intellectus ob reverentiam tantæ Majestati debitam, ne justè queratur: *Isa. 29. 13.* *Populus ille ore suo, & labiis suis glorificat me: cor autem ejus longè est à me.* Ideoque præter attentionem ad sensum verborum, posse etiam singulas Horas applicari ad certa mysteria Passionis pro certo fine cōsequendo: *Matutinum & Laudes* ad orationem Christi in horto, & comprehensionem, pro Ecclesia ejusque Prælatis: *Primam* ad Christi accusationem, pro Principibus sæcularibus: *Tertiam* ad flagellationem & coronationem, pro peccatoribus & infidelibus: *Sextam* ad crucifixionem, pro religiosis: *Nonam* ad mortem ejus, pro amicis & inimicis: *Vesperas* ad depositionem de Cruce, pro perseverantia justorum: *Completorium* ad sepulturam, pro animabus in purgatorio. 4. Requiri devotionem in voluntate exprimendo affectus Prophetæ, ut cum ipso Deum laudet, timeat, amet, speret, postulet, mentem attollat, & deprimat: denique requiri tempus & locum opportunum, ac pronunciationem distinctam.

Punct. III. Consf. 1. Singularem fructum hujus orationis; cùm enim nomine Ecclesiæ offeratur, habere peculiarem vim ad impetrandum sibi & aliis: *Matt. 18. 19.* *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumq; petierint, fiet illis à Patre meo.* 2. Lectione Psalmorum singulariter pelli ex animo tristitiam, tædium, ignaviam, & affectum ad terrena; conferri verò gaudium spiritus, pacem & quietem, lacrymas devotionis, ac desiderium cælestium, atque assimilationem cum Sanctis, ut dicere possit: *Conversatio nostra in cælis est.*

P*Unct. I.* Conſ. 1. Deo ſemper curæ fuiſſe, ut Sacerdotes ad peculiarem
Majeſtati ſuæ cultum deferendum deſtinati, apud ceteros in honore
eſſent & reverentia, ideoque in lege naturæ hanc dignitatem conjun-
ctam fuiſſe Regiæ, ut patuit in Melchiſedech, & collatam primogenitis *Gen. 14.8.*
illuſtrium familiarum, idemque uſurpatum à variis gentilibus ad maio-
rem Sacerdotum reverentiam. 2. In lege ſcripta eos conſtitutos à Deo
Principes ac Judices populi in controverſiis decidendis, juſſos indui *Deut. 17.8.*
veſtibus ſplendidis ac pretioſis, nec communem cum ceteris ſortitos he- *Ex 28.31.*
reditatem, ſed Deum in ſe ſuſcepiſſe curam eos alendi ex oblationibus *Num. 18.20*
populi, quas ipſis velut tributa Regibus pendi voluit: neque tantùm a-
lendos ſuſcepiſſe, ſed peculiariter protegendos, ſic ut mala ab iis averte-
ret, & injurias illatas ulciſceretur, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* *Zach 2.8.*

Punct. II. Conſ. 1. In lege gratiæ dignitatem Sacerdotum tantùm præ-
cellere prioribus, quantùm ſacrificia ab his oblata illis præcellunt; nem-
pe quantùm corpus umbris, veritas figuris, & Deus vilibus creaturis, cùm
contineat participationem ſupremi Sacerdotii Chriſti; ideoque Reges
& Principes hiſce colla ſubmittere, & cæleſtes Spiritus tantam in homi-
ne dignitatem & potentiam venerari. 2. Dignitatem hanc conſiſtere in
duplici poteſtate illis collata, *Ordinis*, & *Iuris-dictionis*. Ratione *Ordinis*, poſſe
eos quotidie imperio ſuo, paucis verbis expreſſo, ſiſtere in altari Chri-
ſtum, verum Deum & hominem in cælis glorioſum, ſub ſpeciebus panis
& vini, *obediente Domino voci hominis*, eumque offerre pro ſua & fidelium ſa- *Ioſ 10.14.*
lute ad mala avertenda, & bona impetranda, ac deinde ore ſumere &
intra viſcera ſua demittere: in quo ſuſpice Dei dignitatem. 3. Ratione
Iuriſ-dictionis, habere eos poteſtatem regendi fideles in ſpiritualibus, ac
nominatim abſolvendi à peccatis, eoſque Deo reconciliandi, idque au-
ctoritate propria à Deo communicata, dicentes: *Ego te abſolvo.*

Punct. III. Conſid. hanc eorum dignitatem variis nominibus tum in
Scriptura ſacra, tum à ſanctis Patribus expreſſam, dum appellantur *ſal* *Matt. 5.13.*
terræ, lux mundi, civitas ſupra montem poſita, ut omnibus provideat, *Patres* vitæ *Epheſ. 4.11.*
ſpiritualis, *Paſtores* qui paſcant ſubditos verbo & exemplo, *Doctores*, *Epiſcopi*, *1. Pet. 2.25.* *Heb. 8.3.*
Pontifices, *Præpoſiti*, *Principes populi*; Medici in infirmitatibus, adjutores in *Heb. 13.17.*
præliis potiſſimùm in extremo agone, *Diſpenſatores myſteriorum Dei*, media- *1. Cor. 4.1.*
tores inter Deũ & homines, clavigeri cæleſtes, vicarij Chriſti. *Qui vos audit* *Luc. 10.16.* *Mal. 2.7.*
me audit. *Angeli*, ac denique Dei. *Ego dixi: Dii eſtis.* Ideoque expendenda illis *Pſal. 81 6.*
eſſe crebrò verba Chriſti ad Apoſtolos dicta: *Scitis quid fecerim vobis*, cum *Ioan. 13.12.*
aſſidua gratiarum actione & ſtudio vitæ ſanctioris.

XLVIII. De vitæ Sanctitate Sacerdotibus necessaria.

PVnct. I. Conf. 1. Sacerdotem, sicut ceteris dignitate longè præcellit, ita & debere etiam præcellere vitæ sanctitate, qua dignitatem suam stabi-
1. Pet. 2. 9. liat. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta. Magis satagite ut per bona*
2 Pet. 1. 10. Leu. 21. 8. *opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Sancti sint, quia & ego Sanctus sum*, ut vitam agant in terris cælestem, Angelicam, & divinam. 2. Hanc vitæ sanctitatem requiri ab ipsis etiam propter exempla aliorum; quia
Trid. S. 22. 1. *nihil est quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se divino mysterio dedicarunt*; monetque S. Ambrosius in eis *nihil debere esse populare, nihil commune cum studio & moribus inconditæ multitudinis; quomo-*
Osea 4. 9. *do enim potest observari à populo, qui nihil habet secretum à populo?* si fiat *sicut populus sic Sacerdos.* 3. Quantum igitur distat Pastor ab ove, Magister à discipulo, Dux à milite, Rex à cerdone, Angelus ab homine: tantùm etiam enitendum Sacerdoti ut vitæ sanctitate præstet ceteris.

Punct. II. Conf. 1. Requiri proinde ab eis munditiem à vitiis, ideoque in
Leu. 21. 17. lege veteri prohibitos à Sacerdotio quotquot haberent *maculam*, sive defectum corporalem: ut Sacerdotes nostri intelligerent se debere mundos esse à maculis sive defectibus spiritualibus, non superbos, non avaros, impudicos, aut iracundos. 2. Debere eos insuper totos incumbere in studia virtutum, atque in primis humilitatis, quæ ceterarum fundamentum est, fiduciæ de paterna Dei protectione significata in consecratione per im-
Isa. 40. 31. positionem manuum ab Episcopo. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem*, humanam in divinam, *assument pennas sicut aquilæ*, ad excelsa aggredienda, cum zelo, promptitudine, & diligentia. 3. Requiri ab eis paupertatem
1. Tim. 6. 8. spiritus, *ut habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus*, & studium mortificationis: ideoq; muniri eos ab Episcopo signo Crucis, ut in ea gloriam suam constituant. 4. Studium orationis in quotidiano sacrificio, & officio divino aliisque precibus cum attentione, devotione, & opportuno tempore offerendis, pro suis & populi delictis: ac potissimùm castitatis, ad quam perpetuò servandam se Deo in susceptione Ordinis obligant, & quæ ad quotidianam oblationem, & esum agni immaculati iis est necessaria.

Punct. III. Consid. Gravissimè sæpiùs punitos fuisse à Deo etiam in hac vita eos qui hac dignitate abusi sunt, eamque vitiis fœdarunt: *si quis*
1. Cor. 3. 17. *templum Dei violaverit, disperdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis*
Luc. 12. 48. *vos. Cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Meliùs illis esset salvari in hu-*
Bernardus. *mili gradu fidelis populi, quam in cleri sublimitate deteriùs vivere, & districtiùs judicari. Si altiorem & non meliorem esse delectat, non præmium sed præcipitium expectamus.*
Hierony. Ambrosius. *Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quam mæroris de sublimiori corruisse. Ruina quæ de alto est, gravi casu colliditur.*

XLIX. De Renovatione votorum.

PUnct. I. Consid. 1. Sicut oblatio sui per vota religionis quibus quis se totum, corpus & animam, cum bonis omnibus temporalibus Deo in holocaustum offert, ipsi gratissima est: ita & gravissime ei displicere horum votorum transgressionem. *Ego Dominus*, inquit, *diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto*. *Melius erat non vovere, quàm cùm voveris non reddere*. 2. Non esse simplex promissum ex parte nostra, sed pactum cum Deo initum, quo ipse vicissim nobis promittit hic *centuplum*, & posteà *vitam æternam*. Unde S. Franciscus animabat suos: *Magna promisimus, sed majora promissa sunt nobis, servemus illa, & adhæc anhelando suspiremus*. 3. Transgressionem votorū oriri potissimùm ex tribus vitijs, acedia, oblivione, & inconstantia, quibus S. Ignatius unicum efficax remediū opposuit, semestrem votorū simplicium renovationem, quę tribus saluberrimis fructibus opposita vitia enervaret, prout ipse in se ac socijs primùm extra urbem Parisiensem in monte Martyrum, magno sui suorumque solatio expertus fuerat.
Isa. 61.8.
Eccl. 5.3.
Matt. 19.29.
4. p. Const. 4. 5.

Punct. II. Primus igitur Renovationis hujus fructus ac finis est, *ad devotionis augmentū*. Ubi Cons. 1. Devotionem, quę fuit in prima votorū nuncupatione, sensim obrepente accdia lāguescere ac interire, nisi efficaci hoc remedio suscitetur. 2. Sicut corpus hominis sensim ad senium & interitū tendit, deficiente calore, ac sopitis sensibus, ita & spiritū: quare hortatur Apostolus: *Renovamini Spiritu mentis vestræ*, & Psalmista, *Renovabitur ut aquilæ juventus*. 3. Cons. Excitari etiā hanc devotionem præparatione huic renovationi pręvia, nempe triduana recollectione, qua abstinetur à solitis occupationibus & colloquijs, atque impensiùs vacatur functionibus spiritualibus & mortificationibus, cum ratione conscientiæ reddenda superiori, & confessione generali ab ultima, quare incūbendū, ut ea accuratè obeantur: *Viam triū dierū pergemus in solitudinē, & sacrificabimus Domino Deo nostro*.
Eph. 4.23.
Ps. 102.5.
Ex. 8.27.

Punct. III. Alter fructus renovationis est, *ad excitandam, qua Deo obstricti sumus, obligationis memoriam*. Ubi Cons. 1. Memoriam seu recordationem hujus obligationis etiam sensim interire per culpabilem oblivionem, acediæ filiam, de qua cavenda monet Deus populum suum, dicens: *Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum*. 2. Hanc obligationem aggravari ex amplissimis beneficijs collatis, quorum memoriam Deus passim inculcat, & oblivionem arguit, *Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui*. Longè autem ampliora esse nobis collata, si expenderimus, unde & quò translati simus.
Deut. 4.23.
Deut. 32.18.

Punct. IV. Tertius fructus est, *ad majorem in vocatione confirmationem*. Ubi Cons. 1. Hanc maximè esse necessariam propter innatam vitiosæ naturæ inconstantiam, unde fit ut quæ priùs placuerant, posteà fastidiantur, de quibus sapiens: *Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & dereliquerunt vias rectas*. 2. Gratissimā esse Deo hanc renovationem, tanquam complacentiam in bono, quæ ei summè displiceret in malo.
Eccl. 2.16.

L. De Manifestatione Conscientiæ.

PVnct. I. Conf. 1. Hujus manifestationis necessitatem, ac damna vitij contrarij, adeò ut Sancti Patres in ea principium posuerint doctrinæ spiritualis, ac nominatim S. Dorotheus, omnem lapsum è religione inde originem accipere; quare & inter substantialia media Societ. Iesu ad eam conservandam statuta est, juxta mentem S. Ignatij, cùm dicit: *Quicumque hanc Societatem in Domino sequi volet, & in eadem ad majorem Dei gloriam manere, debet conscientiam suam magna cum humilitate & caritate manifestare, re nulla, qua Dominum universorum offenderit, celata.* 2. Si nulla ars in rebus corporalibus sine magistro discatur, quantò minus hęc spiritualis, quæ captum hominis magis superat, & adversarios habet maximè sagaces & potentes. *Væ soli, quia non habet sublevantem se.* 3. Nullo vitio ita aperiri ostium satanæ, qui est spiritus tenebrarum, quàm hac clausura conscientię, qua & remedijs omnibus via obstruitur. 4. Rationem tacendi vitiosam esse, cùm ex superbia originem ducat, vel quod sibi persuadeat prudentiam suam sibi sine duce ullo sufficere, vel quod timeat, ne inde apud Superiorem vilior æstimetur. *Omnis iniquitas oppilabit os suum. Et qui malè agit, odit lucem.*

Reg. 40. Sum.

Eccl. 4. 10.

Ps. 106. 42. Ioan. 3. 20.

Punct. II. Conf. 1. Utilitatem & fructus hujus manifestationis; nihil enim est quod magis frangat machinationes dæmonis, adeò ut vel aperuisse, vicisse sit. Quod & S. Ignatius declaravit similitudine juvenis, pellicientis honestam virginem ad peccatum. Quod ut assequatur, unicè studet persuadere illi ut parentes celet, quibus si aperiatur, spe sua frustratus ultrò diffugit. 2. Sicut vulnus celatum putrescit, & ad interitum trahit, manifestatū verò curatur; ita & plagæ spirituales. Vnde S. Hieronymus: *Quod ignorat medicina, non sanat.* Et Gregorius: *Vulnera clausa plus cruciant, sed cùm putredo, quæ intrinsecus fervet, eijcitur, dolor aperitur.* Et subdit: *Quid est enim peccatorum confessio, & tentationum manifestatio, nisi quædam vulnerum ruptio?* 3. Conf. Provenire hinc ingens solatium, animi quietem, & fiduciam in omni munere ab obedientia imposito, ut dicere possit cum S. Augustino: *Da Domine quod jubes, & jube quod vis.*

Lib. Exer.

Punct. III. Consid. 1. Difficultates quę apparent in hac manifestatione ex consideratione fructus facilè superandas; nam æstimationem, quam timet apud Superiorem amittere, potiùs auget hoc exercitio humilitatis, qui vitium ejus non ut culpam, sed ut infirmitatem attendit. 2. Fit carior Superiori, tum ob fiduciam quam ostendit se de eo concipere, tum ob desiderium curationis & salutis: *Est enim confusio adducens peccatum,* (qua malum reticetur,) *& est confusio adducens gloriam & gratiam,* (qua impellente malum aperitur.) 3. Conf. Aperiri ea Superiori non ut judici ad punitionem, sed ut Patri ad auxilium & commodiorem directionem, sub sigillo secreti; atque ita difficultates absterrentes hîc magis esse imaginarias quàm veras, generosa voluntate penitùs dissipandas.

Eccl. 4. 25.

LI. De

LI. De Correctione Fraterna.

PUnct.I. Conſ.1.Cùm quiſque in agnoſcendis defectibus ſuis multùm impediatur amore ſui excœcatus, atque alij etiam ſæpè reformident eos delinquenti indicare, magnum eſſe beneficium in pluribus religionibus ſalubriter inſtitutum,ut defectus in alijs notati cum caritate Superiori exponantur,qui illos de his paternè admoneat; quod in Societate Ieſu Gregorius XIII.Pontifex peculiari declaratione approbavit,& tanquam Euangelicæ ac Apoſtolicæ perfectioni maximè congruum collaudavit. 2. Conſ. Actum eſſe caritatis ſive eleemoſynæ ſpiritualis,ſic alterum juvare,quia medium adhibet ad illius curationem maximè commodum & efficax; ſicut dum quis vulnus aut morbum ægri etiam inviti exponit medico, ſic inquit S.Auguſtinus: *Multa bona præſtantur invitis, quando eorum conſulitur utilitati; non voluntati.* 3. Conſ. Graviter etiam peccari poſſe ab eo qui hoc caritatis officium in graviori defectu ex humano reſpectu prætermittit,præſertim ubi à Superiore fuerit ita præſcriptum aut interrogatum;nam peccatum alterius ſilentio ſuo fovet & nutrit.Unde S.Baſilius: *Peccatum fratris ſui occultare,nihil aliud eſt quàm ægrum ſua ſponte ad mortem ruentem impellere.* Et Auguſt. *Tu vides fratrem perire & negligis! pejor es tacendo, quàm ille conviciando.*

Punct.II. Conſid.1.In Superiore ſignum eſſe veri ac ſinceri amoris erga ſubditum delinquentem, atque etiam fiduciæ de ipſius emendatione dum eum de errato corripit. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.* Prov.27.6. *Corripiet me juſtus in miſericordia,& increpabit me: Oleum autem peccatoris,* Pſ.104.5. ſive adulatio, *non impinguet caput meum. Qui te beatum dicunt,ipſi te decipiunt,* Pſ.3.16. *& perniciem tibi creant.* 2.Non debere etiam Superiorem hoc officium prætermittere propter ſenſum alterius; nam,ut ait S.Auguſt. *Phrenetici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari:ſed perſeverat diligentia caritatis: Ambo offenduntur, ſed ambo diliguntur: ambo moleſtantur & indignantur, ſed ſanati ambo gratulantur.*

Punct.III. Conſ.1. Gravis imperfectionis indicium eſſe, cùm quis à Superiore admonitus de defectu, ſigna oſtendit diſplicentię, excuſationes vanas prętexit, in delatorem inquirit, ac delata exprobrat, cùm potiùs utrique de officio charitatis gratias debeat rependere. *Via ſtulti recta in* Prov.12.15. *oculis ejus; qui autem ſapiens eſt, audit conſilia.* Unde S.Bernardus: *Quis dabit mihi centum in mei cuſtodiam deputari paſtores? quantò plures ſentio mei curam gerere, tantò ſecurior in paſcua exeo.* 2.Conſid.Incommoda inde naſcentia, cùm talis mereatur ut incurabilis deſeri, & in vitijs computreſcere. *Curavimus Ba-* Ier.15.9. *bylonem & non eſt ſanata, derelinquamus eam. Qui increpationem odit,morietur, & qui* Prov.15.10. & 32. *abjicit diſciplinam,deſpicit animam ſuam.* Et S. Bernardus: *Humanum eſt labi, diabolicum verò nolle reſurgere.* Reſurgere autem non vult, qui cùm per ſe non poſſit,tamen nec lapſum ſuum vult Superiori manifeſtari, nec illi manum porrigenti acquieſcere.

LII. De Confeßione generali.

L. 6. Exer. PVnct. I. Proponit S. Ignatius triplicem fructum confeſſionis generalis, quorum primus eſt, *vehementior dolor ex multitudine peccatorum.* Ubi Conſ. 1. Cum peccata omnia non ab hebdomade vel menſe, ſed à ſemeſtri vel longiori ſpatio commiſſa cum frequenti in eadem relapſu ſimul colliguntur, mentique proponuntur, agnoſcendum decurſum vitæ tuę, quaſi ex continuis defectibus contextum, ut dicere poſſis cum propheta Regio: *Iniquitates meæ, multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei.* 2. Hanc multitudinem peccatorum conferendam cum multitudine beneficiorum acceptorum, quæ ſi utrimque attentè ponderentur, aggravabunt vitium ingratitudinis, ut audire meritò poſſis: *Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? numquid non ipſe eſt pater tuus qui poſſedit te, & fecit, & creavit te,* ac tot beneficijs cumulavit? 3. Ingratitudinem hanc magis periculoſam eſſe in religioſo, tot gratijs exornato, nam hoſtes beneficijs ſæpe molleſcunt, quę apud ingratos non operantur, unde Bernardus: *Ingratitudo ſiccat fontem pietatis rorem miſericordiæ, & fluenta gratiæ.*

Pſ. 39. 13.

Deut. 32. 6.

Punct. II. Alter fructus eſt, *vehementior fuga peccatorum ex natura & malitia eorum clariùs inſpecta per meditationes prævias.* Ubi Conſ. 1. Per peccata omnia, licet prohibita non eſſent, hominem deturpari, ac beſtijs aſſimilari, quarũ affectus aſſumit, ac monſtroſum fieri, de quo Auguſt. *Qualis eſt in oculis hominum qui inverſis ambulat pedibus, talis eſt in oculis Sapientium & Angelorum, cui paßiones dominantur,* ubi ratio ancillatur ſenſibus, & Spiritus carni. 2. Peccata omnia quamvis levia eſſe contra præceptũ Dei, qui illis tam graviter offendatur, ut etiam pro toto mundo lucrando ne vel leviſſimum, liceret admittere: ubi expende infinitam illam Dei quem offendis potentiam, Sapientiam, bonitatem, & juſtitiam, ac confer cum tua infirmitate, ignorantia, malitia, & iniquitate. 3. Etiam leviorum damna, nempe diminui inde amorem Dei erga nos, & noſtrum erga ipſum, deficere fiduciã in oratione. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum,* ac priorem animę ſpeciem ſenſim marceſcere, ſic ut de ea meritò dicatur: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* unde Sancti omnes ea ſemper graviter in ſe planxerunt, & ſtudioſe caverunt.

1. Ioan. 3. 21

Thren. 4. 1.

Punct. III. Tertius fructus eſt, *uberior gratia in ſumptione Euchariſtiæ conſequenti.* Ubi Con. 1. Cum Sacramenta omnia, & hoc nominatim S. Euchariſtiæ operetur ſecundum diſpoſitionem ſubjecti, longè uberiorem gratiam conferendam, ubi anima per peccatorum deteſtationem fuerit magis purgata. 2. Addenda ampliora auxilia gratię ad cavenda in poſterum peccata jam cognita, & ad gratiam acceptã conſervandam, ac pijs operibus, nominatim virtutum contrariarum actibus augendam. 3. In morte præſtandam majorem ſecuritatem, quando animus per morbum ſæpe minus idoneus, cognoſcet peccata priora integris ſenſibus, maturo judicio, ac ſeriò dolore expiata.

PVnct.I. Consi.1. In quo consistat religiosa paupertas, ut nihil proprium habeas, neque des, neque accipias, sine consensu Superioris, cumque ea tibi auferuntur (quoniam tua non sunt, sed religionis) ne gravatè feras. 2. In victu, vestitu, habitatione siquando viliora tibi tribuantur, ne existimes injuriam tibi fieri, sed beneficij loco quidquid id est gratanter accipe, velut mendicus eleemosynam. 3. Peccari contra hoc votum, quoties religiosus dat aliquid vel accipit, etiam ad usum tantùm sine generali aut particalari Superioris consensu, cùm celat Superiorem ea quæ ad usum habet, ne sibi ab eo auferantur; cùm immodicè rebus sibi ad usum datis afficitur, nec bonorum temporalium dominio, cùm potest, & jubetur, se nititur abdicare.

Punct.II. Consid. Damna hujus paupertatis violatæ, 1. severam Dei animadversionem in Ananiam ac Sapphiram uxorem subita morte extinctos ad vocem S. Petri ob defraudatam partem de pretio agri divenditi. 2. Deum minorem habere curam eorum religiosorum, qui ipsi de se nimis soliciti sunt, aut rebus suis immodicè afficiuntur, eosque magis esse miseros, quòd minoribus vinculis constricti detineantur, nec mundi fruantur commodis, nec religionis. 3. Quamdiu quis detinet aliquid invito suo Superiore, manere in statu peccati, neq; hoc remitti nisi consensum Superioris obtinuerit. 4. Hinc religiosos deprehensos post mortem voti hujus transgressores, aliquoties extra locum sacrum in sterquiliniũ projectos, simul & nummos inventos cum opprobriis. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.*

Act.5.3
Act.8.20.

Punct.III. Consi. Commoda religiosæ paupertatis. 1. Tollit hæc plurimas occasiones peccandi, quas secum divitiæ trahunt, superbiæ, luxuriæ, invidiæ, gulæ, iræ, &c. & oppositas virtutes velut radix ac mater inducit, & velut murus conservat. 2. Liberat hominem infinitis curis, quibus divites distrahuntur, eoque magis, quò plura possident. 3. Avocat affectum à terrenis ad cælestia, sic ut dicant cum Apostolo: *Non habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* 4. Quandoquidem religiosi omnibus se abdicant amore Dei, Deum vicissim paterna providentia sua eis benignè providere de necessariis, sic ut sint juxta Apostolum *nihil habentes & omnia possidentes,* imò liberaliùs sępè quam in sæculo sperare potuissent, invenientes *centuplũ* à Christo promissum, & posteà *vitam æternam,* atque in extremo judicio prærogativam sessionis, *judicantes 12. tribus Israel.* Quare dole de defectibus commissis contra hanc virtutem, & stude in ea magis assimilari Christo, qui in paupertate natus, educatus, vixit & mortuus est: talem Matrem, tales discipulos sibi delegit, ut sua, suorumque inopia nos in cælesti gloria divites aliquando essemus.

Heb.13.14.
2. Cor.6.10.
Matt.19.29
Mat.19.27.

LIV. De voto religiosæ Castitatis.

PUnct. I. Consid. 1. Virtutem Castitatis consistere in refrenanda delectatione carnali, quæ cùm in Angelis locum non habeat, facit ea homines Angelis similes, unde & Angelica appellatur, & quidem cum eo discrimine quòd Angelorũ castitas, quia à natura, felicior sit hominũ verò, quia à libera fortitudine, præstantior ac laudabilior. 2. Peccari in vitio opposito cogitatione ac delectatione voluntariè admissa, vel languidè repressa; verbis speciem inhonestatis præferentibus; opere (ut graviora prætermittantur) dum quis spectat, legit, vel audit eò provocantia, aut familiaritate nimia iis se adjungit, unde periculum sibi creari sentit.

Punct. II. Cons. 1. Pœnas hujus vitii, ut sunt morbi cũ enervatione viriũ, infamia cum continuo metu ne in crimine deprehendantur, relapsus frequens cum difficultate resurgendi, ac perpetuus conscientiæ remorsus,
Prov. 23. 32. sic ut quod Sapiens de vino ait, huic meritò tribuatur: *Blandè ingreditur, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* 2. Propter hoc potissimùm vitiũ Deũ diluvio mundum perdidisse, Sodomam cum vicinis urbibus igne de cælo extinxisse, atque alios plurimos in ipso flagitio subita morte oppressisse. 3. Post hanc vitam gravissimè eos torqueri igne
Apoc. 18. 7. æterno ob brevissimam voluptatem; unde Dominus: *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* 4. Vitii hujus gravitatem immensum excrescere in homine per votum castitatis Deo consecrato, propter adjunctum flagitiũm sacrilegij, cum enormi injuria Dei, longè magis quàm si calix aut templum profanis aut impiis usibus violaretur; unde Sapiens:
Sap. 6. 7. *Potentes potenter tormenta patientur.*

Punct. III. Consid. Remedia adversùs hoc vitium seriò adhibenda, ut sunt 1. fuga occasionũ, quò spectat custodia sensuũ, potissimùm oculorũ, & motuum corporis, imò & vestium honesta compositio, circumspectio in conversatione, studium mortificationis ac pœnitentiarum, fuga otii &
Eccl. 3. 27. privatæ familiaritatis, atq; omnis occasionis; nam *qui amat periculum, peribit in illo*: denique initiis ac primis cogitationum motibus strenua oppositio, nec quidquam hîc leve ducere. 2. Est item studium orationis, potissimùm jaculatoriæ, cum invocatione Jesu ac Mariæ & signo crucis; unde
Sap. 8. 21. Sapiens: *Scivi quoniam aliter non possum esse cõtinens, nisi Deus det.* frequens usus &
Psal. 22. 6. visitatio Ven. Sacramenti, de quo Psalmista: *Parasti in conspectu meo mensam adversùs eos qui tribulant me.* Memoria Christi crucifixi, de qua Bernardus: *Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* Memoria Novissimorum, de qua Gregorius: *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.* 3. Proponendi lapsus aliorum perfectiorum, de quibus Hieronymus: *Nec sanctior Davide es, nec sapientior Salomone, nec fortior Samsone, qui tamen omnes fœdè prolapsi sunt.*

LV. De

LV. De voto religiosæ Obedientiæ.

PVnct. I. Conſ. Virtutem Obedientiæ conſiſtere in adimplenda voluntate Superioris: contra quam peccatur, 1. Cùm opus impoſitum non impletur, aut tardiùs, aut imperfectè. 2. Cùm quis vanis rationibus & excuſationibus torquet voluntatem Superioris ad ſuam; tunc enim, inquit Bernardus, Superior magis ipſi obedit, quàm ipſe Superiori. 3. Cùm ad oculum tantùm obedit propter Superioris præſentiam, quo abſente mandatum tranſgreditur. 4. Cùm obluctatur interno intellectu ac voluntate, quaſi iniquius ſit quod jubetur. 5. Cùm ſupremo tantùm, & non ſubordinatis officialibus obedientiam præſtat.

Punct. II. Conſ. Pœnas inobedientiæ, ac 1. graviſſimam punitionem primorum parentum, ac poſterorum propter unius mandati tranſgreſſionem; Core, Dathan, & Abiron vivos terra abſorptos, Saulem regno *Num. 16.22* exutum & vita, ac populum Jſraëliticum variis cladibus ſæpiùs afflictum. *1. Reg. 15.23* 2. Supplicium mortis à Deo decretū inobedientibus: *Qui ſuperbierit* *Deu. 17.12.* *nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille*: ac deinde atroces maledictiones contra inobedientes. *Deu. 27.26.* 3. Deum inobedientiam erga Superiores aſſumere & vindicare tanquam ſibi exhibitam; unde ait ad Samuelem: *Non* *1. Reg. 15.2?.* *te abjecerunt, ſed me.* & Chriſtus ad Apoſtolos eorumque ſucceſſores: *Qui vos* *Luc. 10.16.* *ſpernit, me ſpernit.*

Punct. III. Conſ. Fructus perfectæ obedientiæ, ac 1. ampliſſimam benedictionem Abrahæ ac poſterorum propter unum actum obedientiæ: *quia feciſti hanc rem.* *Gen. 22.16.* 2. Valere eam ad vincendos omnes pravos affectus, nam *vir obediens loquetur victorias*, de mundo, carne, ac dæmone. *Prov. 21.28.* 3. Sicut inobedientia evertit virtutes omnes, ita inquit Gregorius, *obedientia virtutes ceteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit.* 4. Opera omnia bona facit meliora, ac de ſe indifferentia reddit bona ac meritoria.

Punct. IV. Conſid. Conditiones perfectæ obedientiæ. 1. Ut opus externum impleat, idque promptè ſine mora, integrè non ex parte tantùm pro menſura affectus, & fortiter non tantùm in commodis & ſpecioſis, ſed etiam in difficilibus & abjectis. 2. Ut libenter cum ſubjectione voluntatis; unde Chriſtus dixit: *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus qui miſit me.* *Ioan. 4.34.* 3. Simpliciter cum ſubjectione judicii: hinc Gregorius: *Neſcit judicare quiſquis perfectè didicerit obedire*: unde & ſequitur ut cæca ſit, non inquirendo humanas rationes, cur hoc vel illud mihi potiùs quàm alteri imponatur. 4. Non tantùm in obligatoriis, ſed etiam in aliis, v.g. regulis non ad culpam obſtringentibus, vel ubi nutus tantùm ſuperioris videtur, nam *perfecta obedientia legem neſcit*, ait Bernardus. 5. Ut in ſuperiore quicumque is fuerit, agnoſcamus Chriſtum, & illi *ſicut Chriſto, & ſicut Domino, & non hominibus*, obedientiam exhibeamus, ac proinde etiam interna reverentia & *Eph. 6.5.* amore eum proſequamur. *Col. 3.23.*

LVI. De defectibus erga Deum.

P*Unct.I.* Consid. 1. Defectus tuos in functionibus spiritualibus, meditatione, examine conscientiæ, Sacro, litaniis, ac lectione spirituali, negligentiam in his circa attentionem, languorem circa devotionem, quoties etiam eis de præscripto tempore partem detraxeris. 2. In frequentatione Sacramentorum Confessionis, & Communionis quàm parum profeceris defectu præparationis debitæ, vel solidi propositi emendationis. 3. In colloquio spirituali quàm rarus fueris & aridus, in verbo Dei audiendo quàm vagus & languidus. 4. In actionibus tuis, quæ ad unam Dei gloriam erant dirigendæ, quoties eas sinistra intentione ad gloriam tuam aut commoda detorseris, & parum in Deum liberalis fueris, post tam profusam tibi ab eo liberalitatem exhibitam.

Punct.II. Consid. 1. Necessitatem orationis & functionum spiritualium, quas Deus constituit tanquam medium necessarium, per quod & non aliter decrevit dona sua communicare. 2. Sicut subsistere non potest corpus hominis sine cibo ac somno, ita & animam sine illis, ex quarum defectu fit ut spiritualia sensim desipiant, jugum religionis priùs suave & leve, posteà asperum videatur & intolerabile, nec placeant, nisi ea quæ carni ac sensibus grata sunt. 3. Hinc tandem, inquit Bernardus, *præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia & confusione saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cælo in cœnum, de claustro in sæculum, de paradiso in infernum.* 4. Hæc plùs periculi ac damni creare religiosis ex instituto suo intentis in salutem proximi, quorum consortio penitus evanescent, nisi se per orationem stabiliverint ac Deo conjunxerint. *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. Et erit sicut populus, sic Sacerdos,* nisi se per functiones spirituales in officio continuerit.

Ps.105.35.
Osea 4 9

Punct.III. Consid. 1. Dignitatem homini collatam in oratione ceterisq; functionibus spirtualibus, in quibus vel ipse cum Deo supremo omnium Domino loquitur de negotio æternæ salutis suæ ac proximi, vel Deus cum illo; quanta proinde in iis attentione, ac reverentia opus sit, quantam Angeli multò nobiliores creaturæ ipsi exhibeant, aut etiam homines hujus sæculi Regibus ac Principibus suis. 2. Consid. Utilitatem, quandoquidem illæ sint velut claves, quibus accessus detur ad omnes thesauros cælestes: velut aurifodina in quibus virtutes omnes eruuntur: ac denique velut scutum ad omnia mala propulsanda vel fortiter superanda. Gratias igitur Deo age de tanto beneficio hominibus concesso, dole de tua in ejus usu negligentia, ac statue eo in posterum libenter, diligenter, frequenter, ac reverenter uti.

LVII. De Defectibus erga proximum.

PVnct.I. Conſ. 1. Quoties caritatem erga proximum violaveris cogitatione, eum temere judicando, atque hæc temeraria judicia, ſuſpiciones, averſiones, contemptum & invidiam in animo fovendo. 2. Verbis, quàm facilè animum offenſum prodideris verbis aſperis, iracundis, mordacibus, item contentionibus, opprobrijs, & contumelijs, ac nominatim detractione & ſuſurratione. 3. Opere, quoties ea egeris ſine juſta cauſſa, quibus prævidiſti proximum offendendum, caritatis obſequia cum præſtare facile poſſes pretermiſeris, eaque poſtulata denegaveris: Generatim ea quę nolles tibi dici aut fieri, in alterum commiſeris, quæ verò tibi impenſa velles, negaveris alteri.

Punct.II. Conſid. Neceſſitatem hujus caritatis, ac 1. idem eſſe principium in anima quo Deus diligitur & proximus; quòd ſi erga hunc deficiat, etiam erga Deum deficere arguetur; unde S. Ioannes: *Siquis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt; qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?* 2. Sine hoc ſigno non agnoſci Chriſti diſcipulum; nam, inquit Chriſtus, *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* 3. Sine hac ſcias opera tua pia & oblationes Deo non placere; nam *quomodo placabit patrem, iratus in fratrem?* inquit Tertullianus, & Chriſtus: *Vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* 4. Talis patebit inſidijs ac inſultibus dęmonum, ſicut diſperſi milites facilè ſuperantur: imò & ipſi, inquit Hieronymus, velut dæmones ex cœnobijs faciunt tartara; alij verò caritate inter ſe conjuncti, velut Angeli paradiſum in terris.

1. Ioan. 4. 20 · *Ioan. 13. 35.* · *Matt. 5. 23.*

Punct.III. Conſ. Alia excitamenta ad exercitium hujus caritatis fraternæ: nam 1. Chriſtus ea quæ benè vel malè proximo facta ſunt, ſibi impenſa eſſe aſſerit: *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Quare attende qua benevolentia & honore proximum excipere debeas. 2. Conſ. Deum tam benignè & clementer tecum agere, ut poſt illatas ſibi ſæpiùs graviores à te injurias, ultrò tamen te gratia ſua præveniat, & ad reconciliationem invitet; ideoq; minores offenſas à proximo patienter ferendas. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* 3. Modum hujus nobis à Chriſto pręſcriptum, cùm ait: *Sicut ego dilexi vos.* Et exprimit Apoſtolus dicens: *Caritas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum: omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.* 4. Eos quos nunc averſaris, veroſimiliter tecum fore in cæleſti gloria, ibique etiam forte te ſuperiores, æterna caritate jungendos. Quare dole de defectibus in hoc genere, meliora propone, & obſerva ejuſdem Apoſtoli monitum: *Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.*

Matt. 25. 40 · *Gal. 6. 2.* · *Ioan. 15. 12.* · *1. Cor. 13. 4.* · *2. Cor. 13. 11*

LVIII. De Defectibus ergà seipsum.

PVnct. I. Conſ. 1. Quoties exceſſeris in cogitatis, dictis, & factis, ambitioſis ac vanis ad propriam gloriam, curioſis, otioſis, immodeſtis, ac nimia in ijs effuſione: occupationibus etiam te impenderis vel ferventiùs ex nimia ſenſualitate, vel negligentiùs ex acedia. 2. In quinque ſenſibus regendis quomodo te geſſeris, in viſu & auditu, num indulgendo nimis curioſitati, in guſtu ſenſualitati, in tactu commodis corporis.

Punct. II. Conſ. 1. Quàm parum hæc deceant diſcipulum Chriſti ac religioſum Deo per vota conſecratum, qui proinde peculiariter obligatur animæ facultates, & corporis membra ac ſenſus divino cultui impendere, & à terrenis avocare. 2. Quomodo in his paulatim à levibus procedatur ad graviora, ſicut ex parva ſcintilla in principio neglecta ſępè magnum oritur incendium ſerò poſteà deplorandum, & per exiguam rimam
Eccl. 19. 1. hauſta aqua navis ſubmergitur. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Et *Modicum fermenti totam maſſam corrumpit.* Contrà verò ſecuri erimus à gravioribus, ſi in minora oculum ſemper habuerimus intentum. 3. Sicut ſumma voluptas, juxta S. Ambroſium, eſt voluptatum contemptus, ita & ſummum eſſe honorem eorum contemptum, ac tunc maximè aliquem divinis in hac vita recreandum ſolatijs, ubi contempſerit humana. 4. Internam animi conſtitutionem plurimùm dependere ab externa ſenſuum
Ier. 9. 21. cuſtodia; nam *aſcendit mors per feneſtras noſtras*, atque ad proximi ędificationem plurimum conferre externam ſenſuum & morum compoſitionem, nominatim circa uſum linguę, quę aliàs fręno ſoluta, *eſt univerſitas iniquita-*
Iac. 3. 6. *tis, & ignis inflammans rotam nativitatis noſtræ*, totum nempe vitę noſtrę curſum evertens.

Punct. III. Conſid. 1. Unicum adverſus hæc remedium eſſe abnegationem amoris proprij, quam Chriſtus à diſcipulis ſuis requirit. *Siquis vult*
Matt. 16. 24 *venire poſt me, abneget ſemetipſum.* Quę ſui abnegatio, aliud non eſt, quàm amoris proprij, quo in privata commoda ac honores feruntur, mortificatio. 2. Opus eſſe adhæc continuo ſtudio in cognoſcendis & extirpandis vitijs per examen quotidianum conſcientiæ, & particulare circa defectum magis noxium aut importunum; per ſeriam mortificationem in occaſionibus pręvidendis, declinandis, ac fortiter ſuperandis; per recurſum ad Deum pro auxilio cum humilitate, fiducia, & generoſo conatu ſe vincendi. 3. Conſ. Te aptius fore inſtrumentum ut à Deo aſſumaris ad uberiorem fructum operandum in proximo, ſi in vitiorum extirpationem ſeriò incubueris, & virtutibus oppoſitis inferēdis te impenderis. Ubi attende quanto bono & ſe, & tot millia animarum privaſſet S. Franciſcus Xaverius, ſi acedia ac neglectu ſui non reddidiſſet ſe aptum inſtrumentum ad illas Deo lucrandas; unde & ſtimulum tibi adde ad generoſam tui victoriam.

LIX. De Formula Votorum.

PVnct. I. Conſ. 1. *Quis ſit cui voves;* nempe *Deus omnipotens*, qui tuam in ipſum liberalitatem & fidelitatem poteſt infinitè remunerari, ac perfidiam in votorum tranſgreſſione infinitè punire: præterea eſt *ſempiternus*, qui ſicut fuit ſine principio, ita & erit ſine termino, ſemper intentus ut reddat unicuique ſecundùm opera ſua: quare reverentiam & timorem excita. 2. *Quis tu qui voves: Vndecumque Divino eius conſpectu indigniſſimus.* Si enim conſideres vitam in ſeculo actam & in religione, miſerias corporis & animæ, ex omni parte deprehendes te verè indigniſſimum: quare excita profundam humilitatem, tui diffidentiam, & dolorem de peccatis. 3. *Qua fiducia voveas: fretus pietate ac miſericordia ejus infinita.* Pietas eſt affectus paternus in filium, ut illi quam optime ſit; miſericordia verò, ad tollendam omnem miſeriam; cumque utraque illa in Deo ſit infinita, provocat te ad ampliſſimam fiduciam.

Punct. II Conſ. 1. *Quo fine voveas: Impulſus illi ſerviendi deſiderio*, eo quo tot Sancti impulſi ſunt ad mundi contemptum, & ad debitum illi tot titulis obſequium alacrius & perfectius in religione exhibendum. 2. *Coram quibus teſtibus. Coram Sacratiſſima Virgine Maria*, quæ Dei Mater obſequijs ei impenſis etiam honoratur, & religioſis Filij ſui ſocijs materno affectu peculiariter aſſiſtit. Pręterea, *coram curia cæleſti univerſa*, quæ inde potiſſimùm ſperat ruinas ſuas reſtaurandas, & ſociorum acceſſu cumulanda gaudia; quare cave ne eos fallas. 3. *Quid agas vovendo.* Conſecras te velut templum cultui ejus, non amplius profanandum mundi vanitatibus; nuptias cum eo contrahis, & pactum, quo tua omnia ſint peculiariter ipſius, bona externa per votum *paupertatis*, corpus per *caſtitatem*, & facultates animæ per *obedientiam*; idq; non ad menſem vel annum, ſed toto vitę tempore, uſque ad mortem: ipſe autem viciſſim tibi ſpondet hîc *centuplum*, & poſtea *vitam æternam*. *Matt. 19. 29*

Punct. III. Conſ. 1. *Quo auxilio.* Hoc cùm neceſſarium ſit ad difficultates obvias ſuperandas, recurre ad *immenſam Dei bonitatem*, quæ maximè prona eſt ad ſe ſuaque dona nobis communicanda: & quia te ijs per peccata tua indignum reddidiſti, implora etiam *clementiam* pronam ad ignoſcendum, potiſſimùm ubi, quæ placare ſolent, munera offeruntur: nec tantum per interceſſionem teſtium adhibitorum, ſed etiam *per unigeniti Filij ejus ſanguinem*, pro ſalute noſtra tam liberaliter effuſum humiliter obſecra. 2. *Quid petis?* ut munus hoc tuum trinum, quo te tuaque illi *in holocauſtum* amoris igne accenſum offers, benignè *dignetur admittere*, ſibique in eo complacere, & ſicut gratiæ ſuę prævenientis auxilio te excitavit *ad hoc deſiderandum & offerendum*; ita & ejuſdem gratiæ concomitantis ac ſubſequentis continuo favore te dirigere ac firmare dignetur, *ad promiſſa fideliter & conſtanter adimplenda.*

LX. De

LX. De Recollectione annua.

PVnct.I. Conſ.1.Neceſſitatem annuæ recollectionis; ſicut enim veſtis, quia uſu paulatim teritur,& domus, quia corrumpitur, indigent ſubinde renovatione; etiam ſcholaſticis pro animi relaxatione annuę vacationes aſſignatę ſunt: ita & ſpiritui, ne prorſus atteratur aut corrumpatur, hanc annuam recollectionem eſſe planè neceſſariam. 2. Sicut corporale exercitium prodeſt corpori, quod ſic expulſis pravis humoribus conſequitur ſanitatem ſuam: ita & ſpiritualia exercitia plurimum prodeſſe ſpiritui, ut extirpatis vitijs conſequatur ſanitatem ſuam ſitam in excellentia virtutum.

Punct.II. Conſ.1. Modum hanc annuam recollectionem ſeu exercitia ſpiritualia fructuosè obeundi, nempe ut ante omnia magnam de ijs exiſtimationem concipias, utpote à quibus fructus ſpiritualis totius vitæ æternùm duraturus plurimum dependeat: ac proinde animi alacritatem, diligentiam,& fortitudinem eò conferendam. 2.Abſtinendum proinde ab alijs curis & occupationibus, quæ mentem variè diſtrahere ſolent, ſed huic uni negotio attendendum. *Ecce ego lactabo eam, & ducam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.* Ita filij Iſrael evocati ſunt in deſertum pro obtinendo manna cæleſti, & Moyſes in montem pro lege Domini, & Apoſtoli Ieroſolymā pro Spiritu ſancto. Quare *convertere anima mea in requiē tuā, quia Dominus benefecit tibi*, toto anno, imo tota vita te cōſervādo, protegēdo, tolerando, lapſum erigendo, ad timorem excitando, & ad bravium invitando. 3. Cavendum ne modum ac terminum ponas divinę bonitati, & liberalitati, ſed ut magno & liberali animo paratum te offeras; atque animæ ſinum dilates ad theſauros cæleſtes excipiendos, dicens cum Apoſtolo: *Domine quid me vis facere?* Et cum Davide: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? & volabo, & requieſcam.*

Oſea 2.14. Ex.13.3. Ex.19.20. Act. 13. Pſ 114 7.

Act. 9.6. Pſal.56.8. Pſ. 54 7.

Punct.III. Conſid.1. In ipſis exercitijs ſtatim proponendum tibi finem creationis tuæ,& vocationis ad ſtatum perfectiorem, diſpiciendum quātùm ab eo deflexeris, quanto damno tuo, dolore, & pudore: quomodo redeundum in viam Chriſto duce ac manuductore per ſtudia virtutum. 2.Cavendum ne ob deſolationem vel ariditatem quidpiam remittas de tempore orationis, ſed ei conſtantiùs tunc inſiſtas: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis: appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* 3. Annotandos deinde paucis fructus meditationis, advigilandum interdiu in ſenſuum cuſtodiam, addendas inſuper aliquas mortificationes & corporis afflictiones, atque accuratè obſervandam diſtributionem temporis. 4. Abſolutis exercitijs, gratias Deo agendas pro cæleſtibus donis communicatis: ſed ea eſſe tantùm velut ſemina terræ mandata, deinde labore noſtro ac conſtantia ad fructum deducenda; ideoq; divinæ gratię auxilia imploranda. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinē, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.*

Iac. 4.7.

Iſa.40.31.

LXI. De

LXI. De fundamento seu fine hominis.

PUnct. I. Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat. Ubi Consid. 1. Omni homini propositum à Deo finem duplicem, alterum in hac temporali vita sectandum, ut divinam Majestatem laudet corde, ore, & opere, eòque alios etiam exemplis suis excitet; tum ut eidem reverentiam & honorem exhibeat actibus fidei, spei, & charitatis, denique ut serviat ei tanquam supremo & legitimo Domino suo per accuratam observantiam ejus mandatorum: atque hîc examina te quomodo hæc præstes. 2. Conf. Alterum hominis finem esse post hanc vitam, ut eamdem Majestatem ibi clarè perpetuò contempletur & amet, cum possessione summi boni, & sine metu aut periculo alicujus mali: Ubi expende finis hujus excellentiam, & admirare tantam majestatem in te oculos conjecisse, gratias ei age quod te præ tot aliis ex nihilo extraxerit, ac tot donis ornaverit: ama eum quod te una secum beatitudine frui voluerit, erubesce quod hunc finem tam segniter appetieris, ac time ne excidas, nisi ferventiùs ad Deum contendas. *S. Ign. Lib. Exer.*

Punct. II. Reliqua supra terram sita, creata sunt hominis ipsius caussa, ut eum ad finem creationis suæ prosequendum juvent. Cons. 1. Insignem Dei erga te liberalitatem, in cujus usum tot tamque varia condidit, non tantùm ad vitæ necessitatem, sed & oblectationem, *omnia subjecisti sub pedibus ejus*: in quibus *Psal. 8. 7.* argue tuam ingratitudinem. 2. Conf. Finem illorum, ut nempe Domino suo obtemperent, & animum nostrum, quem ipsa explere non possunt, excitent & juvent ad finem nostrum consequendum. *Creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*: quare gratias ei iterum age de auxiliis adeò opportunis, dole te iis inhæsisse velut fini ultimo, cum ejus injuria, & statue rectam intentionem in eorum usu. *Augustinus.*

Punct. III. Unde sequitur utendum illis vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt, vel obsunt. Conf. Sicut in itinere instituendo non spectatur quæ via commodior sit, nec in pharmacis quod palato gratius, sed ea quæ ad optatum finem certiùs ducunt; ita nec spectandum in usu creaturarum, quænam sensibus magis vel minùs gratæ sint, sed quænam ad finē nostrū nos rectiùs & securiùs ducant, ideoq; postulādū frequenter à Deo lumen in intellectu, & robur in voluntate pro prudenti delectu.

Punct. IV. Quapropter debemus absque differentia nos habere circa res creatas omnes, prout libertati arbitrii nostri subjectæ sunt, & non prohibitæ, ita ut, quod in nobis est, non quæramus sanitatem magis, quam ægritudinem, neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi præferamus, sed consentaneum est ex omnibus ea demum, quæ ad finem ducunt, eligere ac desiderare. Expende hîc proinde 1. affectus tuos in res creatas, eosque ab immodica inclinatione aut aversione inde reducere ad æquilibriū seu indifferentiā, quæ origo est ōnis actionis bonæ. 2. Ex iis quæ gratæ sunt sensibus, sectare delicias cælestes & æternas, ex ingratis verò concipe horrorē inferni.

LXII. De fundamento accomodato vitæ religiosæ.

PVnct. I. Conf. 1. Finem religionis ad quam à Deo vocatus es, nempe non solum saluti & perfectioni propriæ animæ cum divina gratia vacare, sed cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbere: ubi expende excellentiam hujus finis, & dignitatem cujusque animę, quantumvis in speciem vilis, ad quarum conversionem vocatus es, quod munus est planè, Apostolicum, & Christo proprium, ac teste S. Dionysio, *diuinorum omnium diviniſsimum*, in quo & gloriatur Apostolus: 1. Cor. 3. 9. *Dei adjutores sumus*; agnosce hîc indignitatem tuam, & gratias Deo age de hac vocatione, tot millibus te melioribus in sæculo relictis. 2. Conf. In hoc fine cōsectando debitum ordinem servandum, sic ut priùs & potiùs semper studeas saluti & perfectioni propriæ, quam alienæ, nam & Christus priùs cœpit facere quam docere, & Apostoli priùs acceperunt virtutem Matt. 16. 26. ex alto, unde & S. Bernardus, *priùs concha sis quàm canalis*: nam *quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimetum patiatur?*

Punct. II. Conf. 1. Media in ea religione tibi à Deo concessa ad dictum finem consequendum, quæ sunt ad salurem & perfectionem propriam amplissima, regulæ communes & muneris ptopriæ, exercitia spiritualia orationis mentalis & vocalis, examinis quotidiani generalis & particularis, lectionis piæ, usus Sacramentorum, pænitentiæ, studium mortificationis, & aliarum virtutum, in quibus examina te qua attentione, devotione, ac fervore te gesseris, & gerere deinceps statuas: in aliis verò quæ spectant salutem proximi, ut sunt Catecheses, pia colloquia, studia, prædicatio Verbi Dei, administratio Sacramentorum, &c. examina intentionem tuam, diligentiam, & zelum, proposito tibi exemplo Christi & Apostolorum, quod stude imitari. 2. Conf. media illa erga proximnm frustra adhibenda, nisi priora ad salutem & perfectionem tuam seriò adhibueris; frustra enim alios nititur accendere, qui ipse non arserit.

Punct. III. Conf. 1. Dictis mediis utendum vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt vel obsunt, ac proinde in habitatione, ministeriis, occupationibus non spectanda quæ magis speciosa vel commoda sunt, sed quænam ad finem tuum certiùs conducant, illudque S. Bernadi sæpè mente & ore occinendum: *ad quid venisti*. 2. Eos qui media illa pervertunt ad pravum finem, nec frui centuplo, solatiorum spiritualium, neque in morte inventuros fructum bonorum o- Augustinus. perū, imò & non rarò Dei gratia destitutos, in mūdi miserias, unde extracti fuerāt relabi; nā *locus non facit sanctos. sed operatio bona locū sanctificabit, & nos*.

Punct. IV. Conf. Animum nostrum proinde reducendum ad indifferentiam circa omnem habitationem, ministeria, & occupationes, sic ut non quæramus magis commoda quàm molesta, speciosa quàm vilia, quæ indifferentia nos ducet ad omnem virtutem & portum salutis æternæ: Psal. 21. 1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.*

LXIII. De

LXIII. De peccato mortali.

P*Vnct.I.* Conſ. 1. Per peccatum mortale nos voluntariè deflectere à fine tam nobili nobis à Deo conſtituto, cum gravi ejus injuria, quare, *odio eſt Deo impius & impietas ejus*, hujuſque odii ſeveriſſimas demonſtrationes ſæpiùs ab illo editas inde à mundi exordio ad noſtram inſtructionem. 2. Conſ. *Quo pacto Angeli creati primùm in ſtatu gratiæ, ſed quod neceſſe erat ad beatitudinis conſummationem, non volentes per arbitrii libertatem creatori ſuo reverentiam & obſequium præſtare, at contra eum ipſum inſoleſcentes, converſi fuerint ex gratia, in malitiam, & de cælo in infernum præcipitati*: expende hîc eorum excellentiam: *omnis lapis pretioſus indumentum tuum* & ingratitudinem cum abuſu donorum, *elevatum eſt cor tuũ in decore tuo*, & celerem punitionem, non relicto pœnitentiæ loco, *unde erubeſcam & confundar totus facta unius tantùm peccati Angelorũ cum tot meis comparatione*, concutiar timore ab imminenti periculo, & mirabor patientiam & longanimitatem Dei, ejuſque clementiam deprecabor. Sap. 14. S. Ignat. Lib. Exer. Ezec. 28, 13.

Punct. II. Conſ. 1. Alteram odii & juſtitiæ divinæ demonſtrationem in plectendo peccato hominis, *quomodo Adam in Damaſceno campo de limo terræ factus, poſituſque in terreſtri paradiſo, & Eva formata ex una coſtarum ejus, cum de fructu arboris ſcientiæ boni & mali prohibiti eſſent comedere, & nihilominùs comediſſent, poſt peccatum ſubitò ex paradiſo ejecti ſint, veſtibus pelliceis induti & originali juſtitia privati, reliquum vitæ ſuæ tempus in laboribus ac ærumnis maximis pænitendo traxerint.* expende hîc dona eis collata, ingratitudinem ob brevem guſtus voluptatem, & ſeveram punititionem: neque hanc ibi ſtetiſſe, ſed omnes eorum poſteros pariter involuiſſe. 2. Conſ. Quoties tu tentationi dæmonis etiam aures præbueris, carne ut Eva ſpiritum pelliciente, ejus exemplo ſeriam age pœnitentiam, Deo ſupplicans, ut nunc urat & ſecet, modo in æternum parcat.

Punct. III. Conſ. 1. Sicut homines decurſu temporis non deſtiterunt à novis peccatis committendis, ita nec Deum deſtitiſſe à novis flagellis ſępiùs immittendis, atque omnia eſſe pleniſſima divinę juſtitiæ erga peccatores. 2. Conſ. *Ob peccatum aliquod vel ſemel dumtaxat commiſſum fortè multos detruſos ad infernum, ac propè innumeros ob delicta tuis pauciora atque leviora, unde collige quanta ſit peccati gravitas & malitia Deum omnium conditorem atque Dominum offendentis*, nec niſi ſanguine unigeniti filii ejus acerbiſſimè expiandi.

Colloquium fiet imaginando Ieſum Chriſtum coram me adeſſe, in cruce fixum, itaque exquiram mecum rationem, qua Creator ipſe infinitus fieri creatura, & ab æterna vita ad temporariam mortem venire pro peccatis meis dignatus ſit. Arguam inſuper meipſum, percontans quid hactenus dignum memoratu egerim pro Chriſto: quid agam tandem, aut agera debeam, & in eum intuens ſic cruci affixum ea proloquar, quæ ſuggeret mens & affectus, Miſericordiæ Domini quia non ſumus conſumpti. Thren. 3, 22.

LXIV. De Peccato Veniali.

PUnct. I. Consid. 1. Peccatum veniale etiam levissimum esse contra præceptum Dei, eique tantopere displicere, ut nec pro toto mundo salvando, nec ad evitanda quæcumque tormenta etiam inferni, committi possit, neque ullis naturæ humanæ aut Angelicæ viribus expiari potuerit, sed opus ad hoc fuisse sanguine unigeniti Filii Dei. 2. Hinc sanctos in cælo illud adeò aversari, ut præoptarent omni gloria sua privari, & inferni tormenta sustinere, quàm vel unicum deliberatè committere: quo animo & plures in hac vita Deum purè amantes affecti fuerunt. Erubesce hîc quod tantam Majestatem toties pro tam vili voluptate aut commodo, tantopere offenderis, mirare constantem ejus in te amorem, & dole tuum refrixisse.

Punct. III. Cons. Effectus peccati venialis, nam 1. inficit animam macula adeò fæda, ut per eam arceatur à conspectu Dei, quam S. Gregorius lepram, S. Augustinus horrendam scabiem, alii ulcus & tumorem enormem appellant. 2. Minuit paulatim fervorem amoris Dei in nos, unde obstruitur uberior influxus divinæ gratiæ, & casti amplexus, quibus animam velut dilectam sponsam sibi stringebat, tolluntur, intermittitur familiarior illa ejus cum anima communicatio, revelatio cælestium arcanorum, singularia lumina ad pleniorem nostri & Dei cognitionem, pii motus ad Dei amorem stimulantes, peculiaris directio paternæ providentiæ, nec ad altiora & excelsa elevatur, tollitur fiducia in oratione, nā
Thren. 3. 44. *opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio*, denique pax & quies animæ, quæ est præcipuus fructus amicitiæ cum Deo. 3. Minuit fervorem amoris nostri in Deum, unde vitiatur gustus rerum spiritualium, virtus redditur planè insipida, jugum Christi priùs suave sensim aggravatur, perit alacritas in bonis operibus, generantur pravi habitus & consuetudo, atque induratur conscientia, sic ut illis non ampliùs moveatur, ac licet mortem animæ non adferat, vires tamen ejus sic debilitat & infringit, ut ad eam sensim
Eccle. 3. 27. disponat, dum virtus tentationi succumbat, *qui spernit modica, paulatim decidet.*

Punct. III. Consid. 1. Graves pænas corporales sæpiùs in hac vita inflictas propter unicum peccatum veniale, uxorem Loth ob curiosum
Gen. 19. 26. respectum morte multatam, ita & Heli cum filiis ob majorem in illos le-
1. Reg. 3. 10. nitatem, Oza ob contactum arcæ irreverentem, sororem Moysis Ma-
2. Reg. 6. 7. riam ob murmurationem percussam lepra, ipsumque Moysen ob levem
Num. 12. 10. Num. 20. 12. incredulitatem exclusum terra promissa. 2. Post hanc vitam longè graviùs puniri, privatione divini conspectus & cælestium gaudiorum, detrusione in obscurum carcerem, ibique acerrimis tormentis cruciari: quare time hanc tantam divinæ justitiæ seueritatem, expende quæ in te peccata fuerint hactenus frequentiora, quæ magis periculosa & scandalosa, statue ea cavere studiosiùs in posterum, commissa vero hic potiùs expiare igne amoris & lacrymis pænitentiæ, quàm in vita altera. LXV. De

LXV. De Morte.

PUnct. I. Conf. 1. Mortem esse omnibus certam & inevitabilem. *Statutum est omnibus hominibus semel mori*, præfinita à Deo etiam die & hora, quę præteriri non poterunt; ideoque cavendum ne eum offendamus, à quo vita nostra per momēta dependet. 2. Diem & horā mortis etjam locum & modum esse omnibus incertum, idque ut essemus semper in ejus expectatione. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* 3. Omnes tantum semel mori, ac tunc prout mortui fuerint, bene vel male, succedere æternitatem felicissimam vel infelicissimam, cujus discrimen expende: *ubi ceciderit lignum, siue ad Aquilonem, siue ad Austrum, ibi erit.* Heb. 9.27. Matt. 24.42. Eccl. 11.3.

Punct. II. Conf. 1. Mortem piorum, qui illam licet naturę formidabilem, tamen cum desiderio lęti expectant, & anhelant, velut exules ad patriam, famelici ad cænam opiparam, operarij ad mercedem laborum, milites debellato hoste ad triumphum, navigantes è procelloso mari ad portum; deniq; velut ad terminum miseriarum hujus vitæ, & initium felicissimæ æternitatis. 2. Angorem mortis libenter suscipiunt, tum ut in hoc etiam Christo conformentur, tum ut per eum expient pænas forte debitas. 3. Dæmonis insultus non timent, quos superare assueverunt, cum S. Martino: *Quid hîc adstas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies.* 4. Non dolent se privari bonis externis, quibus pridem affectu renunciarunt, nec etjam charis & propinquis, quas casto amore dilectos sperant se in cælo complexuros. 5. Gaudium habent ex testimonio bonæ conscientiæ, ac bonis operibus, item ex solatio Angeli custodis, & sanctorum patronorum, quorum favore stipati non timent se judici suo sistere, sed confidenter dicunt cum Apostolo: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Quis nō optet similem exitum? quem ut assequaris, imitare & vitam. 2. Tim. 4.7.

Punct. III. Conf. 1. Mortem impiorum, qui quòcumque se verterint, gravissime affliguntur; si enim ad præterita, occurrent peccata commissa, neglectus mediorum, quæ tunc frustra quærentur, & mundi vanitates conversæ nunc in amaritudines. 2. Si ad pręsentia, videbunt bona externa, cum acerbo dolore deserenda, *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis!* videbunt charos & propinquos à quibus avellendi sunt, *siccine separat amara mors?* Imò & ab ipso corpore blandiùs contra Deum nutrito. Supra se videbunt iratū judicem, infra patere barathrum, circum fremere dæmones prędę inhiantes, intus rodere conscientiam. 3. Denique si futura attendant, occurrent inferorum incendia æterna. Unde concitabitur, *horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu gloriæ magni Dei.* Horum exitum si nunc horreas, horre & vitam, ac statuē quæ tunc fecisse optares. Eccl. 41.1. 1. Reg. 15.32. S. Bernard.

LXVI. De Iudicio Particulari.

PVnct. I. Conf. Iudicium hoc particulare institui mox eo ipso loco & tempore, quo anima à corpore separatur, ut ne debita operibus bonis merces,& malis pæna ulterius differatur, atque huic judicio interesse 1. Ipsam animam judicandam, quæ hîc se invenit in alio statu solitariam,& aliter nunc sentientem de mundi vanitatibus. 2. Aderit ei Angelus custos,& quidem piæ animæ gratulabundus & applaudens de victoria prostrato hoste: peccatrici verò condolens & indignans de infelici statu & neglectis auxilijs. Ex altera parte diabolus contrario affectu frustra fremet in animam piam, & exultabit de impia velut præda potitus. 3. Aderit Iudex Christus per se vel vicarium S. Michaelem certis signis prçsentiam manifestaturus: ubi expende Iudicis illius infinitam sapientiam,quç falli à nemine poterit, bonitatem quæ nec fallere possit, potentiam cui resisti non poterit: quare illum nunc dum tempus est gratiæ, studeamus habere propitium.

Punct.II. Conf. 1. Ordinem Iudicialem, in quo partes suas agent tres accusatores, inprimis diabolus, accusaturus de omnibus instinctu suo commissis vel omissis, & quidem de multis falsò, tum ex malitia & perdendi studio,tum ex conjectura,cum interiora animç ipse ignoret: deinde Angelus custos de monitis suis,inspirationibus, & stimulis ad virtutem neglectis: sed potissimùm ipsa conscientia instar mille testium omnia velut in tabula proferens. 2. Conf. Accuratissimum Iudicis examen, non tantùm de gravibus,sed & levissimis,dictis, factis,cogitatis, omissis, Sophon.1.12 *Scrutabor Ierusalem in lucernis*, etiam bonorum operum circumstantias, Ps.74.3. *ego justitias judicabo*. 3. Rationem exiget de omnibus beneficijs collatis, Luc.12.2. communibus & privatis, & *cui plus datum est, plus exigitur ab eo*: expende hîc iratum Iudicis vultum erga animam peccatricem, & benignum erga justum, & utriusque sensus.

Punct.III. Conf. 1. Instituto examine, mox procedi ad pronunciationem sententiæ de salute çterna, irrevocabilem & absolutam, extendendam Aug. deinde in mundi fine etiam ad corpus,nam *qualem inueniet Deus hominem in suo nouissimo die,talem judicaturus est in mundi nouissimo die*. 2. Expende verba sententiç in impium: *Discede*, qui toties,ac tot medijs vocatus venire noluisti, *à me* parente tuo benignissimo,fonte omnis boni, *maledicte* in anima & corpore, honore & fama, & omnibus, *in ignem* intima cruciantem, & depascentem sine fine,*æternum*. 3. Expende sententiam in justum. *Veni* ab exilio ad patriam, è mari ad portum, è pugna ad coronam gloriç, *Benedicte* non in bonis perituris ab homine terreno, sed à cçlesti Patre çterna benedictione in cælis donandus. *Posside* ibi stabiliter *regnum* non periturum, tibi favore meo, ac meritis tuis ab æterno *paratum*.

LXVII. De

LXVII. De Regno Christi.

PVnct. I. Consid. 1. *Humanum Regem diuinitus electum, cui principes & populi omnes Christiani reuerentiam & obsequium præstare debeant.* 2. Consf. Regis hujus prudentiam, benignitatem, liberalitatem, clementiam, justitiam, & prouidentiam, reliquasque proprietates tali Regi à Deo constituto competentes. Pars I. S. Ignat. Lib. Exer.

Punct. II. Consid. 1. *Regem illum loquentem ad omnes subditos: in animo est mihi regiones infidelium uniuersas ditioni meæ subijcere, quicumque igitur comitari me velit, paratus sit oportet, non alio uti victu, vestitu, rebusque alijs, quam me utentem aspexerit: in ijsdem quoque laboribus, vigilijs, & casibus ceteris mecum persistendum erit, ut particeps fiat victoriæ & felicitatis unusquisque, prout laborum ac molestiarum particeps extiterit.* 2. Consf. Æquam regis hujus petitionem, cum offerat subditis paritatem in commodis, in molestis verò exemplum suum & prioritatem.

Punct. III. Consid. *Quidnam respondere debeant regi amantissimo & liberalissimo fideles subditi, & quàm promptè ad omnem eius voluntatem offerre se accinctos: contra verò, siquis non abaudiret, quanto apud homines uniuersos vituperio dignus esset, atque quàm ignauus miles æstimandus.*

Punct. I. Consistit in collatione similitudinis inter dictum Regem, & Christum. Pars II. Consf. *Si terrenus ille Rex cum bellica sua euocatione dignus est, cui attentio & obsequium præstetur, quantò magis Christus Rex æternus, mundoque toti conspicuus, qui singulos ad se his inuitat verbis: mea hæc est justissima voluntas, totius mundi dominium mihi vendicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare. Proinde quisquis eò mecum venire cupit, laboret mecum necesse est, labori enim præmium respondebit.*

Punct. II. Consf. 1. *Neminem fore sanæ mentis, qui non cupidissimè Christi servitio se totum offerat & addicat.* 2. Proinde innumera millia gentium lumine fidei illustrata exarsisse ad ejus imitationem, per labores, pericula, & mortem, in vario gradu Martyrum, Confessorum, Virginum. Gratulabor mihi de tali duce; nam *gloria magna est sequi Dominum.* Eccli. 23. 38.

Punct. III. Consf. *Quod ij qui se obsequijs illius prorsus duxerint mancipandos, non seipsos tantùm ad laborum tolerantiam, verum etiam majora & præclariora quædam munera oblaturi sint, expugnata carnis, sensuum, amorisque proprij & mundani rebellione, unde respondebit quisque in hunc mundum: En ò Rex supreme ac Domine uniuersorum, tua ego, licet indignissimus, fretus tamen gratia & ope, me tibi penitus offero, meaque omnia tuæ subijcio voluntati, attestans coram infinita bonitate tua, nec non in conspectu gloriosæ Virginis Matris tuæ, totiusque curiæ cælestis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, ut, dummodo in majorem laudis tuæ & obsequij mei proventum cedat, quàm possim proximè te sequar & imiter in ferendis injurijs, & adversis omnibus, cum vera tum Spiritus, tum etiam rerum paupertate.*

LXVIII. De Mysterio Incarnationis.

S. Ignat. Lib. Exerc.

PUnct. I. Conf. *Personas omnes de quibus in hoc mysterio agitur, & 1. quidem homines super faciem terræ degentes, adeo moribus, gestibus, & actionibus diversos, quosdam albos, & nigros alios, nonnullos fruentes pace, & reliquos bellis agitatos, hunc plorantem, & ridentem illum, sanum unum, & alterum ægrotum, nascentes multos, & multos vicissim morientes.* Omnes passim solicitos de rebus terrenis ac transitorijs, perpaucos de æternitate. 2. Conf. *Tres personas divinas è solio regali suo intuentes omnia hominum genera in superficie terræ, cæcorum more viventium, passimq́; morientium & descendentium ad infernum,* quorum gravissimæ miseriæ divinam misericordiam permovebant, opemque implorabant. *Filij hominum usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Psalm. 4. 3.

Punct. II. Conf. *Et excipe interno auditu quid loquantur personæ omnes, ac 1. homines in terris confabulantes, blasphemantes, sibiq́; inuicem conuiciantes*, quibus ego compatiar, & gratias agam divinæ Majestati, quòd me in meliora hæc tempora gratiæ reservaverit. 2. Conf. *Divinas personas in cælo de redimendo humano genere colloquentes*, ac decernentes, ut post exhibitam severitatem justitiæ erga Angelos lapsos, jam erga homines pariter lapsos misericordiam impenderent, tum quod hi & quidem omnes aliena unius culpa infecti essent, tum quod diaboli fraude & seductione. 3. Conf. Archangelum Gabrielem speciosa forma fulgentem, cum summa reverentia interna & externa ad Virginem accedere; eique Sanctissimæ Trinitatis decretum exponere de Verbo æterno in castissimo ejus utero incarnando. Attende Virginis verecundiã, prudentiã, & sollicitudinem de servanda virginitate Deo dicata: *Quomodo fiet istud, quoniã virũ non cognosco?*

Luc. 1. 34.

Punct. III. Conf. *Actiones personarum, ac 1. quomodo homines sese inuicem infestent, concutiant, trucident, & omnes ruant ad inferos*, viam sibi sternentes per quotidiana peccata, & rarioribus auxilijs gratiæ ad resipiscendum instructi. 2. Consid. Quomodo Sanctissima Trinitas obtento per Angelum consensu Virginis, cum summa humilitate, resignatione & obedientia: mox exequatur opus incarnationis, formando corpus & sanguinem è purissimo sanguine virginis, & creando animam, eamque inter se, & ad Verbum divinum uniendo, quod inde Caro & Homo factum est. Quare cum tanta Majestas adeo se demiserit, discam & ego hoc exemplo me ad infima demittere, totum me illi offeram, & cavebo ne à dignitate ad quam ipse me assumpsit, degenerem me ostendã. 3. Conf. Divinas perfectiones hîc expressas, bonitatem qua se communicat naturæ nostræ, misericordiam qua miserias nostras in se suscepit, justitiam qua crimina nostra in se expiavit, sapientiam qua misericordiam cum justitia conciliavit, omnipotentiam, qua Verbum Caro factum est, sanctitatem & omnes virtutes quarum vivum exemplar constituit in Christo, ut nos ad imitationem provocaret.

LXIX. De

LXIX. De Duobus Vexillis.

Detegit hîc S. Ignatius fraudes diaboli, quibus homines passim ab ultimo fine suo & salute studet abducere, & opponit artes Christi, quibus ipsos eò adducit: *Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat, ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Lib Exer. Ioan. 10. 10.

P*Unct. I. Est Imaginari coram oculis meis apud campum Babylonicum, ducem impiorum Luciferum in cathedra ignea & fumosa sedere, horribilem figura, vultuque terribilem:* Unde collige diaboli genium, nempe perturbare animum, mentem obscurare, & terrere ferocia. Pars. I.

Punct. II. Est advertere, quomodo convocatos dæmones innumeros per totum orbem spargit, ad nocendum, nullis civitatibus & locis, nullis personarum generibus immunibus relictis: Unde collige mundū hunc plenū esse peccādi occasionibus, quas S. Antonius aliquando vidit laqueis, retibus, ac venatoribus quaquaversum expressas, opus nobis proinde esse assidua vigilantia & prudentia.

Punct. III. Est attendere cujusmodi concionem habeat ad ministros suos, quos instigat, ut correptis injectisque laqueis & catenis, homines primùm trahant (quod ferè contingit) ad cupiditatem divitiarum, quia hæ cum corporis necessitate propiùs conjunctæ sunt: *Unde posteà faciliùs ad mundani honoris ambitionem, ac demum in superbiæ barathrum deturbari queant; Atque ita tres sunt præcipui tentationum gradus, in divitiis, honoribus, & superbia fundati, ex quibus in alia vitiorum genera omnia præceps fit decursus.*

Similiter ex opposito considerandus est summus optimusque noster Dux & Imperator Christus. Pars. II.

Punct. I. Erit conspicari Christum in amœno campo juxta Ierosolymam humili quidem constitutum loco, sed valdè speciosum forma, & aspectu summè amabilem: Unde collige genium Christi benignum & pacificum, illustrare mentem, dilatare cor, omnesque invitare ad Jerosolymam cælestem.

Punct. II. Est speculari, quo pacto ipse mundi Dominus universi electos Apostolos, Discipulos, & Ministros alios per orbem mittat, qui omni hominum generi, statui, & conditioni doctrinam sacram ac salutiferam impertiant: Unde collige quales esse debeant viri Apostolici.

Punct. III. Est Auscultare concionem Christi exhortatoriam ad servos & amicos suos omnes in opus tale destinatos, qua eis præcipit, ut juvare studeant quemlibet, ac primò inducendum curent ad spiritualem affectum paupertatis, & insuper (si divini obsequii ratio & electio cælestis eò ferat) ad sectandam actu ipso veram paupertatem, deinde ut ad opprobrii contemptusque desiderium alliciant, unde humilitatis virtus enascitur. Et ita tres consurgunt perfectionis gradus, videlicet paupertas, abjectio sui, atque humilitas, quæ ex diametro divitiis, honori, & superbiæ opponuntur, ac virtutes omnes statim introducunt.

Colloquium formandum erit ad B. Virginem, implorandaque est per eam à Filio gratia, ut recipi possim & manere sub vexillo ejus, deinde ad Christum, & ad Patrem cælestem ut petitioni annuat.

LXX. *De tribus hominum claßibus.*

Lib.Exer. Proponit S. Ignatius, tres hominum classes, qui omnes quidem expetunt finem honestum, sed non omnes media, ut par est, adhibent: quare etiam neque finem intentum assequuntur. Quod autem ipse tribuit acquirendæ virtuti voluntariæ paupertatis, expugnato vitio avaritiæ, etiã pariter caisttati, obedientiæ, humilitati, modestiæ, ac cuivis virtuti, expugnato vitio contrario, applicari potest.

P*Ars. I. Prima, igitur classis optat quidem exuere affectum* erga vitium contrarium, *ut conciliari Deo possit, sed media debitaque adminicula toto vitæ tempore non admovet.* Hi volunt finem, sed non efficaciter, eò quòd absterreantur difficultate mediorum, quæ proinde nolunt assumere: *vult & non vult piger.* Atque ita hærent in lucta affectuum, quod tepidorum est, immersi vitiis suis, neque umquam assurgunt ad altiorem gradum virtutis: quare nec solatiis divinis perfruuntur. Prov. 13.4.

Secunda itidem affectum malè ordinatum auferre cupit, sed occasiones *mordicus tenere, ac Deum potiùs trahere ad votum proprium, quam relicto impedimento ad illum tendere.* Hi parati sunt media aliqua adhibere, ad vitium, quo laborant expugnandum, sed media certa excipiunt, atque ita præpostero ordine priùs statuũt de mediis quam de fine, neque cupiunt ipsi voluntatem Dei facere, sed Deum pertrahere in suam propriam voluntatem. Atq; hîc te examina, quænã media, quãtũvis opportuna videas ad vitii, quò laboras, expugnationẽ aut virtutis acquisitionem, magis averseris.

Tertia postremò affectum insincerum volens abijcere, occasiones vitii, & impedimenta virtutis *tollere parata est, prout ad divinum cultum commodius forè, vel ex divino instinctu, vel ex rationis dictamine animadverterit,* nulla media quantumvis, difficilia respuens. Et hi solùm intentum finem virtutis ac perfectionis consequuntur, ostendentes reipsa cor suum esse terram bonam, in quam cecidit Verbum Dei, & fructum adfert copiosum. Atq; ad hanc classem desideria nostra excitanda sunt, sive agatur de vitii alicujus expugnatione, sive de virtutis ac perfectionis acquisitione.

Pars. II. Id quod dictũ est de tribus hominũ classibus laborãtiũ morbo spirituali, claritatẽ ac pondus accipiet, si applicetur tribus laborantibus morbo eodẽ corporali, qui õnes sanitatẽ avidè expetũt, vitãq; protrahere.

Primus abstinere non desiderat à noxiis, dulcedine eorum delinitus, nec medicinas salutares ad morbum pellendum sumere, deterritus earum amaritudine.

Secundus paratus est medicinas aliquas sumere, & noxiis aliquibus abstinere, sed pro gustu suo, & affectu, non ex medici præscripto.

Tertius totũ se tradit in manus medici, seposito õni suo affectu & gustũ, paratus medicinas quãtũvis amaras sumere, ferre incisiones, & adustiones, ac quidquid ad sanitatẽ curãdã medicus præscripserit: & hic solus sperare verè potest intentam sanitatem.

LXXI. De

LXXI. De tribus gradibus humilitatis.

Tres gradus hos virtutum, quibus tota perfectio vitæ Christianæ & regiosæ continetur, S. Ignatius gradus humilitatis appellat, quia continent subjectionem voluntatis nostræ ad omnem voluntatem divinam, non tantùm in præceptis, sed etiam in consiliis *Lib. Exer.*

GRadus I. Humilitatis hic est ad salutem necessarius, ut me penitùs subdam divinæ legi observandæ, utq; ne mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vitæ discrimine objecto, transgrediar ex deliberato mandatum ullum divinum aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget: Unde colligam gradum hunc, qui *Incipientium* est, altè animo imprimendum, sic ut nullius boni terreni illecebra, aut mali terrore patiar voluntatem meam induci ad offensam Dei letalem. Quò juvat terrenarum rerum omnium ac vitæ nostræ brevitatem expendere, æternitatem secuturam & supremi judicis sententiam irrefragabilem. *Timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam*: quare dic cum Propheta: *Confige tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* *Matt. 10. 28* *Psal. 118. 120.*

Grad. II. Est majoris perfectionis, ut fixo animo ad divitias, paupertatem; honorem, ignominiam; brevitatem vitæ ac longitudinem æquè sim propensus, ubi æqualis est divinæ laudis & salutis meæ occasio. Utque nulla vel humanæ quantæcumque felicitatis, vel propriæ mortis conditione proposita, adducar umquam, ut culpam, licet venialem tantùm decernam admittere: Unde colligam gradum hunc, qui *Proficientium* est, continere indifferentiam ad quæcumque prospera vel adversa, sic ut nec ob hæc, nec ob illa, ne levi quidem culpa Deum deliberatè offendere firmiter statuam. Quò juvat expendere obligationem Deo debitam ex multitudine beneficiorum, & damna peccati venialis. *Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus* *Gregorius.*

Grad. III. Est humilitatis absolutissimæ, ut priores duos jam adeptus, etiamsi nullo superaddito laus Dei par foret, ad majorem tamen imitationem Christi, eligam potiùs cum eo paupere, spreto, & illuso, pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores, & sapientiæ æstimationem: Ubi expendam gradum hunc, qui *Perfectorum* est, addere ultra duos priores, insuper subjectionem ad consilia Christi ex puro ejus amore amplectenda, sic ut viam ab ipso monstratam & calcatam insistam, vestibus ejus ac insignibus indui exoptem in ferendis contumeliis, injuriis, ac quibuscumque incommodis, etiam posita pari gloria Dei, tantùm ut Christo magis assimiler, qui ea priùs amore nostri libenter & constanter suscepit, quò autem magis hîc Christo assimilamur in passione, eò & magis postea assimilabimur in gloria. *Si compatimur, ut & conglorificemur.*

Colloquium ad B. Virginem pro gratia impetranda, ad Christum, & cælestem Patrem, ut supra.

LXXII. De Duplici modo electionis.

Lib. Exer. *Observa modos electionis hîc traditos à S. Ignatio primariò quidem convenire vitæ statui eligendo: sed hoc electo eosdem valde utiliter adhibendos ad particulares in eo statu functiones, occupationes, & pietatis exercitia, ut omnia ad beneplacitum divinæ voluntatis reformentur.*

Modus prior sanæ bonæque electionis.

PUnct. I. *Erit proferre in medium rem deliberandam,* quid circa eam prudenter agendum sit, ut ne posteà facti vel omissi pæniteat; *Palpebræ tuæ,* seu consideratio, *præcedant gressus tuas. Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes.*

Prov. 4. 25. Eph. 5. 15.

Punct. II. Est adducto ante oculos creationis, vel etiam particularis vocationis *meæ fine, in hoc consistente, ut cum Dei laude salvus*, vel etiam perfectior *fiam, in neutram declinare partem amplectendæ vel repudiandæ rei controversæ; quin potiùs velut in medio quodam interstitio, & æquilibrio subsistere, parato interim animo, ut in eam illico partem totus ferar, quam novero divinæ gloriæ, & saluti meæ fore aptiorem.*

Punct. III. Est obsecrare Dei clementiam, ut dignetur mentem instruere, & impellere voluntatem, quòcumque potiùs mihi tendendum sit, ut apprehensa & probata Dei voluntate ad electionem ferar. Doce me facere voluntatem tuā, quia Deus meus es tu. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.

Ps. 142. 10. Ps. 118. 35.

Punct. IV. Erit perpendere quot tandem commoda vel adminicula mihi ad finem meum prosequendum accedent ex re tali suscepta, vel omissa: quot rursum ex eadem incommoda & pericula impendeant. Sic ut rationibus non humanis ac terrenis; sed divinis ac cælestibus movear.

Punct. V. His præmissis, ratiocinari in utramque partem, & maturè attendere quænam præponderet: *ac juxta ipsius rationis dictamen, seposito carnis appetitu omni, electionem concludere.*

Modus Posterior.

Regula I. Quod cum oporteat per affectum ex Dei amore cælitus infusum fieri electionem, eligentem convenit persentiscere in seipso, quòd quidquid affectionis erga rem electam tenet, ex solius Dei amore & intuitu proficiscatur.

Reg. II. Est considerare, si quis mihi vir amicissimus, cui nihil nō perfectionis inesse cupiā, occurrat dubius super electione hujusmodi, quidnā ego illi decernendum maximè essem cōsulturus, quo animadverso, agendū & mihi ducā, ut suaderē alteri.

Reg. III. Mecum insuper reputare, si mors ingrueret, quem me mallem observasse modum in præsenti deliberatione.

Reg. IV. Prospicere non minùs, quando pro tribunali sistar judicandus, quo me consilio hac in re usum vellem, quo agnito, nunc utar. Attende adhęc divinum monitum: *Gens absq; consilio est, & sine prudentia: utinam saperent,* præterita cum dolore, *& intelligerent,* pręsentia cum rubore, ac *novissima providerent,* cum timore!

LXXIII.

De meditationibus hîc sequentibus, vide in Iudice.

LXXIII. *Ad amorem spiritualem in nobis excitandum.*

In primis duo notanda sunt. Primum, quod amor ipse ab operibus magis quam à verbis pendet. Secundum, quod consistit amor in mutua facultatum, rerum, & operum communicatione, puta scientiæ, divitiarum, honoris, & boni cujuscumq́. S. Ignat. Lib. Exer.

Oratio præmittitur ex more.

Præludium Primum, Est ut coram Domino, Angelis, Sanctisq́ omnibus mihi propitijs stare me videam. Secundum, Vt gratiam Dei efflagitem, per quam beneficiorum ejus in me collatorum magnitudinem perspiciens ad amorem, cultum, & servitium ipsius totum me impendam.

PVnct. I. Sit revocare in memoriam beneficia creationis, ac redemptionis: dona itidem particularia seu privata enumerare, & cum intimo affectu perpendere, quantum mea caussa benignissimus Dominus egerit, atque pertulerit; quantum mihi elargitus sit de thesauris suis, quodq́ juxta divinum suum decretum & beneplacitum, seipsum mihi, quantum potest, donare velit. Quibus optimè inspectis vertar ad meipsum, & disquiram mecum quæ meæ sint partes, & quid æquum justumq́ sit, ut divinæ offeram & exhibeam majestati: haud sane dubium, quin mea omnia offerre debitam, ac meipsum cum summo affectu, & verbis hujuscemodi vel similibus: Suscipe Domine universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Punct. II. Erit speculari Deum in singulis existentem creaturis suis: & elementis quidem dantem ut sint; plantis verò ut per vegetationem quoque vivant: animalibus insuper ut sentiant: hominibus postremò ut simul etiam intelligant. Inter quos accepi & ipse uniuersa hæc beneficia, esse vivere, sentire, ac intelligere, meq́ templum quoddam suum efficere voluit, ad imaginem suam & similitudinem creatum. Ex quorum omnium admiratione reflexus in meipsum agam ut in primo puncto, vel melius siquid occurrerit: id quod in punctis etiam sequentibus erit factitandum.

Punct. III. Est considerare eumdem Deum ac Dominum propter me in creaturis suis operantem, & laborantem quodammodo: quatenus dat ipsis, conservatq́ id quod sunt, habent, possunt, atque agunt. Quæ omnia, ut supra, in mei considerationem reflectenda erunt.

Punct. IV. Prospicere quo pacto munera & bona omnia cælitus descendunt, ut sunt potentia, justitia, bonitas, scientia, & alia quælibet humana perfectio terminis quibusdam certis circumscripta, quæ ab infinito illo totus boni thesauro, sicut lumen à sole, & ex fonte aqua derivantur. Addenda superest reflexio prædicta in mei circumspectionem. Colloquium in fine de more.

LXXIV. De pace & gaudio ex ſtudio virtutum.

PUnct. I. Conſ. Studia hominum in hac vita hoc unum ſpectare, ut pacem & gaudium conſequantur, ſed hęc in rebus terrenis minimè inveniri, ut patet in avaris, ambitioſis, &c. 1. Quia dum pravis indulgent cupiditatibus, bellum movent adverſus rationem & Deum, *quis reſtitit ei, & pacem habuit?* 2. Quia tales ſunt in perpetuo metu, ne deſiderijs fruſtrentur, & juſtè à Deo ſcelerum vindice plectantur, nec conſcientia ſicut illos quieſcere, ſed eos ſemper ſevere accuſat, condemnat, & torquet: *Quantum glorificavit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* 3. Quia dum affectus affigunt rebus illis fluxis & perituris, neceſſe eſt eos pariter cum illis volui, fluctuare, & perire. 4. Quia inſtar mancipiorum miſerrimam ſerviunt ſervitutem, vitijs ſuis & diabolo, atque alijs fiunt ludibrium. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam operantis malum.*

Iob. 9. 4. — Apoc. 18. 7. — Rom. 2. 9.

Punct. II. Conſ. Verā pacem poſſideri ab ijs qui virtuti ſtudent, 1. quia hi appetitum ſubijciunt rationi, & hanc Deo: *Pax multa diligentibus legem tuam.* 2. Quia roborantur à rectitudine conſcientię, *ſecura mens quaſi juge convivium. Iuſtus quaſi leo confidens ſine timore erit.* 3. Quia adhærent Deo immutabili, in quo pariter ſtabiliuntur. 4. Quia gaudent vera libertate, de qua S. Ambroſius: *Glorioſa libertas, quam nulla ſervitus culpæ, nulla peccatorum vincula conſtringunt. Gloria & honor & pax omni operanti bonum.*

Pſ. 118. 165. — Prov. 15. 15. — Prov. 28. 1. — Rom. 2. 9.

Punct. III. Conſ. 1. Cum homines voluptate & gaudio potiſſimum trahantur ad operandum, voluptates corporeas eſſe viles, breves, inanes, atque impedimenta voluptatis veræ & deliciarum cęleſtium: *Laus impiorum brevis, & gaudium hypocritæ inſtar puncti.* 2. Corporeas voluptates magna moleſtia quęri, & majori poſſideri, omneſque permixtas multis amaritudinibus. 3. Ijs non magis expleri animum, quam famelicum fumo aut vento, vel ſomno, dum ſe comedere ſomniat, ſed minimè reficitur: *Comedent & non ſatiabuntur. Avarus non implebitur pecunia, & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.*

Iob. 21. 12. — Oſeæ. 4. 10. — Eccli. 5. 9.

Punct. IV. Conſ. 1. Voluptates Spirituales eſſe ſolidas, puras, & homini proprias, ac principua voluptatis ęternę. *Delectationes in dextra tua uſque in finem. Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* In his placere appetitum, ſed magis experientiam. 2. Voluptatis Spiritualis objectum primarium eſſe Deum, ſupremum hominis finem, & fontem omnis boni, cui anima conjungitur per ſtudia virtutum, potiſſimùm ſinceri amoris, & qui ſolus eam poteſt ſatiare, unde ſancti etiam in hac vita ſolida gaudia perceperunt. *Cognovi quod non eſſet meliùs, niſi lætari, & facere bene in vita ſua. Lætentur omnes qui ſperant in te Domine.* Quę lætitia, *ſtilla eſt, & guttula de flumine illo deſcendēs, cujus impetus lætificat civitatē Dei.*

Pſ. 35. 10. — Matt. 5. 6. — Eccl. 3. 12. — Pſ. 5. 11. — Bernard.

FINIS PARTIS TERTIÆ.

Orationes à Sacerdote secretò dicendæ in Sacrificio Missæ, quæ juxta secundum modum orandi S. Ignatij expendi subinde possunt.

In ascensu ad altare.

AUfer à nobis quæsumus Domine iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire per Christum Dominum nostrum. Amen.

In medio altari.

Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hîc sunt, & omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Ante Euangelium.

Munda cor meum, ac labia mea omnipotens Deus, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito, ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Euangelium tuum dignè valeam nunciare per Christum Dominum nostrum. Amen.

Jube Domine benedicere: Dominus sit in corde meo & in labiis meis, ut dignè & competenter annunciem Euangelium suum. Amen.

Pro Offertorio.

Suscipe sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo & vero, pro innumerabilibus peccatis & offensionibus & negligentiis meis, & pro omnibus circumstantibus, sed & pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis, ut mihi & illis proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen.

Ad benedictionem aquæ miscendæ vino.

Deus qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabiliùs reformasti: da nobis per hujus aquæ & vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ad oblationem Calicis.

Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinæ Majestatis tuæ, pro nostra & totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

In spiritu humilitatis & in animo contrito suspiciamur à te Domine, & sic fiat sacrificium nostrum in conspectu hodie, ut placeat tibi Domine Deus.

Veni Sanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc Sacrificium tuo sancto nomini præparatum.

Ad lotionem manuum.

Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine: ut audiam vocem laudis, & enarrem universa mirabilia tua. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Ne perdas cum impiis animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam: in quorum manibus iniquitates sunt, dextra Psal. 25.

eorum

eorum repleta est muneribus. Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me & miserere mei. Pes meus stetit in dejecto, in Ecclesiis benedicam te Domine. Gloria Patri, &c.

Post Oblationem.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Jesu Christi Domini nostri, & in honore Beatæ Mariæ semper Virginis, & beati Joannis Baptistæ, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & istorum, & omnium Sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, & illi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Orate fratres.

Ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

Canon.

Te igitur clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominũ nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas & benedicas † hæc dona, † hæc munera, † hæc sancta Sacrificia illibata, inprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, una cùm famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N. & omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.

Commemoratio pro vivis.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum N.N. Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ, tibique reddunt vota sua æterno Deo, vivo & vero.

Communicantes & memoriam venerantes inprimis gloriosæ semper Virginis Mariæ, genitricis Dei & Domini nostri Jesu Christi: sed & beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thadæi: Lini, Cleri, Clementis, Xisti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chrysogoni, Joannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio, per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Ante Consecrationem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ quæsumus Domine ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, † benedictam, † adscriptam, † ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis † corpus, & † sanguis fiat dilectissimi Filij tui Domini nostri Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles suas, & elevatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, † benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes: *Hoc est enim Corpus meum.*

Ad consecrationem Calicis.

Simili modo postquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles suas, item tibi gratias agens † benedixit, deditque discipulis suis dicens:

cens: Accipite & bibite ex eo omnes. *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.

Post Consecrationem.

Unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta ejusdem Christi Filij tui Domini nostri tam beatæ passionis, nec non & ab inferis resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis † hostiam puram, † hostiam sanctam, † hostiam immaculatam, † panem sanctum vitæ æternæ, & † calicem salutis perpetuæ. Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ Majestatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui † Corpus & † Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur, per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Commemoratio pro defunctis, ac deinde pro se.

Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum NN. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, & pacis, ut indulgeas deprecamur, per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus. Famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus, cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, & omnibus Sanctis tuis, intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte, per Christum Dominum nostrum. Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, † sanctificas, † vivificas, † benedicis, & præstas nobis. † Per ipsum, † & cum ipso, † & in ipso, est tibi Deo † Patri omnipotenti, † in unitate Spiritus sancti, omnis honor & gloria.

Ad immixtionem hostiæ in calicem.

Hæc commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.

Post Agnus Dei.

Domine Jesu Christe qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ, eamque secundùm voluntatem tuam pacificare & coadunare digneris, qui vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum corpus & sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis & universis malis, & fac me tuis semper inhærere mandatis, & à te numquam separari permittas, qui cum eodem Deo Patre & Spiritu sancto vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Perceptio corporis tui Domine Jesu Christe, quod ego indignis sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium & condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentũ mentis & corporis, & ad medelam percipiendam, qui vivis & regnas &c.

Panem cælestem accipiam & nomen Domini invocabo: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Ad sumptionem Calicis.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero. Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Post sumptionem.

Quod ore sumpsimus Domine pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Corpus tuum Domine quod sumpsi, & Sanguis quem potavi, adhæreat visceribus meis & præsta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura & sancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Ante Euangelium S. Ioannis.

Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præsta, ut Sacrificium quod oculis tuæ Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique & omnibus pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Compendiosa & per-brevis narratio de vita & morte Sanctorum, qui in Litaniis nominatim invocantur, annotato tempore quo obierunt, & ab Ecclesia coluntur.

Præmittuntur invocationi Sanctorum, tres divinæ Personæ, velut misericordiæ & salutis nostræ fontes, ac post Deiparam cælestes spiritus, è quibus perpauci nobis noti, atque inprimis:

S. Michaël, *sic dictus à zelo divinæ gloriæ contra Luciferum eiq; adhærentes,* quis ut Deus? *Postea Iudaicæ Ecclesiæ defensor à Deo constitutus, inde & potissimùm Christianæ, ubi & sæpiùs apparuit, & in extremo agone singulariter auxiliatur.*

S. Gabriel, à fortitudine Dei, *qua enituit in imperio diaboli evertendo per annunciatum Incarnationis mysterium.*

S. Raphaël, à Medicina Dei, *ob restitutam Tobiæ sanitatem, & visum.*

Omnes sancti Angeli, *invocandi, ut pergant exhibere nobis puram & fidelem operam in privatis & ordinariis ministeriis:* & Archangeli, *ut in publicis & extraordinariis.*

Omnes Sancti Beatorum spirituum Ordines, *ut eorum multiplices perfectiones imitemur, quas in particulari expressas vide pag. 245.*

S. Ioannis Baptista, *Christo cognatus, ab eo in utero sanctificatus nomen ab Angelo accepit. A*
24. Junij *pueritia desertum petiit Deo vacaturus, unde anno 30. progressus Christum omnibus annuncia-*
An. Ch. 32. *vit, donec ob reprehensum Herodem Regem de incestu, capite plexus est 29. Augusti.*

Omnes

Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ *invocandi pro obtinenda, exemplo eorum, fide, spe, ac longanimitate.*

S.Petrus *Galilæus Piscator, à Christo vocatus è navi, & mox relictis omnibus obsecutus, ab eodem ob animi fortitudinem, mutato nomine Simonis in Petrum, præsignatus Petra, & Caput Ecclesiæ, ac deinde palam renunciatus, lapsum trinæ negationis in ejus Passione, assiduo fletu diluit: tandem Romæ sub Nerone cruci affixus capite deorsum, prout ex modestia rogaverat.* 29 Junij An.67.

S.Paulus, *genere Iudæus, in Cilicia nobilis, anno ætatis 35. in itinere Damasceno ad persecutionem Christianorum, à Christo è cælo prostratus, totum se ei submisit. Ab Anania baptizatus, fidem ejus toto orbe disseminavit, gravissima incommoda & pericula perpessus. Tandem sub Nerone eodem die cum S.Petro extra urbem Romanam capite plexus.* 29.Junij An.67.

S.Andreas, *Galilæus, Piscator, frater Petri, eum primùm ad Christum adduxit; inde ab illo pariter vocatus, & relictis omnibus obsecutus, post acceptum Spiritum S. in Achaia pro Christi fide ad crucem damnatus, eam cum desiderio & gaudio amplexus, inde affixus biduum in ea pendens populum in Christi fide firmavit.* 30.Nov. An.70.

S.Jacobus, *Galilæus, filius Zebedæi, Christo cognatus & Piscator, ab eo vocatus è navi, relictis omnibus promptè obsecutus, dictus* Major *quia altero in vocatione prior, primatum in regno Christi cum fratre Ioanne per Matrem non rectè postulavit. Post Spiritum S. in Hispania per paucos à se conversos pluribus deinde provinciis lucem fidei attulit. Ierosolymam reversus ab Herode primus Apostolorum capite plexus.* 25.Julij An.44.

S.Joannes, *Galilæus, filius Zebedæi, Christo cognatus, & Piscator, cum fratre Iacobo à Christo vocatus, & mox pariter obsecutus, singulariter ab eo semper dilectus ob castitatem & benignitatem. In cœna ultima in sinu ejus recubuit, & in cruce constans adhæsit. Deiparæ in filium substitutus. Romæ in ferventis olei dolium missus vegetior egressus, Evangelium scripsit: tandem Ephesi postremus Apostolorum obiit.* 27.Dec. An.99.

S.Thomas, *Galilæus, culpam incredulitatis suæ expiavit primùm ardenti amore, cum manum suam lateri Christi à morte redivivi inserens ait:* Dominus meus, & Deus meus. *Ac potissimùm cum post Spiritum S. tandem in Indiis Regem sæpiùs frustra ad Christi fidem hortatus, inter orandum ante S.Crucem, jussu ejus telis ac lancea confoditur.* 21.Dec. An.77.

S.Jacobus, *Galilæus, Christo sanguine junctus, dictus* Minor, *quia altero in vocatione posterior, post Spiritum S. Episcopus Ierosolymæ, ex orandi assiduitate genibus induratis, in singulari erat apud omnes veneratione. Post Ecclesiam illam annos 30. administratam, lapidibus appetitus, inde ex templi fastigio præcipitatus, orans pro percussoribus, fullonis fuste necatur.* 1.Maij An.62.

S.Philippus, *Galilæus, à Christo pro pascenda turba famelica in consilium adhibitus. Post Spiritum S. in superiorem Asiam profectus, per Scythiam & Phrygiam plurimis ad Christi fidem conversis, Hierapoli primùm flagris cæsus, inde cruci affixus, & lapidibus obrutus.* 1.Maij An.54.

S.Bartholomæus, *Galilæus, post Spiritum S. in Indiam profectus, inde in Majorem Armeniam; cum ibi filium Regis à dæmonio liberasset, & oblata propterea ampla munera rejecisset, & Regem, & Reginam cum filia, ac 12. civitates Christo lucratus est: quare à Regis fratre obstinato detracta prius pelle, capite plexus est.* 24.Aug. An.70.

S.Matthæus, *Galilæus, è telonio Caphernai à Christo vocatus, & mox obsecutus, reversus deinde ad rationes componendas, Christum cum discipulis, ac sociis suis convivio excepit. Evangelium primus scripsit, postea in Æthiopiam missus, ob filiam Regis à morte suscitatam, Regem & Reginam cum filia, totamq; provinciam ad Christum adduxit: sed Rege illo defuncto, jussu successoris ad altare lanceis confoditur.* 21.Sept. An.99.

S.Simon, *Cananæus, &* S.Judas Thaddæus, *à Christo ad Apostolatū vocati, post Spiritum S. ille in Ægypto, hic in Mesopotamia Christi fidem illustrarunt; inde in Persidem junctis viribus convenientes, post uberem ibi animarum messem, ambo ob contrita idola à furentibus sacrificulis interfecti sunt.* 28.Octob. An.65.

24. Febr. An. 60. S. Matthias, *Christi discipulus, post Iudæ defectionem, in Apostolatum eius sorte surrogatus, ac Bersabæ, cum quo conferebatur, præpositus, post labores per Iudæam, in Æthiopiam profectus, ibi primùm lapidibus appetitus, inde securi obtruncatur.*

11. Iunij. An. 62. S. Barnabas, *aliàs Ioseph, Cyprius, Christi discipulus, cum S. Paulo missus ad Christi fidem prædicandum, Lystris ob claudum curatum, diuinos honores sibi vt Ioui delatos reiecit. In Cyprum reuersus Salaminæ post plura tormenta lapidibus obrutus est.*

18. Oct. An. 61. S. Lucas, *Antiochiæ in Syria natus, Medicinæ ac Pictoriæ artis peritus, à S. Paulo conuersus, fidus ei in laboribus comes fuit, ex cuius consortio, atque etiam Deiparæ (vnde præcipua incarnati Verbi mysteria cognouit) plurimùm profecit. Præter Euangelium, scripsit etiam Acta Apostolorum, & plures Christi ac Deiparæ imagines pinxit, per Ecclesiam distributas. Tandem in Achaia prope Patras suspendio martyrium consummauit.*

25. Apr. An. 64. S. Marcus, *Christi discipulus, S. Petri indiuiduus comes, huius monitu Euangelium scripsit, missus ab eo in Ægyptum, plurimos ibi non tantum ad Christi fidem, sed etiam consilia, seu monasticam vitam amplectendam induxit. Tandem festo Paschæ, Missæ Sacrificio intentus, iniecto laqueo abreptus, per vrbis Alexandriæ vias raptatus dirè laceratur, iterumque postridie, dum palmam obtineat.*

Omnes Sancti Apostoli & Euangelistæ, *pro zelo diuinæ gloriæ ac salutis proximi.*

Omnes Sancti Discipuli Domini, *pro obedientia & caritate in proximum.*

28. Dec. An. 2. Omnes Sancti Innocentes, *iussu Herodis Regis in ditione Bethleemitica crudeliter pro Christo trucidati, ad plura millia, Martyrij palma deinde donati.*

26. Dec. An. 34. S. Stephanus, *ex discipulis Christi electus, deinde ab Apostolis in diaconum, zelum ostendit maximè in arguendis Iudæis incredulis, à quibus licet visus esset in Concilio instar Angeli splendere, & ipse palam assereret se videre in cælis Iesum stantem à dextris virtutis Dei; tamen extra ciuitatem eiectus, & lapidibus obrutus, pro lapidantibus Deum orauit.*

10. Aug. An. 259. S. Laurentius, *Hispanus, Romæ Archidiaconus sub Sixto Pont. II. cui primùm ad carcerem, postridie ad supplicium pertracto obuius, enixè postulat socius iungi in morte: sed monitus de acriori certamine, comprehensus, toto corpore conscissus, laminis ardentibus vstulatus, plumbatis & scorpionibus cæsus, tandem ferreæ crati candenti impositus, sæuitiam Tyranni elusit.*

22. Ian. An. 305. S. Vincentius, *Hispanus, S. Valerio Episcopo socius, ob fidem comprehensus, ferreis vngulis laceratus, ac fustibus contusus, Deo laudes canebat, inde etiam ferreæ crati candenti impositus integer euasit. Postea Cruci affixus, facibus vstulatus, tandem è molli culcitra palmam consequitur.*

20. Ian. An. 250. S. Fabianus, *Romanus, dum de Pontifice eligendo deliberatur, columba diuinitus in caput eius forte præsentis delapsa, Pontifex ab omnibus proclamatur. Zelo enituit in Imperatore Philippo ad pænitentiam publicam flectendo: tandem sub Decio Imperatore martyrio afficitur.*

20. Ian. An. 287. S. Sebastianus, *Natus in Gallia, matre Mediolanensi, à Diocletiano Imperatore militum Tribunus, & vrbis Præfectus creatus, de Christiana fide delatus, palo affixus, à suis militibus sagittis configitur. Vnde mox diuinitus persanatus & Imperatori obuius, impietatem exprobrans, fustibus cædi iubetur, dum expiret.*

26. Iunij. An. 362. SS. Ioannes & Paulus, *Fratres, domestici Constantiæ filiæ Imperatoris, fidem Christi Gallicano exercitus Præfecto persuaserunt. Deinde sub Iuliano Imper. à Terentiano Præfecto capite plexi priuatim ob metum populi, apud quem erant in veneratione: sed morte eorum à dæmonijs vulgata, & Terentiani filio ad eorũ corpora à dæmone liberato, parens cum filio fidem amplexus est.*

27. Sept. An. 285. SS. Cosmas & Damianus, *Fratres gemini, Arabes, Medicinæ scientia exculti, morbos plures non tam scientiæ, quàm fidei virtute semper gratis curarunt. Sub Diocletiano Imp. primùm crudeliter cæsi, in mare ligatis manibus & pedibus demersi mox soluti euaserunt. In ardentem fornacem iniecti, sed illæsi, cruci alligati lapidibus & sagittis petiti, sed retortis in percussores, tandem cum alijs tribus fratribus gladio percussi.*

SS. Ger-

SS. Geruasius & Protasius, *Fratres gemini, filij SS. Vitalis & Valeriæ Martyrum, Mediolani ille pro Christi fide plumbatis cæsus: hic fustibus contusus & securi percussus.* 19. Junij. An. 169.

Omnes Sancti Martyres, *Pro patientia & constantia.*

S. Silvester, *Romanus, Pontifex Constantinum Imperatorem lepra percussum, & crudeli balneo ex infantium sanguine ei in remedium præscripto, ipse Sacramento Baptismi sanauit: vnde fides Christi toto imperio Imperatoris iussu liberè propagata est, & ille piè obijt.* 31. Dec. An. 335.

S. Gregorius, *Prætorio munere Romæ functus, re & cognomine Magnus, post sex monasteria à se exstructa & dotata, septimum in domo sua ipse amplexus, inde in Cardinalem, & Pontificem assumptus, sed inuitus, columnæ igneæ indicio deprehensus, inter pauperes etiam Christum mensa excepit. Infirma semper valetudine, in laboribus pro Ecclesia indefessus, piè obijt.* 12. Martij. An. 604.

S. Amb. *Romanus, nobilis, & Galliæ Cisalpinæ Præfectus, Mediolanũ missus ad turbas sedandas, ibi à puerò in Episcopum exclamatus, & adhuc Catechumenus per ordinum gradus assumptus, inter plures etiam S. Augustinum ad Ecclesiam reduxit. Zelo diuini honoris Theodosium Imp. ad publicam pænitentiam flexit, mortuus 4. Apr. sed quo die Episcopus consecratus, in Ecclesia colitur.* 7. Dec. An. 397.

S. Augustinus, *Africanus, ingenij acumine excellens, sed praua consuetudine in vitia abreptus, pluribus stimulis à Deo intus & foris exagitatus, pia matre Monica assiduis precibus & lacrymis Deum exorante, tandem cælesti voce iussus legere in volumine, quod ad manum erat, salutis viam amplexus est, & annos iam natus 30. ab Ambrosio Baptizatus. Postea Episcopus Hipponensis, vitæ sanctitate & doctrina illustris, duo monasteria, alterum monachorum, alterum Canonicorum regularium exstruxit.* 28. Aug. An. 431.

S. Hieron. *Dalmata, nobilis, pia loca per Palæstinam visens, ibi multa ad S. Scripturæ intelligentiam penitius cognouit. Inde in Syria annos 4. exegit in solitudine. Postea Romæ Damaso Pontifici in multis ob linguarum peritiam subsidio fuit: sed amore vitæ monasticæ Palestinam repetijt, vbi in Bethleem exstructo monasterio, exemplum reliquit iungendi studia cum oratione.* 30. Sep. An. 420.

S. Martinus, *In Pannonia nobilis, anno ætatis 15. iussus à parente Tribuno militari nomen dare militiæ, pauperi obuio partem Chlamydis præcisam dedit, quam Christus mox sibi donatam ostendit. Baptizatus deinde, & Turonensis Episcopus creatus, exstructo monasterio simul religiosam vitam assumpsit. Instante morte insigni resignatione se Deo obtulit, dæmonem conspicatus confidenter abesse iussit, cum quo nihil haberet commune.* 11. Nou. An. 397.

S. Nicolaus, *Illustri familia in Lycia natus, ab infantia abstinentiã didicit, in pauperes etiã occultè iuuandos beneficus. Diuino monitu mane in templi vestibulo agnitus, in Episcopum Myræ metropoli Lyciæ assumptus est, exilij ac carceris molestias sub Diocletiano Imp. fortiter perpessus.* 6. Dec. An. 326.

Omnes Sancti Pontifices & Confessores, *pro dono discretionis, contemptu rerum terrenarum, ac desiderio cælestium.*

Omnes Sancti Doctores, *Pro diligentia, & bono exemplo.*

S. Antonius, *Ægyptius nobilis, ad Deum conuersus ex audito forte Euangelio:* Si vis perfectus esse, &c. *arctiorem in eremo vitam amplexus, varijs à dæmone machinis impugnatus, victor semper & illustrior, sic vt illis imbecillitatem exprobraret, & in eius nomine dæmones eijcerentur: per annos 90. in Dei obsequio constans.* 17. Ian. An. 356.

S. Benedictus, *Italus, nobilis, Romæ spretis mundi delicijs, primùm in solitariam speluncam se abdidit, Deo vacaturus. Inde in Abbatem vicini monasterij adlectus, venenum sibi ab ijs oblatum ob reprehensa vitia, signo Crucis dissipauit. Postea in Cassino monte nouis adlectis socijs, miraculis in vita illustris obijt.* 21. Mart. An. 552.

S. Bernard. *Burgundio, nobilis, leuem culpam ex oculi coniectu, in se glaciali stagno immersus vindicauit. Cistercienſe monasteriũ sub regula S. Benedicti ingressus, pluribus secum socijs attractis, castitati, cultui Deiparæ & Passionis Domini singulariter deditus. Abbas in Clara-vallensi monasterio assumptus, religiosos ibi habuit 770. Monasteria exstruxit 160. Episcopatus plures recusauit.* 20. Aug. An. 1153.

S. Dominicus, *Hispanus, illustri familia, è matris vtero per facem ardentem, & iam natris per stellam in fronte illustris futuram sanctitatem & doctrinam præmonstrauit. Ardenti zelo in ditione* Tolos*na supra centum millia ab hæresi ad Christi fidem adduxit. Ordinis sui confirmationem à Pontifice obtinuit, vbi visus est illi in somno Ecclesiam labentem sustentare. Tres Episcopatus delatos sibi reiecit, tres mortuos ad vitam reuocauit. Post Ordinem mirè dilatatum*
4. Aug. An. 1221. *Bononiæ obijt.*

S. Franciscus, *Italus, Aßisij in vmbria natus, mercaturæ terrestri renuncians, meliorem assumpsit Eleemosynis collatis in pauperes, de quo à parente apud Episcopum accusatus, rejecta etiam veste cælestem Patrem ardentiùs coluit. In vicino vico Portiunculæ, audito Christi monito ex Euangelio:* Nolite possidere aurum, &c. *Rejectis omnibus terrenis, & adlectis 12. Socijs,*
4. Octob. An. 1226. *nouum Ordinem Minorum instituit, à Pontifice mox probatum, vbi visus illi est in somno labentem Ecclesiam cum S. Dominico sustentare. Crucifixi vulnera sibi diuinitus impressa accepit.*

Omnes sancti Sacerdotes & Leuitæ, *pro studio Orationis & mortificationis.*

Omnes sancti Monachi & Eremitæ, *pro humilitate, & obseruantia disciplinæ.*

S. Maria Magdalena, *Iudæa, nobilis, sed vitijs infamis, audita Christi concione, ad eum conuersa speculum pœnitentiæ fuit peccatoribus. Christi pedes apud Pharisæum recumbentis rigauit lacrymis, tersit capillis, & vnguento vnxit. Constans illius discipula, cui etiam in Cruce*
22. Iulij. An. 80. *adhæsit. Postea nauigio malè instructo imposita, Maßiliam appulsa, per annos 30. in solitudine peccata defleuit, quotidie septies ab Angelis in altum sublata, cælestem cantum percepit.*

S. Agatha, *In Sicilia nobilis; à Siciliæ Prætore ad nuptias frustra expetita, ob fidem & castitatem comprehensa, candentibus laminis adusta, & mammilla abscissa, Tyrannum sæuitiæ*
5. Febr. An. 251. *redarguit: inde mox à S. Petro persanata, in carbonibus & testulis volutata, postea in carcere inter orandum expirat.*

S. Lucia, *In Sicilia nobilis, matri sanitatem obtinuit ad corpus S. Agathæ defunctæ. Inde ob fidem & castitatem comprehensa, minas Tyrannis spreuit damnata ad prostibulum hæsit immobilis: quare ibi pice, resina, & oleo perfusa in igne illæsa, tandem gladio in gutture transfixa,*
13. Dec. An. 303. *non prius viuere desijt, quàm S. Viatico munita.*

S. Agnes, *Romana, nobilis, à prima ætate Christum sibi in sponsum delegit, reiecto deinde filio Prætoris Romani, os pugnis contunditur, & ad prostibulum damnata, ibi Angelum Domini*
21. Ian. An. 260. *defensorem inuenit, quo impuros aggreßores ad Christum conuertit. In flammis illæsa, læsis adstantibus, tandem gladio guttur transfigitur, anno ætatis 13.*

S. Cæcilia, *Romana, nobilis, frequenti lectione Euangelij amorem in Christum sponsum accendit. Valeriano nuptui tradita, eum arcuit à sui contactu metu Angeli custodis, cuius videndi desiderio ille accensus fidem amplectitur, quam ipsa etiam fratri eius Tiburtio, ac 300. alijs*
22. Nou. An. 230. *persuadet. Iussa feruenti balneo comburi, cum illæsa euaderet, ter gladio frustra percussa, triduo post ad sponsum euolauit.*

S. Catharina, *Alexandriæ sanguine Regio illustris, scientias cum virtute iunxit, anno nata 18. Maximinum Imp. arguit impietatis, qui viros doctißimos 50. euocatos cum ea disputantes commisit, sed hi omnes ab ea superati, fidem Christi amplexi, eam ignis supplicio firmarunt. Illa plumbatis cæsa. Imperatricem & Belli ducem etiam ad Christum perduxit. Inde crudeli*
25. Nou. An. 307. *machinæ rotarum imposita, eam breui oratione dißipauit. Tandem gladio percutitur, lacte pro sanguine effuso.*

S. Anastasia, *Romana, nobilis, à S. Chrysogono in fide instructa, nuptui tradita iuueni gentili ac feroci, sed seruata castitate, ab eo ob constantiam in fide conjecta in carcerem ærumnis conficienda, sed toto bimestri ibi cibo miraculosè delato sustentata, tandem cum pluribus pa-*
25. Dec. An. 303. *lo alligata igne extincta est.*

Omnes sanctæ Virgines & Viduæ, *pro Castitate & modestia.*

Meditationem de Litanijs Omnium Sanctorum Vide supra pag. 407.

INDEX
MEDITATIONVM
ORDINE TEMPORIS,
Quo ab Ecclesia proponuntur.

I. Partis, In Dominicas & Ferias majores.

Quæ asterisco notatæ sunt, ad alium locum remittuntur.

INDEX MEDITATIONUM

II. Partis, in Festa Sanctorum.

13.S.Lu-

In Communia Sanctorum.

In Euangelia ex missis votivis.

INDEX MEDITATIONVM
III. PARTIS.

Sect.I. *In reliquam vitam Christi.*

Sect.II. *In Passionem Domini.*

Sect. III. *In Excellentias B. Virginis Mariæ per Litanias Lauretanas.*

Sect. IV. *In Functiones quotidianas, & varias per annum.*

INDEX MEDITATIONUM

In totam seriem vitæ Christi.

Pars I. Continens Christi infantiam & pueritiam.

Pars II. Continens gesta Christi ab ejus baptismo usque ad II. Pascha.

Pars III. Continens annum secundum Prædicationis Christi usque ad III. Pascha.

Resp.

Pars IV. Continens annum tertium Prędicationis Christi.

Sanat

Deplora.

PARS VI.
Continens Resurrectionem Christi.

FINIS




Biblioteka Jagiellońska
stdr0030920



